BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
2
C
37
NAPOLI

2 C 37

DE PARADISO VOLVPTATIS,

QVEM SCRIPTVRA SACRA

GENESIS SECVNDO ET TERTIO CAPITE DESCRIBIT,

Commentarius,

FRATRE THOMA MALVENDA
Setabitano, Ordinis Prædicatorum; Deſcriptore.



ROMAE;
Ex Typographia Alfonſi Ciacconi, Apud
Carolum Vulliettum. MDCV.

SVPERIORVM PERMISSV.

DE PARADISO VOLVPTATIS,

QVEM SCRIPTVRA SACRA

GENESIS SECVNDO ET TERTIO CAPITE DESCRIBIT,

Commentarius,

FRATRE THOMA MALVENDA Setabitano, Ordinis Prædicatorum; Deſcriptore.



ROMAE,

Ex Typographia Alfonſi Ciacconi, Apud Carolum Vullietum. M.D.C.V.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVER.^MO PATRI NOSTRO

F. HIERONYMO XAVIERRE

CAESARAVGVSTANO,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORI,

Ac totius Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro.

FRATER THOMAS MALVENDA

Setabitanus eiuſdem Ordinis. S. P.

MAIVS aliquid, nomine & auctoritate tua dignum, Pater Reuerendiſſime atque Optime, vellem offerre. Si plus haberem, plus darem. Dum Annales ſacri Ordinis noſtri, ingens Opus tantis apparatibus, magnis tuis auſpicijs molior, interim Paradiſum Voluptatis, vel nomine ipſo ſaltim expetendum, accipe. Dicam, noſtra manu conſitum, & ſtylo concinnatum, quàm polite, tu iudica, cum à ſumma rerum forte dignaberis tantillas horulas Paradiſo meo perluſtrando tranſigere. Quàm optarim Horti omnium delicatiſſimi, haud prorſus inſcitus excultor extitiſſe: qui te, cum inuiſes, vel leui aliquo alleuamento, tantis curis feſſum recreaſſet. Sed habes abunde Religionis noſtræ decora ampla, quæ tibi animum poſſint ſumma voluptate perfundere: nedum Patrum dico, qui iam præceſſere, quorum eſt gloria immenſa; ſed æui quoque præſentis clariſſimis indoles, quibus Chriſtus res noſtras quotidie auget &

ornat. Eximie celebrandus Deus, qui etiam hoc tempore ſub Magiſterio tuo, tam grandia alit ingenia, quæ maximis Chriſtianæ Reipublicæ impoſita rebus, pulcherrimo ſint Eccleſiæ & vſui & ornamento. Quorum tu vt prima, ita & pars maior: ſic ſtrenue pronuntio, etſi tibi moleſtum ſit audire: at mihi piaculum tacuiſſe quæ cuncti & ſciunt, & cum admiratione loquuntur. Cum Annales Ordinis in manus hominum proferemus, quod iam mundus probe cognoſcit, tunc prolixius habebit notiſſimum, quàm ingentia Maiorum noſtrorum & ſanctitatis & doctrinæ merita in Eccleſiam ſemper extiterint: quàmque ſancta noſtra Religio iſta quoque ætate ſit grauis & litteris & virtutibus. Ergo inter tot fulgentia lumina, ſi Paradiſus meus non ſorduerit, benignitas tua in ſolidum efficiet: quæ & parua quæuis, quantumuis audaci porrecta manu, à puro tamen pectore donata non dedignetur.

GRA-

GRAVEM ac difficilem de Paradiſo terreſtri diſputationem, à ſapientiſſimo P. Fr. Thoma Maluenda Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ profeſſore diſcuſſam & elucidatam, ex commiſſione Reuerendi admodum Patris noſtri Fr. Ludouici Yſtelia Magiſtri, & totius Prædicatoriæ familiæ Vicarij Generalis, quà potui diligentia perlegi: & cum omnia accuratiſſime perluſtrauerim, inueni Opus ſane pium atque catholicum, eximia eruditione refertum, ſacrarum Literarum, & ſanctorum Patruum teſtimonijs, ac rationibus philoſophicis & geographicis quaſi opere polymito, mira pulchritudine & varietate contextum. Dignum ſane quod in Dei gloriam & communem vtilitatem typis excuſum in lucem prodeat.

Fr. Thomas Gonçalez Sacræ Theologiæ Magiſter.

COMMENTARIVM de Paradiſo Voluptatis à R.P. Fr. Thoma Maluenda elucubratum, attente perlegi: quod mihi Opus Catholicum, pium, lectuque dignum viſum eſt: ac plane eiuſmodi quod ob multiplicem atq. eruditam rerum humanarum diuinarumque varietatem eo in argumento, magnopere ſim admiratus.

Fr. Iſidorus Aliaga.

C

ARGV-

NOS Fr. Ludouicus Yſtella Valentinus, Sacræ Theologiæ profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Vicarius Generalis. Commentarium de Paradiſo Voluptatis à Reu. P. Fr. Thoma Malùenda conſcriptum cum duo Patres in Sacra Theologia Magiſtri, quibus inſpiciendi curam iniunximus, accurate recognouerint: nihilque in eo Orthodoxæ fidei aut Eccleſiaſticæ doctrinæ, boniſue moribus aduerſum repererint, facultatem damus vt publicæ typis excudi poſſit. In quorum fidem ijs noſtro ſigillo munitis manu propria ſubſcripſimus. Dat. Romæ in noſtro Conuentu S. Mariæ ſuper Mineruam Die 16. Februarij. 1605.

Fr. Ludouicus Yſtella.
qui ſupra

Locus ✠ Sigilli.

Regiſtrata fol. 38.
Fr. Deſiderius Gonſaluus Lector, Socius.

Imprimatur,

Si placet R.mo P. Magiſtro S. Palatij Apoſtolici.

B. Gypſius Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Paulus de Francis de Neapoli Magiſter & ſocius Reuerendiſsimi P. Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici.

AD

AD LECTOREM.

PROMISIMVS in Rebus Antichriſti, quas ſuperiori anno publicauimus, integrum de Paradiſo Voluptatis Opus: ecce iam damus: rem pro virili geſſimus: iudicium penes Lectores eſto: ſed ſciri cupio, me tantum de loco ipſo Paradiſi, eiuſq. virtutibus, & quibuſdam alijs ad iſta pertinentibus adornaſſe diſputationem: nam de felici illo originariæ iuſtitiæ ſtatu, dotibuſque tum animi tum corporis, noſtri generis Proauctorum, diſſerere, viſum eſt multo prolixius, quàm vt deſtinato volumine contineri tam multa ac varia poſſent: & id ſtudium haud animo inſederat, de his accurate tractandi; & quòd ea iam omnia exciderint, & quòd à Theologis plenius explicata extent: Paradiſum habebat peculiaris ratio, quem nonnulli hoc tempore abolere cupierint, decuitque nos ex ſenſu maiorum ſartum & tectum conſeruare. Lib. 9. de Antichriſto Cap. 4.

ARGV


ARGVMENTVM OPERIS.

Geneſis 2. Verſu 8.

PLantauerat autem Dominus Deus Paradiſum Voluptatis à principio: in quo poſuit hominem quem formauerat. 9. Produxitq. Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali. 10. Et fluuius egrediebatur de loco Voluptatis ad irrigandum Paradiſum: qui inde diuiditur in quatuor capita. 11. Nomen vni Phiſon: ipſe eſt qui circuit omnem terram Heuilath: vbi naſcitur aurum, 12. & aurum terræ illius optimum eſt: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus. 13 Et nomen fluuij ſecundi Gehon: ipſe eſt qui circumit omnem terram Aethiopiæ. 14. Nomen vero fluminis tertij Tygris: ipſe vadit contra Aſſyrios. Fluuius autem quartus, ipſe eſt Euphrates. 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo Voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.

Geneſis 3. Verſu 8.

ET cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradiſi. 21. Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. 22. Et ait: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum: nunc ergo ne forte mittat manum ſuam, & ſumat etiam de Ligno Vitæ, & comedat, & viuat in æternum. 23. Et emiſit eum Dominus de Paradiſo Voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt. 24. Eiecitq. Adam: & collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam Ligni Vitæ.



αμην

DE PARADISO VOLVPTATIS.

Auctores qui de Paradiſo Voluptatis ſcripſerunt. Cap. I.

ADMIRANDAM de Paradiſo illo Voluptatis, quem ſacra Scriptura deſcribit, diuina ope tractationem auſpicantes, fontes doctrinæ ad gratiam & ſubſidium Operis exhibemus. Quos præ tenui noſtra cognitione ſcire potuimus ſcripſiſſe de Paradiſo, ſunt hi: Ex Græcis, Ioſephus Antiquit. Lib. 1. C. 1. S. Iuſtinus Philoſophus & Martyr in Exhortatorio ad Gentes, S. Theophilus Antiochenus Sextus Epiſcopus Lib. 2. ad Autolycum, S. Irenæus Lib. 5. C. 5. aduerſus hæreſes, S. Methodius Olympi Lyciæ Epiſcopus & Martyr, quem aduerſus Origenem multa differentem S. Epiphanius pluribus citat Hæreſi 64. S. Athanaſius Quæſt. 47. & 48. ad Antiochum, S. Baſilius peculiarem de Paradiſo tractatum edidit, S. Iacobus Orrhoaita Niſibis Epiſcopus Sermone de Theologia, S. Ephræm Syrus eiuſdem S. Iacobi diſcipulus in Commentarijs Geneſeos, & in Sermonibus de Paradiſo, S. Gregorius Nyſſenus Commentario de Homine, C. 20. & 21. Dominus Ioannes Sermone, Cur arbor illa appellata ſit, Arbor ſcientiæ boni & mali: & quid ſibi velit illud Chriſti: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Dominus Seuerus Oratione 22. de Epithronio, Ioannes Monachus Sermone de Occaſu mundi huius, & de Venturo nouo: ſex iſtos præcedentes memorat Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo, Parte 1. Inſuper S. Epiphanius Hæreſi 64. & in Anchorato, & in Epiſt. ad Ioannem Ieroſolymitanum copioſe de Paradiſo loquitur, S. Ioannes Chryſoſtomus Homil. 13. in Geneſ. S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 7. & 8. in Hexaemeron, S. Ioannes Damaſcenus Lib. 2. de Fide Orthodoxa, Cap. 11. Anaſtaſius Nicænus Epiſcopus in Quæſtionibus ſacræ Scripturæ Quæſt. 21. & 24. Moſes Bar-Cepha Syrus, Epiſcopus Beth-Raman, & Beth-Ceno, Curator rerum ſacrarum in Mozal, hoc eſt, Seleucia Parthorum, ante annos 700. Commentarium de Paradiſo in tres partes diſtributum ad Ignatium fratrem conſcripſit: quod Opus extat adhuc ab Andrea Maſio è Syro in Latinum transfuſum. Marcus Eremita ante 400. annos librum de Paradiſo compoſuit. Scripſerunt verò pleriq. veterum Græciæ Patrum de Paradiſo non pauca cum in Commentarijs à ſe in Geneſ. editis, ſecundum eius Libri Caput interpretarentur; horum fragmenta, centoneſq. varij ſuperſunt adhuc in Græcis Catenis, quæ extant in Geneſim, citanturque à nonnullis: [a] eiuſmodi ſunt S. Hippolytus Martyr, Epiſcopus Portuenſis, S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, Euſebius Emeſſenus, Acatius Cæſarienſis Epiſcopus, Gennadius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, Seuerianus Gabalenſis Epiſcopus, Theo-

AVCTORES QVI DE PARADISO SCRIPSERVNT.

ANTIQVIT.

[a] *Steuchus in Coſmopœia, & in 2. Geneſ.*

dorus Mopſueſtenus, Sarron, & alij: quos in Geneſim Commentaria dictaſſe, partim Euſebius Cæſarienſis in Hiſtoriæ Eccle. Libris, partim S. Hieronymus, Gennadius, Honorius, Trithemius, Sixtus, & alij in Catalogis Eccleſiaſticorum Scriptorum affirmant. Ex Latinis vero, Tertullianus Lib. de Iudicio Domini Cap. 8. Lactantius Firmianus in Carmine de Phœnice: quamuis Gentilis Poëtæ potius illud eſſe Opus aliqui ſuſpicentur. [a] S. Ambroſius integrum de Paradiſo Librum elucubrauit, S. Hieronymus Traditionibus Hebraicis in Geneſ. 2. Proba Faltonia nobilis Romana femina in Virgiliocentonibus, Claudius Marius Victor Rhetor Maſſilienſis Lib. 1. Carminum in Geneſ. quem ſub Theodoſio & Valentiniano defunctum Gennadius prodit: S. Auguſtinus Lib. 2. de Geneſi contra Manichæos, & Lib. 8. de Geneſi ad Litteram, S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Lib. 14. Etymologiarum, C. 3. S. Hilarius Arelatenſis Epiſcopus Commentarijs in Geneſ. carmine, S. Alcimus Auitus Viennenſis Epiſcopus Lib. 1. Carminum in Geneſim. Porro innumeri, qui in Geneſ. Explanationes ſcripſerunt, cum 2. Cap. enarrant, de Paradiſo diſſerunt, vt S. Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus, S. Beda, Alcuinus, Strabus Monachus, Rabbanus, Rupertus Abbas Tuitienſis, Hugo de S. Victore, Thomas Anglicus, Hugo Cardinalis Carenſis, Nicolaus Gorranus, Paulus Burgenſis, Nicolaus Lyranus, Henricus Langeſteinus, Alfonſus Toſtatus, Dionyſius Carthuſianus, Henricus de Haſſia, cuius Opus in 4. Geneſ. Capita MS. extat, Thomas Caietanus, Auguſtinus Steuchus, Franciſcus Vatablus, Iſidorus Clarius, Gulielmus Hamerus, Ioannes Ferus, Ambroſius Catharinus, Antonius Honcala, Hieronymus Oleaſtrius, Aloyſius Lippomanus, Emmanuel Sà, Benedictus Pererius, Ludouicus Yſtella, & alij.

[a] Michael Thomaſius in Notis Lactantij.

SCHOLASTICI. Ex Theologis Scholaſticis, Petrus Lombardus in 2. Sententiarum diſtinc. 17. & omnes eius Interpretes qui ſolent eſſe immenſo numero, B. Albertus Magnus parte 2. Theologiæ Tract. 13. Quæſt. 79. Vincentius Bellouacenſis in Speculo Hiſtor. Lib. 1. Cap. 63. Toſtatus in Geneſ. 13. à Quæſt. 85. vſque ad Quæſt. 102. Alexander Alenſis 2. parte Theologiæ, S. Thomas Aquinas prima parte Theologicæ Summæ Quæſt. 102. & plures eius Explanatores, ſeorſim Dominicus Bañez, Franciſcus Cumelius, Gregorius de Valentia, & alij.

HISTORICI. Inſuper Annalium, Chronographiarum, & Hiſtoriarum conditores plurimi, qui res ab exordio mundi narrare incipiunt, ſolent quoque cum primam Vniuerſi conditionem exponunt, non pauca de Paradiſo Voluptatis afferre. In hoc genere licet innumeros reperire, vt nihil opus ſit ſingillatim aliquos commemorare.

RECENTIORES. Ex Recentioribus præter deſcriptos, egerunt de Paradiſo Ludouicus Viues in Comment. Lib. 13. de Ciuit. Dei. c. 21. Ioannes Goropius Becanus. Ioannes Pineda Lib. 1. Eccleſiaſticæ Monarchiæ cap. 7. Robertus Bellarminus Lib. de Gratia Primi Hominis cap. 11. & ſeqq. Iacobus Naclatus in Medulla ſacræ Scripturæ de Opere ſex dierum, Petrus Galeſinius in Notis ad ſacram Hiſtoriam S. Seueri, Ciruelus Darocenſis Quæſt. 15. Paradoxica, Alfonſus Veracrucius Lib. de Cælo, Speculatione 15. Blaſius Viegas in Cap. 11. Apocalypſis, Abraham Ortelius in Tabula Geographiæ ſacræ, Ioannes Hopkinſonus peculiarem de Paradiſo Libellum edidit, in quo & Paradiſi expreſſam Chorographicam delineationem exhibuit, Ludouicus Nugarola in libel-

in libello de Timotheo, ſeu de Nilo, Nicolaus Serarius in Comment. Cap. 8. Machabæor. 1. ait ſe integram de Paradiſo tractationem condidiſſe. Iodocus Clichthouæus in Commen. Lib. 2. S. Damaſceni, cap. 11. Ferdinandus Velloſillus in Aduertentijs ad Tomũ 3. S. Hieronymi, Henricus Henriquez Lib. de Fine Hominis, C. 19. & 24. in Gloſſa, Felicianus Capitonus Catholicarum Explicationum parte 1. Explicatione 5.

COSMOGRAPHI.

Præterea Coſmographi, ſeu Chorographi Chriſtiani, qui locorum terrarumq. ſitus deſcribunt, cum de Meſopotamiæ fluminibus Tigri & Euphrate, vel de Indiæ Gange, aut de Aethiopiæ Nilo produnt, nonnulla de terreſtri Paradiſo, oblata occaſione, interdum interſerunt. Horum ingens ſuppetit numerus. Deniq. complures qui Antichriſti res futuras ſtylo ſunt proſecuti, cum de Henoch & Elia eo tempore venturis ſermonem inſtituunt, de loco vbi nunc viuunt, num in Paradiſo, multa tractare ſolent. Damus iſtorum prolixam enumerationem Lib. 1. de Antichriſto Cap. 1.

De Hebraico nomine Paradiſi גן Gan, *&* גנה Ganah. *Cap. II.*

גן פרדס

QVID GAN.

QVIA Septuaginta Interpretes, & hos ſecutus ſacer noſter Vulgatus Paradiſi nomine in Scripturæ varijs locis exprimere conſueuerunt notionem duarum vocum Hebraicarum, nempe *Gan*, & *Pardes*, de vtraq. nobis paucis eſt diſſerendum. Cùm hæc vox *Gan* pluries in ſacris Litteris occurrat, Noſter aliquando, Hortum, ſed octodecies Paradiſum eſt interpretatus: & primum Geneſ. 2. v. 8. *Plantauerat autem Dominus Deus*, Gan *Paradiſum voluptatis*. Et alibi. [a] Quidam dictam [b] putant à *Ganan*, abſcondere, protegere, defendere, nempe à denſitate, & opacitate arborum quòd inumbrent ac protegant; vel quòd hortus abſcondi ſoleat & defendi ab incurſu hominum ac beſtiarum: ſed præſtat aliorum [c] etymon *Ganan* eſſe circumclaudere, circummunire, concludere ſepto, vel ſcuto muniendi cauſa, circumcingere ad defenſionem: per, protegere, vbiq. vertunt Septuaginta & Noſter, vt 4. Reg. 20. v. 6. & alias. [d] vnde dicatur *Gan*, quòd hortus ſit circumquaq. munitus ſepto.

a Geneſ. 2. v. 9. 10. 15. 16. c. 3. v. 1. 2. 3. 8. 10. 23. 25. c. 13. v. 10. Ezech 28. v. 13. c. 31. v. 8. bis. v. 9.

b Oleaſtrius & Iſtella in 2. Geneſ.

גנן

c Kimchius in Lib. Radicum, Forſterus & Mercerus in Theſauris, Forerius in 2. Iſaia v. 29. Pererius in 2. Gen. & alij. d 4 Reg. 20. v. 6. Iſaiæ 37. v. 35. & c. 38. v. 5. & c. 31. 5. Zachar. 9. 15. c. 12. 8.

Nec prorſus aliene quis conferat cum *Hagah*, meditari, & cum *Nagan*, ludere inſtrumentis muſicis, & cum *Nagah*, ſplendeſcere, quòd hortus ſit locus decorus ac ſplendidus, meditationi & muſis aptus. Etſi remotius, confer etiam cum *Maguen*, ſcuto, clypeo, quo nomine metaphorice alicubi Spiritus ſanctus Principes appellat, quaſi protectores & munimenta populi, qui *multitudines continent*. Sapient. 6. v. 3. quòd hi præcipue hortos & Paradiſos in delitijs habeant. Sic eos Pſaltes nuncupat Pſalmo 46. v. 10. *Chi lelohim maguine eretz meod nahalah*. Sed antiſper locũ excutiamus. Septuaginta reddunt: Quoniam Dei fortes terræ valde eleuati ſunt. Græca Scholia notant geminam in Septuaginta haberi lectionem, Ipſius Dei fortes à terra (ſeu ſuper terram) valde eleuati ſunt. vel, Fortes qui terræ Dei Abraham, valde eleuati ſunt. Theodoretus: Quoniam Dei fortes vehementer ſuper terram eleuati ſunt. Obſeruat Euthimius Græce Genitiuum haberi, Dei, conſentiuntq. omnia ferme Græca exemplaria. Hinc exiſtimauit Ianſenius

הגה נגן

גנה מגן

כי לאלהים

מגני ארץ

מאד נעלה

LOCVS E PSALMO XLVI. ELVCIDATVS.

 ſenius

ſenius mendum illapſum in Vulgatum vt pro Dei, Dij legatur apud ipſum: at Genebrardus mauult errorem in Græcis facili lapſu: quod & rationi & Hebræis magis congruit: nam nullus dubitet præferendam lectionem Vulgati: Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt.

Annotat iſta Theodoretus: Hos namq. Septuaginta, Fortes nuncuparunt, Aquila vero, Scuta, Theodotion & Symmachus, Propugnacula, ſeu Protectiones appellauit.] Sic ille. Chaldæus Interpres, Quoniam coram Deo ſcuta terræ vehementer exaltata ſunt. S.Hieronymus in ſua ex Hebraico Tranſlatione, Quoniam Dij ſcuta terræ vehementer eleuati ſunt. Recentiores in innumeras abeunt interpretationes, de quibus conſulas Enarratores Pſalmorum. Hebræa ad verbum ſequentes omnes ſenſus patiuntur. 1. *Quia dijs ſcutis terræ valde prælatus eſt*. Nam & falſis dijs & Principibus infinito præſtat Deus. 2. *Quia Dei* ſunt *protectiones terræ, valde excellit*, nempe ob beneficium creationis & gubernationis. 3. *Quia Deo* curæ ſunt, vel adhæſerunt *clypei terræ, valde eleuatus eſt*. de Sanctis orbis tutelaribus patronis, quorum honor & cura mirifice diuinam gloriam illuſtrat: poſſis vertere, *valde eleuati ſunt*. Nec abſurda ſyntaxis, *Clypei eleuatus eſt*, pro *eleuati ſunt*. ſed vſu ſacræ linguæ non inſolens: vt Prouerb. 3. 18. *Et fulcientes eam beatus*: & v. 35. *Et ſtulti exaltat ignominiam*. & c. 14. 1. *Sapientes mulieres ædificauit domum ſuam*. ſunt eiuſmodi exempla frequentia notata etiam ab Grammaticis:[a] ponitur enim ſingularis numerus diſtributiue pro vnoquoq. è pluribus. 4. *Quia apud Deum ſcuta terræ vehementer attollitur*. ſcilicet, vnumquodque eorum, vel attolluntur. vt fit illud Pſal. 138. 16. *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: &c.* 5. *Quia ad Deum ſcuta terræ valde elata ſunt*. de ſuperbia Principum & potentum, qui aduerſus Deum eriguntur. 6. *Quia ſicut dij, ſcuta terræ vehementer aſcendit*. vel aſcenderunt. eodem ſenſu: nam ſuffurari tentant diuinitatem. 7. *Quia per Deum, clypei terræ vehementer aſcendendo eleuatus eſt*. vel eleuati ſunt. vt iuramento cum admiratione affirmet, vel honorem ſublimem amicorum Dei, vel ſuperbiam intolerabilem potentum. *Lamed* aliquando iurantis eſſe vt 2. Reg. 3. 12. volunt Hebræi. 8. *Quia à Deo ſcuta terræ multum receſſit*. vel receſſerunt. Sic verbum *Alah* in Niphal ſumitur Vulgato etiam Numer. 16. 24. & 2. Reg. 2. 27. vt innuat hic atheiſmum & defectionem à Deo, mundi Principum. 9. *Quia à dijs clypeis terræ valde receſſit*. Deus, nimirum, vel à falſis dijs, vel ab impijs potentatibus. 10. *Quia dij ſcuta terræ valde in ventum euanuit*. vel euanuerunt, vel ſubducta ſunt. de imbecillitate, & abolitione idololatriæ tantopere in ſacris Litteris ad Dei potentiam oſtendendam, celebrata.

ל Lamed omnium caſuum eſſe notam, & pro, apud, ad, ſicut, à, ab, in Scriptura ſubſtitui, prolatis exemplis te Grammatici docebunt. [b] Elohim de vero, & falſo Deo, de magnatibus dici, notius eſt, quàm vt exemplis ſit demonſtrandum. Scuta terræ hic vel Sanctos & amicos Dei vniuerſe, vel principes nationum, vel peculiariter Apoſtolos illuſtri nuncupatione Elucidatores intelligunt. Quidam ſenſum hunc præferunt: *Quoniam Dij*, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, *ſcuta terræ vehementer eleuatus eſt*. Elohim plurale propter Myſterium ſacræ Triadis, verbum ſingulare, eleuatus eſt, propter vnitatem & identitatem eſſentiæ. Elohim quidem myſterium continere Trini-

tatis

[a] Sanctes Lib. 1. Inſtit. Heb. c. 4. & Lib. 4. c. 15. & alq.

[b] Sanctes Lib. 1. Inſtitut. c. 19. Ioannes Iſaac lib. 1. Grammatica, Ioannes Quinquarboreus in Opere Grammatico, Ludouic. S. Frãciſci Glob.

tatis, docemus contra Criticos in Comment. Pſalmorum: [a] ei tribui verbum ſingulare ſæpius in Scriptura, nimis eſt peruagatum.

[a] *Pſal. 3. v. 2.*

[b] Simpliciſſime nos locum ita reddemus: *Quoniam dijs muninentis terræ valde aſcendit.* hoc eſt, quia iudicibus, potentibus, terræ ſcutis & præſidijs ſublimi in honore eſt Deus, q. d. quoniam hi pietatem maxime colunt. Hos omnes commemoratos ſenſus antecedentibus recte aptari, & Hebraico Fonti optime congruere, quiuis per ſe dignoſcet; nos ad alia properemus.

[b] SIMPLICIOR SENSVS.

Inuenitur autem in Scriptura pluries forma feminea *Ganah* in eadem horti ſeu paradiſi ſignificatione, ſed plerumq. vti notauimus, genus femineum ponitur vbi vel de diſſolutis delitijs, vel de impijs ſuperſtitionibus agitur, vt Eccleſ. 2. 5. & Iſaiæ 1. 29. & C. 66. 17. & C. 65. 3. Ponitur *Ganah* Iob. 8. 16 loco nimium obſcuro. *Ratob hu liphne ſames vealganatho ionakitho teze.* Noſter, *Humectus videtur antequam veniat ſol, & in ortu ſuo germen eius egredietur.* Septuaginta, *Humidus enim eſt ſub ſole, & de putredine eius radamnus eius aſcendet.* Radamnorum autem nomine, inquit Olympiodorus, adnata, & ſurculos, ſeu ſtolones, aut etiam ramos, & flores ſignificat.]

QVID GANNAH ...

רטוב הוא לפני שמש ועל גנתו ינקתו תצא

[c] Aquila, apud eundem Olympiodorum: Squalidus eſt in conſpectu ſolis. vel, vt alij citant, Humectus eſt in faciem ſolis. pro *Ioneketh*, Symmachus & S. Ambroſius, ramum, Theodotion, propaginem, reddit. Sanctes, *Viridis eſt ante ſolem, & in horto ſuo ramus eius tener egredietur.* Vatablus, *Viridis eſt ante ſolem. & ſupra hortum ſuum rami eius extendunt ſe.* Clarius, *Humectus videtur ante ſolem, & in horto ſuo germen eius egredietur.* Montanus, *Tener ipſe ad facies ſolis, & ſuper horto ſuo ramus eius tener egredietur.* Marinus, *Humectus ipſe ante ſolem, & ſuper,* ſecus, *hortum ſuum plantula,* ſurculus, *eius egredietur.* Caietanus, *Viuidus ipſe in facie ſolis, & in horto ſuo ramus eius egredietur.*

[c] LOCVS IOB IIX. EXPLICATVS.

Et ſi liceat audire Nouantes, ſaltim ea ratione vt palam ſit nihil ex eis boni diſci poſſe, quod non iam Catholici eruditius docuerint, Munſterus ſic vertit: *Quaſi arbor virens eſt in conſpectu ſolis, & in horto ſuo ſurculus eius progreditur.* Franciſcus Iunius & Tremellius Emanuel: *Succoſus eſt ante ſolem, & ſupra hortum ſuum tener ramus eius prodibit.* Leo Iudas, vel Claudius Baduellus: *Ceterum plantæ in ſe humorem continentis, etiam cum in ſole ſtat, propago tenera prodibit in horto.* Auctor Nouæ Tranſlationis Hiſpanicæ ex Hebræo: Vn arbol *eſta verde ante el ſol, y ſus renueuos ſalen ſobre ſu huerto.* omittimus alios.

Ratob proprie, irriguus, humectus, madefactus, quamuis alij hic ſubſtantiue accipiant pro humore ſeu humectatione. Chaldæus & Rabbini vtuntur hoc verbo pro virere, *Retuba* quoq. appellare ſolent dactylum viridem ſeu immaturum; vt non immerito quis hoc loco *Ratob* deflectere poſſit ad palmam, quæ ſit arbor ſemper virens, & irrigua. vt ſit ſenſus; Palma ipſa faciebus ſolis, & ſuper horto ſuo ſurculus eius egredietur. q. d. altitudine excellit immenſa vt faciem ſolis attingere videatur, & fecunditate quoq. pollet. At vereor ne ſit parum felix interpretatio. Simpliciſſime redduntur Hebræa: *Humectus,* madefactus, irriguus, *ipſe faciebus ſolis, & ſuper horto ſuo ſurculus eius egredietur.*

Interpretes Hebræi in biuium abeunt, alijs de felicitate piorum, alijs vero de

ro de impiorum proſperitate in hoc mundo loqui S. Iobum exiſtimantibus. Metaphora eſt arboris ſuccoſæ & virentis, quam neq. ardentiſſimus ſol exiccet, aut lædat, & ipſa, læta propagine, & copioſa ſtolonum ſegete luxuriet, adeo vt excreſcentes ſurculi hortum in quo plantata eſt, egrediantur & ſuperent. Conſimilis tranſlatio Geneſ. 49. v. 22. *Filius*, ramus, *accreſcens Ioſeph, filius*, ramus, *accreſcens ſuper*, iuxta, *fontem, filiæ*, ideſt, ſurculi, vel germina, *incedebat*, vnaquæque, *ſuper murum*.

ASSERITVR VVLGATVS.

a Ioan. Pineda in Iob 8. v. 16. num. 6.

Mirati ſumus cur Noſter cum ſemper vbiq. vocem *Ganab* hortum exponat, vt eſt eius propria notio conſentiente cœtu Interpretum omnium, hic tamen *ortum* reddiderit. Scimus, quid pro defenſione Interpretis alij [a] ſcribant, ſed quod non multum arrideat. Si adeſſet præſidium peruetuſti alicuius exemplaris, non dubitarem aſſerere Vulgatum *horto* ſcripſiſſe, ſed lapſu propenſo librarium *ortu* poſuiſſe, erroremq. in codices propagatum. Certe Complutenſia Biblia Editionis S. Hieronymi, *horto* habent, qua etiam ratione Chaldæus Paraphraſtes ſcripſit.

Si Interpres *ortu* poſuit, vt vulgo codicum & in nouiſſimis Sixtianis & Clementianis legitur, ſenſum expreſſit, non verba ſectatus eſt. Ferme omnes Latini & Græci reditum hic ad metaphoram ſcirpi vel iunci de quo Verſu 11. caſumque felicitatis improborum ac ſupplicium deſcribi putant. q. d. Succoſus eſt, virens, ac opulentus improbus, ſed exorto calore diuinæ vindictæ ſubito langueſcit & aret, quantumuis in ortu ſuo felici germine creſcat & luxuriet. Puto Hebraiſmum, *In ortu ſuo germen eius egredietur*. pro, cito, feliciter germinat: quamprimum oritur, luxuriat fecunda propagine. vel innuit naturam ſcirpi, qui cum oritur, ſimul multos emittit è radice ſurculos, ſeu ſtolones.

Cur Septuaginta pro, *Ganab*, putredinem dixerint, clam nos eſt, niſi forſan, ſi non ſunt deprauati, ad ſtercorationem hortenſem reſpexerint: q. d Tanto natiuo ſucco plenus eſt, vt etiam ſub ardentiſſimo ſole vireat ac madeat; & ex radice eius, (quaſi in horto,) bene ſtercorata & culta, propago eius opima progerminet. Interim de loco ſubdifficili Lectore ad Explanatores amandato, iam noſtra proſequamur.

LOCVS EZECHIELIS REDDITVS CAP. XLII.

גנה
הגינה
הגררת
הגינת

Non prorſus abſurde, quis conferat *Ganab* cum *Haguinab*, quæ vox tantum reperitur Ezechiel. 42. v. 12. *Oſtium in capite viæ, quæ via erat ante veſtibulum ſeparatum*. pro, veſtibulo ſeparato Hebræa habent: *Hagbedereth Haghinah*. Sanctes ita locum reddit: *Oſtium in capite viæ, videlicet quæ erat coram pariete directe &c.* Vatablus: *Oſtium initio viæ, quæ erat coram pariete eleganti.* Montanus: *Oſtium in capite viæ, viæ in faciebus maceriæ elegantis*. Marinus: *Viæ in proſpectu ſepis congrue*, vel, *In facie*, ante, *ſepis directæ*. Alij, *Viæ quæ erat in conſpectu ſepimenti condecentis*. Quidam, *In proſpectu periboli decenter factæ*. Nonnulli, *Ante ſepem aptiſſimam*. Alij, *Ante maceriam congruam*. Hiſpanica tranſlatio, *Delante el muro hermoſo. Guedereth* tantum hoc loco occurrit, certumq. eſt ſignificare maceriam, ſepem, ſeptum, parietem, interſtitium maceriæ, murum, peribolum, &c. *Haghinah*, vero alibi non inuenitur; Rabbi Ionah, & omnes Hebræi conſentiunt ſignificare, rectum, directum, congruum, aptum, decens, elegans, pulchrum: verboq. *Hagan*, in ea ſignificatione ipſi in Rabbinico ſermone ſæpius vtuntur: vt Paradiſus *Gan*

חגן

dicatur,

dicatur, quòd ſit locus rectè, decenter, eleganterq. aptatus, & ad omnem pulchritudinem compoſitus, ſelectus, ac ſeparatus.

Nobis haud diſplicent quæ Annotatores Complutenſes in Lexico hiſce verbis perſcribunt: Dicunt Hebræi quod *Haguinab* ſignificat rectum ſiue directum. Tamen ſi illa particula ה *Ha* eſſet articularis, tunc dictio *Guina* ſignificat hortum ſiue pomarium; & tunc poterit eſſe talis littera; ſcilicet, Quæ via erat ante veſtibulum, ſiue ante peribolum horti, ſiue pomarij per viam Orientalem ingredientibus. Alij vero dicunt, quòd prædicta dictio deriuatur à dictione *Nagan*, quæ ſignificat canere vel pſallere, & legunt: Quæ via erat ante peribolum, vel clauſuram organizationis, vel cantici. id eſt, vbi Leuitæ canebant laudes Deo. Et huius opinionis eſt Nicolaus de Lyra, cui concordat Translatio Chaldaica.] Hæc illi. Chaldæus quidem habet: *Ante thalamum*, ſeu ſuggeſtum, *Leuitarum*. Illud Lyrani vt alienum à Grammatica ratione quibuſdam non probatur. Septuaginta vertentes: *Oſtia à principio deambulacri vſque ad luminare ſpatio calami, vt ad Orientem iretur per ea.* quid iſta ſua translatione exprimere voluerint, non modo ingenium defatigabimus, præſertim quòd certum ſit eos in multis haberi deprauatos. Sed verborum Ezechielis ſenſus de ratione ſymmetriæ nequit nunc à nobis pro dignitate tractari, qui plura velit, adeat eruditum Patrem, amicum noſtrum Ioannem Baptiſtam Villalpandum Tomo 2. Explanationum in Ezechiel. Cap. 42. Lib. 4. נגן

De nomine פרדס Pardes, *vnde Paradiſi vox effluxit.* Cap. III.

REperitur *Pardes* tribus tantum locis in Scriptura, Canticor. 4. 13. *Emiſſiones tuæ*, propagines quas emittis, plantæ, rami; Rab. Scelemoh, areas; alij, pomaria, vel viridaria, *Pardes*, *Paradiſus malorum punicorum*. Eccleſiaſtæ 2. 5. *Feci mihi hortos*, & *Pardeſim*, Septuag. paradiſos, *pomaria*, Nehem. 2. 8. *Et epiſtolam ad Aſaph cuſtodem Pardes*; paradiſi, ſaltus Regis, *vt det mihi ligna, vt tegere poſſim portas templi, turres domus, & muros ciuitatis.* Aben-Ezra in Comment. Canticor. 4. v. 13. ait: *Pardes* eſt viridarium vnius modi & generis arborum ſimile horto lingua Iſmahelitica.] ſeu Arabica. Iſtud alij non probant. [a] Kimchius in Radicibus inquit: *Pardes* eſt hortus conſitus arboribus eſus.] quidam intelligunt fructiferas; at malim veſcas. Sanctes, Marinus, & alij, hortum domeſticarum arborum putant. Nonnulli notãt [b] *Gan* eſſe nomen generale cuiuslibet horti, *Pardes* vero eſſe ſpeciale, vt ſi pomarium aut viridarium dicas, Hiſpanice *Vergel*, *Iardin*. Quamuis negari non poſſit, ſignificare quoque ſaltum, ſiluam, nemus procerarum & cæduarum arborum ad materiam ingentium ædificiorum, vt in loco Nehemiæ nuper vidimus; niſi velimus ſiluam illam regis cum horto fuiſſe coniunctam, vt paſſim per Hiſpaniam, & Italiam videmus, ad delitias principum. Elias Leuites in Tisbi, cui ferme omnes aſſentiuntur, exiſtimat, vocem Paradiſi Græcis & Latinis vſitatam ex Hebraico *Pardes* luxato effictã & efformatam. Iulius Pollux Lib. 11. Onomaſtici exiſtimat Paradiſum Perſicum eſſe vocabulũ, nam Xenophon in Cyropædia hęc habet: Hortos, quos Perſæ

פרדס QVID PARDES.

פרדסים

[a] *Genebrad. in Cantic. 4. v. 13.*

[b] *Mercerus, & Bertramus è Forſter. in Theſauro Hebraico.*

VOX PERSICA.

Perſæ paradiſos vocant.] Quadrata forma nec vllam in lingua ſancta habens originem, externam potius quàm Hebraicã arguit dictionem: niſi velimus

פרד פרח

dictam à *Parád* & *Para;* nempe quòd ſit locus ſeparatus, ſelectus, arboribus frugiferis conſitus: ſed vnde ס *Samech* Vtcũq. ſit, Græcos occultata vel Hebræa vel Perſica origine ſuam feciſſe vocem, & quaſi lingua ſua compoſitum nomen efformaſſe conſtat: vnde ei Græcos etymos vt ab irrigando, aut ab herbarum collectione affinxerunt. Eſtq. illis, vt etiam Latinis, in quorum coloniam iam idem nomen tranſiuit, hortus, pomarium, viridarium arboribus præſertim fructiferis varij generis ad omnem amœnitatem conſitus, qualem in Africa fuiſſe hiſce verbis Procopius lib. 2. Belli Vuandalici deſcribit: Ibi regia Principis Vuandalorum ſita erat, & omnium quos ipſe viderim pulcherrimus paradiſus; nam & fontibus, totus erat irriguus, & nemora vndequaq. vireſcebant. Arbores autem pomis erant onuſtæ, adeo vt ipſi milites defixis late ſub arboribus tentorijs, inde poma decerperent.] Hęc ipſe.

PARADISVS VNDE.

a Suidas, & Græca Lexica.

a Porro apud Perſas, & Græcos ſignificaſſe quoq. Paradiſum locum ſepto munitum, vbi fera animalia incluſa coercerentur, quæ viuaria nuncupant, Philoſtratus in Vita Appollonij teſtatur his verbis: Cum rex Damis ad venandum iturus eſſet ad loca paradiſorum, vbi leones, vrſos, pantheraſque claudere Barbaris moris eſt, &c.] Et A. Gellius Lib. 2. Noct. Att. C. 20. Viuaria autem quę nuc vulgus dicit, quos paradiſos, ideſt, hortos Græci appellant.] & poſt pauca: Roboraria aliquot Romæ doctos viros dicere audiui id ſignificare, quod nos viuaria dicimus, appellataq. eſſe à tabulis roboreis quibus ſepta eſſent.] Hęc Gellius.

Vſurpatio & vſus huius vocis PARADISVS, *in ſacris Litteris.* Cap. IIII.

QVID PARADISVS IN SCRIPTVRA.

INuenitur hæc vox aliquando vniuerſe poſita pro quouis amœno & delitioſo horto, vt in locis Eccleſiaſtæ & Canticorum ſuperiori Capite deſcriptis. Aliàs vero ſumitur pro ſingulari illo & præ ceteris eximio horto quem Deus omnium pulcherrimum ab exordio rerum in Oriente conſeuit: de quo Moſes 2. & 3. cap. Geneſis admirandam, omnibusq. peruulgatam hiſtoriam texuit: *Plantauerat, Dominus Deus Paradiſum Voluptatis à principio: in quo poſuit hominem quem formauerat. &c.* Et Ezechiel. 31. 8. *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei: Omne lignum Paradiſi Dei non eſt aſſimilatum illi, & pulchritudini eius.*]

SODOMA CVR PARADISVS DICTA.

Locum vero illum Geneſ. 13. 10. *Eleuatis itaque Lot oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur antequam ſubuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, ſicut Paradiſus Domini.* Quidam de Paradiſo illo ſingulari Moſaico intelligunt, vt Acatius, S. Auguſtinus, Moſes Barcepha, & alij: q. d. fertilitate, amœnitate, pulchritudine quodammodo ſimilis erat Paradiſo illi voluptatis, quem à Deo initio mundi plantatum Moſes deſcribit. Alij tamen nomine paradiſi generaliter quemuis hortum delitioſum interpretantur, ac ſi dicat: amœnitate certare terra illa poterat cum quouis horto quantumuis pulchro, & florido. Eſt enim Hebraiſmus, *Paradiſus*

Domini,

Domini, hoc eſt, hortus amœniſſimus, ornatiſſimus, delicatiſſimus admirebilem in modum. Siquidem Dei nomen adiunctum, ritu Hebraicæ linguæ, auget, & intendit ſignificatum: ſic in Scriptura dicuntur *Sagittæ Dei*, ideſt, velociſſimæ, *Cedri Dei*, altiſſimæ, *Montes Dei*, celſiſſimi, *Exercitus Dei*, numeroſiſſimus, & validiſſimus, & alia eiuſmodi occurrunt exempla frequentia. Porro pulchritudinem & opulentiam illius tractus nedum Sacræ, ſed & humanæ hiſtoriæ mirum in modum prædicant, ſeorſim Ioſephus Lib. 5. Belli Iudaici C. 5. Cornelius Tacitus Lib. 5. Hiſtoriar. & alij.

Denique Paradiſus in Scriptura capitur pro cælo Empyreo, ſeu ſuprema Sanctorum beatitudine, in qua ex Dei viſione ſummo gaudio & voluptate beati fruuntur, vbi omne bonum ac pulchrum, omnium ſpiritalium delitiarum theſaurus congeſtus amicis Dei ſeruatur: cuius terrenus ille Paradiſus humanæ innocentiæ à Deo in hac vita deſtinatus locus, typus ac figura, & veluti prægustamentum extitit. Sic Apocalyp. 2. v. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* Et Paulus 2. Corinth. 12. 4. ait ſe *raptum in Paradiſum.* & quid nomine Paradiſi intellexerit, prius iam Verſ. 2. expoſuerat, cum dixit, ſe *raptum vſque ad tertium cælum.* Sed quid per tertium cælum Apoſtolus intellexerit, multi diſquirunt, & plura Interpretes congerunt. S. Methodius apud S. Epiphanium Hæreſi 64. & ipſe S. Epiphanius in Anchorato, & in Epiſt. ad Ioannem Ieroſolymitanum Epiſc. Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo C. 6. Paradiſi nomine verum & corporatum Paradiſum voluptatis in Oriente plantatum, intellectum hic à Paulo volunt, ac diuerſum longe à ſupremo cælo locum: putantq. Paulum aſſeruiſſe ſe in diſtincta loca raptum, & in tertium cælum, & in terreſtrem Paradiſum; & aliam in cælo, aliam in Paradiſo habuiſſe reuelationem. Tu ipſos adito fuſe ſuam ſententiam explicantes. Reijcit iſtorum expoſitionem S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 7. in Hexaemeron inducens verba S. Iuſtini Martyris, & S. Ambroſij, ſic dicens: Quis autem, inquiunt, mentem habens diuina ſapientem, dixerit in cucumerarij ligone ac ſecuri quæ conueniunt olitoribus, in cælos curſum dirigentem ad volatum, traductum eſſe Paulum? & quæ neque in ſecundo, neque in tertio cælo verba inuenit ineffabilia, ea in terreno agro aquis irrigato myſtice eſſe enunciata à puro & diuino ore Chriſti?] Hæc illi. Claudianus Mamertus Viennenſis Epiſcopus Lib. 1. de Statu animæ, multis conatur oſtendere Primum cælum eſſe hanc machinam cæleſtem corpoream & aſpectabilem; Secundum, Creaturam ſpiritalem, & corporis expertem, vt Angelos: Tertium vero Cælum eſſe ipſum ſummum & incorporeum creatorem omniũ Deum, ad quẽ Paulus ſe raptum affirmat.

LOCVS PAVLI DE PARADISO.

S. Thomas Theologiæ lumen non paucas adducit explicationes 1. Cælum primum, Aereum: ſecundum, Sidereum: tertium, Empyreum. 2. Primum cælum, ſidereum; ſecundum, aqueum; tertium Empyreum. 3. Primum cælum, viſio corporea ſupernaturalis, vt viſa manus ſcribentis in pariete Daniel. 5. 5. ſecundum, viſio imaginaria, vt multæ Prophetarum; tertium viſio intellectualis, quæ interpretatio eſt S. Auguſtini Lib. 12. ſuper Geneſ. ad litteram, Cap. 28. 4. Primum cælum, cognitio cæleſtium corporum; ſecundum, cognitio cæleſtium ſpirituum; tertium cognitio ipſius Dei. 5. Primum cælum, cognitio Dei quam habent Angeli infimæ Hierarchiæ; ſecun-

B dum,

dum, quam habent Angeli mediæ; tertium, quam habent Angeli ſupremæ Hierarchiæ. Hæc S. Thomas 2. 2. Q. 175. Art. 3. ad 4. Vide de his latius S. Auguſtinum Lib. 12. de Geneſ. C. 34. 35. 36. 37. Theophylactus Primum cælum intelligit cognitionem morum; ſecundum, cognitionem naturæ totius; tertium, cognitionem diuinorum & ſupernaturalium. Theodoretus hæc ait: Illud autem, vſque ad tertium cælum, nonnulli quidem dixerunt eum dixiſſe, per tertiam partem diſtantiæ à cælo ad terram ſe fuiſſe quidem ſubuectum, & arcana verba audiuiſſe.] Hæc ille. Quidam tertium cælum, ſacram Triadem interpretantur.[a] Vulgus Explanatorum Primum cælum, aerem ipſum ſeu firmamentum, quod cæli nomine in Scriptura ſæpius cenſetur, exponit;[b] ſecundum, totum corpus orbium cæleſtium, qui ſecundum communiorem ſententiam ſunt decem; tertium, Empyreum.

a Antonius Sadinus in Annotat. in 2. Corinth. 12. b Gene. 1. 8. 26. c Pſal. 03. 2.

TRES CAELI QVINAM.

Franciſcus Forerius in Iſai. 40. v. 22. tres iſtos cælos expendens ex initio Geneſis, & locum illum. C. primi elucidans, *Fiat* extenſio, ſeu expanſio, vel *firmamentum in medio aquarum*, ita diſſerit: Ergò cum initio Deus mundum crearet, primo ſupremum cælum ſimul cum terra, & abyſſo, ideſt, immenſa aquarum mole, quæ quidquid erat inter cælum illud, & terram occupabat, eum feciſſe non dubito: deinde iuſſiſſe, vt in medio aquarum fieret expanſio quædam, & ſpatium, aeris nimirum, ætherisq. regio, quæ eſſet media inter aquas & aquas: nam ex aquis factos cælos, qui ſub alio cælo primo ſunt, exiſtimo; qui aquarum nomine in Scripturis appellantur: iſtæ enim ſunt aquæ ſuper cælos: nam ſuper aerem, & expanſionem illam ſunt, quæ etiam cælum dicitur. Hoc mihi manifeſte confirmant verba Dauidis, qui in Pſalmo, vbi ordine creationem rerum attingit, dicit Deum extendiſſe cælum ſicut pellem, ideſt, tentorium, quando videlicet interuallum, & aeris extenſionem fecit aquarum rarefactione: cuius tentorij ſuperiora dicit operuiſſe aquis, ſeu contignaſſe, quaſi huic mundi tabernaculo, ceu ampliſſimæ domui, pro tecto dederit aquas, non quidem fluidas, ſed conſtipatas & condenſatas, atque in ſolidiſſimam naturam conuerſas. Vt iſti omnino ſint cæli, quos Petrus ex aquis extitiſſe dicit; & forte qui in die Iudicij ſunt calore ſoluendi.

Eſt itaque triplex cælum, vt mea fert ſententia, aereum, primum, quod aquas atque terram ambit: poſt hoc eſt cælum ex aquis genitum, & in orbes illos quos Aſtrologi agnoſcunt, diuiſum: tertium demum, quod eſt ſedes beatorum, ad quod Paulus ſe raptum fuiſſe commemorat: quod cælum cæli dicitur, ſeu cæli cælorum: in Hebræo enim non niſi numero multitudinis dicitur cælum, & proprie cælum, quodque primo cælum dictum fuit: quo nomine poſtea ſecundum, & primum dicti ſunt. Hunc ordinem videtur Dauid ſignificaſſe, quando Pſalmo 148. ordine creaturas ad Deum laudandum inuitans, primo Angelos, & Spirituum exercitus ex cælis prouocat ad laudes Dei; deinde cælos cælorum, ideſt, ſupremum cælum; ſubinde aquas quæ ſuper cælos ſunt, ideſt, cælos ex aquis factos, qui aereum cælum operiunt. Quem etiam ordinem tres pueri in ſuo Cantico ſeruarunt. Hæc mihi videtur de hac re ſimpliciſſima, & clara ſententia, quam qui voluerit tueri, facile ſe ab omnibus, quæ obijci ſolent difficultatibus expediet, quibus inuoluuntur, qui aquas elemētales ſuper cęlos collocant, quorum

rum opinionem ſuperioribus diebus doctè confutauit Hieronymus Magius Anglarenſis in Libris de Conflagratione Orbis.] Hactenus Forerius. Cuius verba idcirco deſcripſimus, ſi forte cui placuerit noua & ſingularis expoſitio initij Geneſeos; nam quædam in ea eſſe à Theologorum ſchola, & Interpretum Geneſis explanationibus aliena, non eſt dubium: quamuis in eo quod ait Cæleſtes omnes Orbes præter cælum Empyreum, ex aqua concreta & ſpiſſata fuiſſe ad modũ chryſtalli vel æris terſiſſimi compactos, plurimos habeat Auctores, Ioſephum Lib. 1. Antiq. C. 1. Nouatianum Lib. de Trinitate Cap. 8. S. Cyrillum Ieroſolymit. Catecheſi 3. & 9. S. Anaſtaſium Sinaitam Lib. 2. in Hexaem. Theodoretum Quæſt. 11. in Geneſ. Gennadium & Seuerianum in Catena Græca in Geneſ. Procopium, in 2. Geneſ. Auctorem apud S. Clementem Lib. 2. Recognitionum, S. Bedam in ſuo Hexaemero, Petrum Lombardum Lib. 2. Sent. Diſt. 14. Petrum Comeſtorem Lib. 1. C. 4. Hugonem Victorinum Lib. Annotation. in Geneſim, Scholia Græca Oecumenij in 2. Petri 3. & alios Recentiores: [a] quãuis hi ſecus quàm Forerius, Firmamentum, ipſos cælos ex aquis conflatos intelligant. At de his, quoniam hic locus non eſt, ceteris vberius differentes adito Benedictum Pererium in 1. Geneſ. & Aſcanium Martinengum in Gloſſa magna. Iam ad noſtra.

NVM CAELI EX AQVA CONCRETI.

[a] Oleaſtrius in 1. Gen. Steuchus in Coſmopœia, Lippomanus in Catena Geneſ. 1

Quonam autem ſignificato vox Paradiſi Eccleſiaſtic. 44. v. 16. & Lucæ 23. v. 43. accipiatur Lib. 9. de Antichriſto Cap. 4. diſſeruimus, & inferius Cap. 88. & 91. copioſius adhuc excutiemus. Nec porro illud omittimus, Paradiſum quoque appellatam vrbem in Cœle-Syria, cuius meminerunt Ptolemæus in 4. Aſiæ Tabula, Strabo Lib. 16. & Plinius Lib. 5. C. 23. eodemq. nomine nuncupatum Ciliciæ fluuium apud Plinium Lib. 5. C. 27. Verum in ampla iſta quam exorſi ſumus tractatione, de Paradiſo illo dumtaxat à Deo initio rerum creationis plantato, loco humanæ felicitatis deſtinato, quem Moſes 2. & 3. Cap. Geneſis fuſa oratione deſcripſit, acturos nos accuratè recipimus.

Quorundam error, Paradiſum Voluptatis non fuiſſe reuera locum corporeum ac terrenum. Cap. V.

NON defuerunt qui totam illam Moſis de Paradiſo Voluptatis narrationem, de eius fluminibus, de arbore vitæ &c. non ſimplicem realem, ac hiſtoricam, ſed myſticam & allegoricam tantum fuiſſe contenderint: ac plane Paradiſum illum à Moſe deſcriptum non fuiſſe corporeum aliquẽ in terra locum, vel hortum, ſed ſpiritalem & allegoricum; quam tamen Paradiſi allegoriam varie diuerſi pro cuiusq. ſenſu enodauerint. Inter Chaldaica præcepta hoc extat: *Quære Paradiſum.* [b] Quod explicans Michael Pſellus Græcus Auctor hæc ait: Chaldaicus ille Paradiſus eſt vniuerſus diuinarum virtutum, quæ circa Patrem ſunt, chorus, pulchritudineſq. igneæ promanationum à mundano Opifice. Aditus autem eius per pietatem eſt bonorum participatio. Flammeus autem gladius eſt inexorabilis potentia ijs qui indigne accedunt. Et ijs quidem clauditur,

ALLEGORICI PARADISI ASSERTORES.

[b] Not. Steuchus in Annotat. in 1. Geneſ.

quòd digni non ſint: patet vero pijs; dignos enim tanta re pietas eos reddidit. Quem ſpectant omnes virtutes, quæ diuinos efficiunt homines.] Hæc Pſellus. Qui rurſus explicans Chaldaica præcepta quæ eum inſtituunt,

Qui ſacrum cupiat Superum Paradiſum adire;

ſic inquit: Sacer Paradiſus non eſt is quem Moſis Liber deſcribit: ſed pratum ſupernarum contemplationum, vbi variæ inueniuntur virtutum arbores. Lignum quoque ſciendi bonum ac malum, ſcilicet iudicandi prudentia, quæ bonum à prauo ſeiungit. Lignum etiam vitæ ibidem inuenitur, nimirum planta diuinioris illuſtrationis, quæ vitalem fructum parit animo. In hoc igitur Paradiſo & virtus & ſapientia, & optimus Reipublicæ ſtatus eſſe perhibentur.] Hactenus Pſellus. Forſan Chaldæi corporatum Paradiſum non negarunt, ſed eius myſterium & allegoriam explicantes, cæleſtem Paradiſum indicarunt.

PHILO. Philo Libro de Opificio Mundi, recitata vniuerſa Moſis de Paradiſo ſententia, hæc ſubdit: Hæc potius ſymbolice quàm reuera & proprie videtur mihi Moſes philoſophatus. Siquidem arborem vitæ, & arborem cognoſcendi par eſt numquam vel antea vel poſt è terra pullulaſſe: ſed videtur per Paradiſum quidem innuere animi principatum, qui quaſi infinitarum arborum, variarum opinionum eſt plenus. Per arborem autem vitæ innuere pietatem, quæ maxima eſt omnium virtutum, per quam anima efficitur immortalis. Arbor autem dignoſcendorum bonorum & malorum, deſignat illi prudentiam in medio poſitam, qua naturæ contraria dijudicantur. Poſitis his igitur terminis in animo, tamquam iudex contemplabatur, in quam ſe rapi partem permitteret. Vt vero aſpexit in ſcelus quidem inclinantem, pietatem autem & ſanctitatem, ex quibus immortalis efficitur vita, contemnentem proiecit vt par erat, & fugauit è Paradiſo, vt ne ſpem quidem redeundi reliquam ei faceret. Immedicabilia, & irreparabilia dans præuaricanti animæ. Ea enim deceptionis occaſio vel excuſatio fuit non mediocriter deteſtabilis.] Hæc Philo, quæ etiam Lib. 1. Allegoriarum repetit.

De Valentinianis hæreticis S. Irenæus Lib. 1. C. 1. hæc ſcribit: Quemadmodum & Paradiſum ſupra tertium cælum exiſtentem virtutem Archangeli Nun dicunt eſſe: & ab hoc aliquid accepiſſe Adamum conuerſatum in eo.] Pamelius [a] exiſtimat legendum: Virtute Angelum quartum dicunt eſſe.] Tertullianus in eoſdem Valentinianos inuectus Cap. 20. inquit: Sicut & Paradiſum Archangelum quartum, quoniam & hunc ſupra cælum tertium pangunt, ex cuius virtute ſumpſerit Adam, diuerſatus illic inter nubeculas, & arbuſculas. Satis meminerat Ptolemæus puerilium dicibulorum in mari poma naſci, & in arbore piſces, ſic & in cæleſtibus nuceta præſumpſit. Operatur Demiurgus ignorans, & ideo fortaſſe non ſcit arbores in ſola terra inſtitui opportere.] S. Epiphanius Hæreſi 31. de eiſdem Hæreticis ait: Paradiſum, qui ſupra tertium cælum eſt, quartum Angelum virtute ac potentia eſſe dicunt: & ab hoc aliquid accepiſſe Adamum, conuerſatū in ipſo.]

[a] Pamelius in Notis ad Lib. Tertulliani contra Valentinian. Num. 246.

Videntur Valentiniani ex verbis Pauli perperam intellectis 2. Corinth. 12. quibus Verſ. 2. ait ſe raptum in tertium cælum, & Verſ. 4. addit ſe raptum in Paradiſum, exiſtimaſſe locum quempiam diuerſum à tertio cælo fuiſſe Paradiſum, & iſtum illo ſuperiorem.

S. Au-

S. Auguſtinus Libello de Hæreſibus Cap. 59. Seleucianis & Hermianis hæreticis tribuit, quòd Paradiſum viſibilem & aſpectabilem ſuſtulerint.

Origenes Lib. 4. Periarchon Cap. 2. plura coaceruans exempla earum rerum quarum in Scriptura ſacra non eſt quærenda vera, & realis hiſtorica narratio, ſed ſola myſtica & ſpiritalis intelligentia, inter ceteras, Paradiſum voluptatis collocauit, ſic dicens: Quis vero ita idiotes inuenitur, vt putet velut hominem quendam agricolam Deum plantaſſe arbores in Paradiſo in Eden contra Orientem, & arborem vitæ plantaſſe in eo, ideſt, lignum viſibile & palpabile, ita vt corporalibus dentibus manducans quis ex ea arbore vitam percipiat: & rurſus ex alia manducans arbore boni & mali ſcientiam capiat? Sed & illud quod Deus poſt meridiem deambulare dicitur in Paradiſo, & Adam latere ſub arbore boni & mali, equidem nullum arbitror dubitare quod figurali tropo hæc à Scriptura proferantur, quo per hæc quędam myſtica indicentur.] Hæc Origenes: cuius inter alios hunc etiam fuiſſe errorem quòd Paradiſum ſpiritalem agnouerit, corporeum omnino negauerit, S. Epiphanius in Anchorato ita prodit: Multi de Paradiſo allegorice accipiunt, velut phanaticus Origenes voluit imaginationem magis, quàm veritatem in mundum introducere, & ait: Non eſt Paradiſus in terra.] Et in Epiſtola ad Ioannem Ieroſolymitanum Epiſcopum inquit: Quis autem patienter ferat Origenem lubricis argumentationibus reſurrectionem carnis huius negantem, aut quis audiat in tertio cælo donantem nobis Origenem Paradiſum: & illum quem Scriptura commemorat, de terra ad cæleſtia transferentem, & omnes arbores, quæ ſcribuntur in Geneſi, ſic allegorice intelligentem, quòd ſcilicet arbores Angelicæ fortitudines ſint, cum hoc veritas non recipiat?] Hæc & alia de Origenis errore tollentis Paradiſum terreſtrem, S. Epiphanius ſcribit.

ORIGENES NEGAT PARADISVM CORPOREVM.

S. Hieronymus Epiſt. 61. inter alios Origenis errores recenſet: Sextum, quòd ſic Paradiſum allegorizet, vt hiſtoriæ auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes cæleſtes intelligens; totamq. Paradiſi continentiam tropologica interpretatione ſubuertat.] Tantum ille.

VINDICANTVR PATRES.

Quidam [a] exiſtimarunt S. Ambroſium nonnullam eiuſdem de allegorico Paradiſo ſententiæ ſuſpicionem præbuiſſe. Alij eandem notam S. Hieronymo inurere tentarunt. Verum cum vtrumq. S. Patrem ab ea calumnia Recentiores eruditi [b] egregie vindicarint, ad eos miſſo Lectore, noſtram, quia opus non eſt, ſubtrahimus operam.

Franciſcus Georgius Venetus patrum memoria extinctam iam Origenis de allegorico Paradiſo phantaſiam reuocare in lucem conatus, prolixis diſputationibus corporeum Paradiſum euulſit, vt myſticum ſolum conſereret: quem ex nudis allegorijs panxit. [c] Sunt iam tam abſona iudicio Cenſorum fidei ex Libris eius deraſa.

[a] Pererius Lib. 3. in Geneſi. Quaſt. 1. de Paradiſo, Valentia 1. P. Quæſt. 6. de Paradiſo Puncto 1. Cumel 1. P. Q. 102. Art. 1.

[b] Sixtus Lib. 5. Biblioth. Annot. 35. & 37. Bellarminus Lib de Gratia primi Hominis. Cap. 11. Ban. 1. P. Q. 102. Art. 1.

[c] Franciſc. Georgius Tom. 1. Problematum à 1. Problem. ad 48. & in Harmonia Mundi Cantic. 1. Tom. 7. C. 21. & 22.

Paradi-

Paradiſum Voluptatis fuiſſe locum reuera corporeum, ac terreſtrem; probatur primum ex verbo Dei. Cap. VI.

HISTORIA GENESIS ADSTRVIT PARADISVM CORPOREVM.

DIVINVS Moſes Geneſ. 2. & 3. ita totam Paradiſi hiſtoriam exponit, vt hebes nimium ac delirus, imo ſenſu communi deſtitutus fuerit, qui non agnoſcat, Paradiſum, arbores, flumina ex ipſo emanantia reipſa corporea extitiſſe: & vt multa Paradiſi omittamus, quæ peruicax ſciolus contentioſius ad allegorias, hiſtoria extincta, poſſet male detorquere: at quòd inter quatuor ex Paradiſi fonte profluentes amnes Tygris & Euphrates a Moſe recenſeantur, qua fronte quis flumina iſta reuera corporea negare poterit, cum extra omnem controuerſiam ſit, etiam num hodie Meſopotamiam efficere, fluere, terras alluere, & fuiſſe ſemper Auctorum omnium fide, luſtrantium viſu, & ſenſu, potuque corporeo celebrata?

Deinde eodem tenore narrationis deſcribit Moſes rerum creationem, opera ſex dierum, humani generis vtriuſq. ſexus productionem, & Paradiſi plantationem, in quo ait poſitum hominem; at illa omnia vere & realiter ſunt creata, homo terrenus & corporeus conditus, cur ergo quæ de arboribus & fluminibus Paradiſi in quo poſitus eſt Adam, Scriptura commemorat, myſtice tantum & allegorice, & non potius reipſa facta intelligemus? Nam canon Scripturarum eſt apertiſſimus, omnium ore laudatus, cum verba ſacri Sermonis proprie & vere accipi poſſunt, inepte & pernicioſe ad allegorias nudas abduci. Sanè quæ contra verum & corporatum Paradiſum ab aduerſarijs ſunt obiecta, habita ſunt ſemper futilia & momenti nullius, ac reſponſione prorſus indigna.

ET LOCVS GENES. XIII. Inſuper Geneſ. 13. ver. 10. Comparatur regio circa Iordanem in pulchritudine & amœnitate Paradiſo Domini: *Sicut*, inquit, *Paradiſus Domini, & ſicut Aegyptus venientibus in Segor.* Cum Iordanis regio corporea Paradiſo Domini conferatur, inepta videretur collatio, cum re ſpiritali; eſt ergo Paradiſus res corporea, ſicut Aegyptus, cui quoq. aſſimilatur.

E PATRVM SENSV. Iam ſuperius Cap. 4. docuimus, quam hic apte Paradiſus Domini intelligatur ille Voluptatis. Sed audiamus S. Auguſtinum mirifice hunc locum pro terreſtri Paradiſo adducentem Quæſt. 27. in Geneſ. Quòd terra Sodomorum & Gomorrhæorum comparatur Paradiſo Dei, eo quòd erat irrigua vt terra Aegypti, quam Nilus irrigat; ſatis, vt opinor, oſtenditur quomodo intelligi debeat ille Paradiſus quem plantauit Deus, & vbi conſtituit Adam. Quis enim alius intelligatur Paradiſus Dei, non video. Et vtiq. ſi arbores fructiferæ in Paradiſo, virtutes animæ accipiendæ ſunt, ſicut nonnulli exiſtimant, nullo corporali in terra Paradiſo veris lignorum generibus inſtituto, non diceretur de iſta terra; Sicut Paradiſus Dei.]Sic ille. Et Moſes Bar Cepha Lib. de Paradiſo Parte 1. Cap. 1. in eandem S. Auguſtini ſententiam ita diſſerit: Corporeum fuiſſe Paradiſum, ſatis clare etiam Moſis verba teſtantur, dum in Geneſi ſic ſcribit: Et ſuſtulit Lot oculos ſuos, & vidit omnem terram Iordanis, quòd vniuerſa eſſet irrigua, priuſquam ſubuertiſſet Deus

Sodo-

Sodomam & Gomorrham, quaſi Paradiſus Dei. Non enim eum Paradiſum, qui in ſola mente verſetur, hoc eſt, incorporeum, contuliſſe cum regione Iordanis, ſed eum qui re ipſa exiſteret, corporatuſq. eſſet, exiſtimandus eſt.] Hæc Moſes. Similia Acatius, cuius verba habes Capite ſequenti. Denique ſi tam plenam longamq. de Paradiſo narrationem a Moſe inſtitutam liceret vniuerſam ſub ſola allegoria traducere, nimium ampla aperiretur feneſtra, plures veras hiſtorias in Scriptura deſcriptas ad myſticos ſolummodo ſenſus, reiecta rei veritate, relegandi; maximaq. rerum confuſio ac perturbatio oriretur. Cur enim & creationem mundi, cæli terræq. herbarum, animantium, aquatilium, auium &c. non eodem pacto petulans quoduis ingenium fanaticis allegorijs corrumpat, cum eodem ductu orationis & illorum & Paradiſi productio à Moſe commemoretur?

VERBA SACRA DE PARADISO EXPENDVNTVR.

Sed excutiamus tantiſper verba Moſis de Paradiſo, quæ eum corporeum, ac terreſtrem omnino conuincunt. Primum ait, plantatum in Oriente, vt ſuo loco abunde monſtrabimus, hoc eſt, in Orientali parte mundi, quæ reuera corporea eſt. Secundo Geneſ. 2. 9. *Produxitq. Dominus Deus* (in eo) *de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in medio Paradiſi, lignumq. ſcientiæ boni & mali.* Si Paradiſi arbores de humo, de terra productæ ſunt, quanam ratione non erunt corporeæ, & Paradiſus non erit locus terreſtris? Abrumpit profecto locus iſte omnem patientiam aduerſus allegoricos Paradiſi conditores, qui vim adeo manifeſtariam ſacris inferant verbis. *De humo*, inquit, quid clarius? Tertio fluuium, ait, irrigaſſe totum Paradiſum, nempe vt hortum irriguum, qui aquarum diuergijs irrigari ſolet. Quarto, inde, addit, diuidi in quattuor flumina, & Phiſon circumire: *Omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.* Verum & reale igitur flumen illud Paradiſi fuit, cuius vnum brachium Phiſon vere & corporee per terram Heuilath fluat: eſt ſane in terra, & vere terram ſuis aquis alluit: aurum illud aſpectabile eſt, & bdellium, & lapis onychinus, omnia corporea, et in terra Heuilath naſcentia.

Quinto aſſerit Geon circuire omnem terram Aethiopiæ, hæc quidem corporea et viſibilis eſt: omittimus de Tygri et Euphrate dicere, quos veros et ſenſibiles fluuios eſſe, qui nolit credere, ſuo abſq. inuidia fruatur ingenio. Sexto de arbore ſcientiæ boni et mali, qua erat in Paradiſo, autumat Moſes Geneſ. 3. 6. *Vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq. delectabile, & comedit, &c.* Potuitne clarioribus verbis fructum arboris aſſeruiſſe corporeum, quàm à ſenſu viſus, guſtus, et tactus? Verum hæc iam ſatis: quibus ſi non perſuadentur allegorici Paradiſi plantatores, nullis alijs poterunt.

Traditio Patrum Paradiſum locum eſſe corporeum. Cap. VII.

SAnctus Theophilus Antiochenus Epiſcopus Lib. 2. ad Autolycum inquit: Verum vt ſciamus Paradiſum eſſe terram, & ſuper terram excultam, docemur à Scriptura ſacra, quæ inquit: Et plantauit Deus Paradiſum in Eden, in regione Orientali: & in eo poſuit hominem. Et prodire fecit Deus ex terra omnem arborem pulchram viſu, & bonam ad comedendum. Quod igitur ait, Ex terra, & in Orientali plaga, &c. diſerte nos docet Scriptura ſacra Paradiſum eſſe ſub hoc cælo, ſub quo Oriens & terra conſpiciuntur.] Et antea dixerat: Condito homini Deus elegit regionem in locis Orientalibus amœnitate eximiam, lumine coruſcantem, & ſplendido aëre illuſtrem, plantis varijs fecundam. Et in hac collocauit hominem. Verum verba ſacræ hiſtoriæ ſic ſe habent: Plantauit inſuper Dominus Deus hortum in Eden ab Oriente, & poſuit illic hominem quem finxerat. Fecit enim germinare Dominus Deus de humo omnem arborem, quæ concupiſcibilis erat viſu, & commoda in cibum: & arbor vitæ erat in medio horti, atq. arbor ſcientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de Eden ad irrigandum hortum: & inde diuidebatur, & erat in quatuor capita. Nomen vnius Phiſon: ipſe eſt qui circuit totam terram Hauilach, vbi eſt aurum; & aurum terræ illius bonum. Eſt quoq. ibi bdellium, & lapis onychinus.] Hæc S. Theophilus.

S. Methodius Olympi Lyciæ Epiſcopus & Martyr ex profeſſo aduerſus Origenem corporeum Paradiſum ſuis allegorijs deſtruentem, ita diſſerit:

a Methodius apud S. Epiph. Hæreſ. 64.

a Primum enim Paradiſus, vnde in primo parente eiecti ſumus, ex hac terra palam locus eximius eſt, ad iucundam quietem & vitam meliorem Sanctis deſtinatus. Ab ipſo Tygris & Euphrates, & reliqui fluuij, qui illic profunduntur, hinc apparent fluxionum excurſus in noſtrum continentem inundantes. Non enim ex ſupernis de cælis effunduntur, ac eliduntur. Nam neq. ſuſtinere potuiſſet terra, vt tantam aquæ molem aceruatim ex alto delabentem ſuſciperet: neq. Adam ex cælis eiectus eſt, ſed è Paradiſo plantato in Edem iuxta Orientes.] Tantum ille.

GRAECI ET LATINI PATRES ASSERVNT CORPOREVM PARADISVM.

Acatius Cæſarienſis Epiſcopus in Catena Geneſ 2. Neminem puto dubitare, ne illum quidem, qui contumacior ſit, quin Paradiſus exiſtat ipſa re, neq. intellectui modo, quemadmodum nonnulli opinantur, ſed etiam ſenſibus pateat: cum quatuor ibi flumina oculis videre eſſet, & ſua quodq. appellatione notaretur. Quod ſi hęc corporea, nimirum & Paradiſus, qui irrigabatur ab illis, euidens & ex materia rerum. Porro ſi Paradiſus, item etiam & plantæ: ſi plantæ, & arbores: Lignum quoq. & ſcientiæ, & vitæ. Sed fuiſſe Paradiſum ſenſibus manifeſtum, id quod de Sodomis dicitur, perſuadere poteſt. Erat, inquit, tamquam Paradiſus Dei. Neque enim quod ad ſenſum pertinet, cum eo comparaſſet, quod eſt in intellectu: quomodo nullus etiam dicat, hoc pulchrum corpus, ſicut animus.] Hæc ille.

S. Ambroſius Lib. de Paradiſo Cap. 1. In hoc ergo Paradiſo Deus hominem poſuit, quem plaſmauit. Intellige quod non eum hominem, qui ſecundum

dum imaginem Dei eſt, poſuit, ſed eum qui ſecundum corpus : incorporalis enim in loco non eſt.]

S. Epiphanius multus eſt in confutando Origenis delirio, cuius verba Cap.5. poſuimus, ſed hæc in Anchorato addit: Si vero non eſt in terra Paradiſus, & non vera ſunt, quæ in Geneſi ſcripta ſunt, ſed allegorice accipiuntur; nihil eſt conſequentiæ, ſed omnia figurate dicuntur. In principio enim fecit Deus cælum & terram: & non ſunt figurate dicta, ſed viſibilia, & firmamentum, & mare, germinaq. ac ligna, & herbas, fœnum, animalia, piſces, volucres, omnia viſibilia in veritate facta, hominem in veritate quem fecit.] Hæc & alia S. Epiphanius, etiam in Epiſt. ad Ioannem Ieroſolymitanum Epiſcopum.

S. Hieronymus in Cap.10. Daniel. Verſ.4. Conticeſcant eorum deliramenta, qui vmbras & imagines in veritate ſequentes, ipſam conantur euertere veritatem, vt Paradiſum, & flumina, & arbores putent allegoriæ legibus ſe debere ſubruere.] Alia eius verba ſupra Cap.5. deſcripſimus.

S. Ioannes Chryſoſtomus Homil.13. in Geneſ. Ideo Moſes deſcribens Paradiſum, & nomen loci in quo erat, ſcilicet Heden, & plagam Orientalem quam ſpectabat, & nomina fluminum è Paradiſo egredientium fere nota omnibus, tam ſubtiliter & accurate enarrauit, vt non liceret nugari volentibus decipere ſimpliciores, dicendo nullum fuiſſe in terra Paradiſum, ſed in cælo, & alias fabulas ſuaq. ſomnia iactando. Nam ſi cum Moſes tantam in deſcribendo Paradiſo diligentiam poſuerit, nihilominus tamen fuere nonnulli fabulantes non fuiſſe ſuper terram Paradiſum, multaque alia à doctrina Moſis alieniſſima inducentes, & verba eius aliorſum quàm dicta ſunt, detorquentes; quid futurum fuiſſet, ſi non tam minutatim, tam dilucide, deniq. tam enucleate Paradiſum deſcripſiſſet?] Hæc ille.

S. Auguſtinus Lib.13. de Ciuit. Dei, Cap.21. poſtquam multis validiſq. rationibus eos confutaſset, qui Paradiſum corporeum negarent, ſpiritaliter tantum illum intelligentes, ſubdit: Hæc & ſi quæ alia commodius dici poſſunt de Paradiſo ſpiritualiter intelligendo, nemine prohibente dicantur, dum tamen & illius hiſtoriæ veritas fideliſſima rerum geſtarum narratione commendata credatur.] Et Lib.8. de Geneſ. ad litteram Cap.1. Tres ſunt de Paradiſo generales ſententiæ. Vna eorum qui tantummodo corporaliter Paradiſum intelligunt: alia eorum qui ſpiritualiter tantum: tertia eorum qui vtroq. modo Paradiſum accipiunt. Quam mihi fateor placere ſententiam.] Hactenus S. Auguſtinus.

Theodoretus Quæſt.25. in Geneſ. aduerſus Origenem propoſita huiuſmodi Quæſtione; Quinam in cælo Paradiſum eſſe dicunt? reſpondet: Cum diuina Scriptura dicat: Produxit etiam Deus è terra omne lignum viſu pulchrum & bonum ad veſcendum, nimis eſt improbum relicta ſpiritus doctrina, proprijs opinionibus adhærere.] Et Quæſt.29. aperte nimis Paradiſum in terra eſſe fatetur, & locum corporeum eſſe confirmat.

Sexta Synodus Generalis Conſtantinopolitana Actione 13. approbat Epiſtolam S. Sophronij recitatam Actione 11. in qua ipſe Patriarcha Ieroſolymitanus inter alios Origeniſtarum errores hunc etiam condēnabat: Quod extra paternam & Apoſtolicam traditionē Paradiſi plantationē proiecerint.]

S.Ioannes Damaſcenus Lib.2.de Fide Orthodoxa Cap.11. Quidam ſenſibilē Paradiſum imaginari ſunt:alij vero intelligibilem. Verum ego crediderim quemadmodū ſenſibilis homo & intellectualis ſimul conditus eſt,ad hūc modū & ipſius ſacerrimū tēplū ſenſibile ſimul & intelligibile fuiſſe.] Sic ille.

Anaſtaſius Nicænus Epiſcopus Quæſt.24 in Scripturam: Si non eſt Paradiſus in terra, & non ſunt vera quæ ſcripta ſunt in Geneſi, ſed dicta per allegoriam, nihil erit verum eorum quæ ſequuntur. Sunt enim omnia dicta per allegoriam. In principio enim, inquit, fecit Deus cælum & terram, & omnia. Nec ſunt allegorice dicta, ſed videntur. Et cum hominem qui eſt reuera, Deus feciſſet, poſuit eum in Paradiſo, iſq. comedit ex ligno. Paradiſus autem, inquit, eſt in Eden ad Orientem. Fons autem aſcendebat ex Eden. Non dixit autem, deſcendit, ne exiſtimaremus Eden eſſe in cælo. Nam ſi fuiſſet in cælo, fuiſſet ei dicendum quod deſcendit ex alto. Sed fluuius, inquit, egreditur ex Eden; & diuiditur in quatuor initia. Vni nomen eſt Phiſon, qui apud Indos quidem & Aethiopes appellatur Ganges: apud Græcos autem vocatur Indus; et ambit vniuerſam terram Euilat, paruamque et magnam Aethiopiam, partes Euilæorum. Euilæos enim dicit intimos Indos: tranſit autem magnam Aethiopiam, et cadit ad Auſtrum et Occaſum intra Gades in magnum Oceanum, qui circuit totam terram. Secundus autem Geon, qui et Nilus deſcendens in Aethiopiam, et tranſit paruam Aethiopiam; Anubitimq. ac Plenemmam, et Exomitim, & alluens partes Thebaidis, & Aegypti in hoc mare labitur. Si quis autem non credit, audiat Ieremiam dicentem: Quid nobis cum terra Aegypti, vt bibamus aquā Geon turbatam? Tertius autem eſt Tygris, qui labitur ex aduerſo Aſſyriorum, & diuidit partes Orientis, & terram ſubiens oritur ab Armenia per medium Cardienſium & Armeniorum, & rurſus emanat, & diuiditur in terra Aſſyriorum. Quartus autem Euphrates ſimiliter quoque terram ſubiens, aſcendit in Armenia alluens Perſidem. Si non eſt ergo Paradiſus ſenſilis in terra, omnino neque eſt fons, neque fluuius, neque quatuor initia, neque ficus, neque lignum. Si non eſt lignum, non eſt Eua, neq. Adam. Si non eſt Adam, non ſunt homines, ſed fabula eſt veritas: & ſunt omnia dicta allegorice, vt eſt ſententia inſani Origenis.] Hactenus Anaſtaſius: quæ omnia ex S.Epiphanio in Anchorato maiori ex parte deſcripſit.

S.Anaſtaſius Sinaita Antiochenus Epiſcopus Lib.7. in Hexaemeron cum hiſtoriam Moſis de Paradiſo myſtice fuiſſet interpretatus, iſta ſubiungit: Nobis autem hæc dicentibus de Paradiſo ſpirituali, ne glorietur incuruus Origenes tamquam recte ſentiens; ipſe enim anagogis & ſpiritualibus cōtemplationibus vſus inexplebiliter, omnes, quæ in ſex diebus factæ ſunt, creaturas deduxit per allegoriam ad fabuloſas tragœdias, Quo fit vt de cetero neceſſe habeat Eccleſia, quod attinet ad nugas & doctrinā Origenis, credere Dei eſſe creaturas mundum qui cernitur. Quamobrem iure quoq. Origenē Synodica deponens ſententia reiecit. Opportebat enim primum admittere hiſtoriam, quæ conuenit litteræ.] Et poſt alia: Quam quidem paternā ſententiā & de Paradiſo ſenſili traditionem recipimus, ſuſcipimus, & amplectimur. In hoc enim Opere nos præmunientes ſæpe diximus, quòd diuinæ Scripturæ hiſtoriam, quæ litteræ conuenit, non diſſoluimus, neq. ſanctorum Pa-

trum

trum noſtrorum ſententias euertimus.] Hæc S.Anaſtaſius.

Et ne in exſcribendis pro terreſtri Paradiſo Patrum ſententijs, longius nobis cum legentium tædio oratio excurrat, breuiter illius clariſſimos aſſertores indicabimus. S.Irenæus Lib.5.Cap.5. Tertullianus de Iudicio Domini Cap.8. & in Geneſi Cap.2. & 3. Nouatianus de Trinitate Cap.1. Lactantius Lib.2.Cap.13. & in Carmine de Phœnice, S.Baſilius Oratione de Paradiſo, Proba Faltonia in Virgiliocentonibus, S. Alcimus Auitus Lib.1. de Geneſ.Cap.9.Victorinus Rhetor Lib.1. in Geneſ. S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Lib.14.Etymologiar. Cap.3. Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo Parte 1. Paradiſum corporeum agnoſcunt; quorum omnium ſententias in decurſu Operis varijs occaſionibus adducemus.

Inſuper hoc ipſum affirmarunt S.Hippolytus Epiſcopus Portuenſis & Martyr, S. Dionyſius Alexandrinus, Theodorus Mopſuueſthenus, & Sarron in Catena Græca iu Geneſ.2.[a] Moſes Bar-Cepha in Lib. de Paradiſo, citat in eandem aſſertionem corporalis Paradiſi, S. Ephræm Syrum, S. Gregorium Nyſſenum, S. Cyrillum Alexandrinum, Seuerum, Ioannem Monachū, Philoxenum Mabugenſem Epiſcopum, diſertis eorundem verbis adductis in medium. Sed & S. Anaſtaſius Sinaita recenſens Auctores, qui Paradiſi terreſtris veritatem tuentur, hæc ait: Vnde etiam diuinus in omnibus Ambroſius, & Iuſtinus Martyr à Deo inſpiratus, in ſuis in Hexaemeron Commentarijs, ea perſequentes quæ dicta ſunt de Paradiſo, poſtquam dixerunt de ſenſilibus arboribus, & aquis, & fructibus, & Paradiſo è terra genito &c.] Et poſt multa ſubdit: Propter inanem autem laborem Origenis, qui vniuerſam ſex dierum creaturam ad fabuloſam deduxit allegoriam, & corpus ſacræ Scripturæ immutauit, & alterauit, recentiores Patres, diuinus, inquā, Baſilius, & Chriſti fluuius Ioannes Chryſoſtomus, & Theodorus vere miſerabilis, *intelligit Mopſuueſthenum lapſum* Antiochenus, & Seuerus Gabaleotes, & Euſebius Emeſſenus, & verbis & factis beatiſſimus Epiphanius, & Dei interpres Cyrillus, & Theophilus: hi omnes ſua ſcripta de Sex diebus expoſuerunt congruenter litteræ, & miſſis allegorijs & anogogis, propter inanem vt prius dixi, Origenis laborem, ipſi quoq. afferentes fide digniſſimas probationes & demonſtrationes de *ſenſili* Paradiſo.] HæcS. Anaſtaſius.

[a] *Citat. omnes Steuchus in Coſmopœia Cap.2.*

Adhæc S.Eucherius, S.Beda, Alcuinus, Strabus, Rupertus Abbas, Lyranus, Hugo Carenſis, Toſtatus, & omnes poſteriores Geneſis Interpretes; Petrus Lombardus in 2. Sentent.Diſtinct. 17. cum cœtu omnium Scholaſticorum. Alexander Alenſis 2.Parte Theologiæ Quæſt.58.Membro 1. Albertus Magnus 2.Parte Summæ Theologiæ Quæſt. 78.& 79. S.Thomas 1.Par. Quæſt.102.Art.1. & omnes eius Explanatores: (& quid in his morandū?) cuncti Orthodoxi, & vniuerſus Chriſtiani orbis aſſenſus Paradiſum voluptatis locum fuiſſe corporeum ac ſenſilem in terra perpetuo docuerunt.

Ceterum qui hoc ipſum ex profeſſo auctoritatibus & rationibus ſuſcepere demonſtrandum, ex antiquioribus fuere S. Epiphanius, S. Anaſtaſius Sinaita, Anaſtaſius Nicænus, Moſes Bar Cepha, S.Thomas & alij. Ex Recentioribus vero ſumma cura præ alijs Dominicus Bañes, Franciſcus Cumel, Gregorius de Valentia, Benedictus Pererius, & Robertus Bellarminus.

Scire tamen aueat curioſior quiſque quanam tandem nota inurenda ſit

PROPE HAERESIS NEGARE CORPOREVM PARADISVM.

corum opinatio, qui ſolum allegoricum Paradiſum & non corporeum dixerunt: Bañes, Cumel, Valentia, & alij, Paradiſum locum eſſe corporeum, certum eſſe ſecundum fidem affirmant, & oppoſitum manifeſtum eſſe errorem, ac forte hæreſim docent. Nos probe in hac parte Scripturarum verbis, & Sanctorum, ac poſteriorum omnium aſſertionibus conſideratis, aliud ſentire, aut cenſere non poſſumus.

VERITATI TAMEN HISTORIAE LICET SVPER EXTRVI ALLEGORIAS.

Ergo ſtabilita, firmata, ſartaq. tecta cõſeruata corporea & reali Paradiſi Voluptatis hiſtoriæ veritate, nihil impedit ſuper illa varias allegorias vel animæ, vel Eccleſiæ, aut anagoges ſupernæ felicitatis & cæli apte, concinneq. exſtruere, vt plerique Sancti Patres fecere. Idque quàm congrue fieri queat ex verbis S. Auguſtini, & S. Anaſtaſij ſuperius hoc ipſo Capite poſitis perſpicue vidimus. Sed & S. Thomas Theologorum culmen iſta præclare: Ea enim quæ de Paradiſo in Scriptura dicuntur, per modum narrationis hiſtoricæ proponuntur. In omnibus autem quæ ſic Scriptura tradit, eſt pro fundamento tenenda veritas hiſtoriæ, & deſuper ſpirituales expoſitiones fabricandæ.] Sic ille. Sic quidem S. Baſilius Lib. de Paradiſo Moſaicam totam de Paradiſo narrationem, et hiſtorice et allegorice interpretatur.

Verum accipe indiculum Sanctorum aliquot Patrum, qui veritate Paradiſi corporei præiacta, eundem myſtice ſublimibus ſenſibus expoſuerunt. Moſes Bar-Cepha citat S. Ephræm, S. Cyrillum, S. Gregorium Nazianzenum, S. Gregorium Nyſſenum, Philoxenum Mabugenſem Epiſcopum, et ceteris vetuſtiorem S. Iacobum Orrhoaitam Niſſibenum Epiſcopum magni nominis in Eccleſia virum. At S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 7. Hexaemeron ſic ait: Veteres ergo Eccleſiarum Interpretes, Philo, inquam, Philoſophus, tempore æqualis Apoſtolis, et celebris Papias, et Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, Hierapolitanus, et Iræneus Lugdunenſis, et Iuſtinus Martyr et Philoſophus, et Pantænus Alexandrinus, et Clemens Stromateus, et eorum aſſeclæ ſpiritualiter ſunt contemplati de Chriſti Eccleſia, ea quæ ſcripta ſunt de Paradiſo. Ex quibus ſunt duo in rebus omnibus doctiſſimi Cappadoces Gregorij.] nempe Nazianzenus et Nyſſenus. Tantum ille.

Porro argumenta quibus aliqui ex allegorijs ſolis Paradiſum conflarunt, adeo ſunt eneruia, vt pudeat in illis confutandis terere longius tempus. Si quis ea penitus diſpuncta inſpicere velit, adeat diſertos Recentiores. [a]

[a] *Bellarmin. Bañez, Cumel, Valentiam locis Cap. 1. citatis.*

Paradiſum Voluptatis non fuiſſe totam terram. *Cap. VIII.*

HVgo de S. Victore Annotationib. in Geneſ. 2. quorundam opinionem refert, qui Paradiſum non certum aliquem terræ locum, aut definitam quandam eius partem, ſed totam ipſam terram orbis fuiſſe exiſtimarunt. Quæ conditionis ſuæ initio omni pulchritudine, fertilitate, amœnitate ac delitijs exornata, nulli adhuc maledictioni ſubiecta, iure optimo Paradiſus Voluptatis à Moſe ſit appellata. Fontem vero qui Paradiſum alluebat, eſſe Oceanum, quem Homerus & plerique Philoſophorum omnium fluuiorum & aquarum parentem, fontemque eſſe dixerunt. Hunc vero circumfundi toto terrarum globo perſpicuum eſt. In hac ſententia crediderunt

runt aliqui [a] fuiſſe Ioſephum, quòd Lib. 1. Antiq. C. 1. ſcripſerit, Paradiſum rigari ab vno amne totam terram in circuitu luſtrante: quo nomine ab ipſo Oceanum ſignificari putarunt. Sed quàm longe ab ea opinione Ioſephus abfuerit, ex verbis eius manifeſte liquebit, ait enim: Narrat præterea Moſes Deum hortum ad Orientem plantaſſe omni virenti planta, et in his fuiſſe arborem vitæ, et aliam ſcientiæ per quam dignoſceretur bonum à malo. In hunc hortum cum introduxiſſet Deus Adamum cum vxore, iuſſit eos plantarum curam habere. Rigatur autem hic hortus ab vno amne vniuerſam in circuitu terram luſtrante, qui in quatuor diuerſos alueos finditur. Horum qui Phiſon nominatur, (ea vox multitudinem ſignificat) ad terram Indiam delatus, in illud ſe pelagus exonerat, Græcis Ganges appellatus. Euphrates autem & Tygris in Rubrum mare exeunt. Quorum Euphrates vocatur Phora: id ſignificat vel diſperſionē, vel florem. Tygris autē Diglath, quod interpretatur anguſtus, ſimul & velox. Geon autem Aegyptum mediā ſecat, id nobis ab Oriente exortum ſignat: quem Græci Nilum appellare ſolent.] Deinde fuſe narratis, lapſu primorum parentum, pœniſq. illis ac ſerpenti inflictis, hæc ſubdit: His pœnis impoſitis, Deus Adamum & Euam ex horto in aliam regionem tranſtulit.] Hæc ipſe. Paradiſum hortum plantatum ad Orientem ait: at tota terra ad quatuor puncta cardinalia mundi extenditur: in hunc hortum hominem introductum: ſed vndenam? num ex alio orbe terræ? eiectum inde cum vxore in aliam regionem; an ex tota terra in mundum alium profligatus? Ergo Ioſephus nimis perſpicue Paradiſum certam quādam ac ſecretam terræ portionē, atq. ad Orientem plantatū affirmat. Quod vero ait Paradiſum ab vno amne totam terram in circuitu luſtrante rigari, intelligit totam terram non totius orbis, ſed horti Eden dumtaxat, quam vniuerſam amnis ille rigaret. Porro fluuium illum qui Paradiſum rigabat, fuiſſe Oceanum ipſum, S. Damaſcenus Lib. 2. de Fide Orthodoxa C. 9. his verbis affirmat: Eſt & Oceanus vt fluuius quidā circumdans totam terram: de quo dixiſſe mihi videtur diuina Scriptura, quòd fluuius procedit de Paradiſo. Hic aquam præbet omni mari, perſeuerans, & indemutabilis manens. Fit autem ſalſum mare ſole ſemper, & alijs, vt ſiphones quidā, quod ſubtiliſſimum eſt, attrahentibus: vnde & nubes conſiſtunt, & nubes gignuntur, dulci euaporata aqua. Hic Oceanus in quatuor principia, ideſt, in quatuor flumina diuiditur. Nomen vni Phiſon, hic eſt Ganges Indicus: & nomen ſecundo Geon; ille eſt Nilus ab Aethiopia in Aegyptū deſcendens &c.] Hæc ille. Cuius ſententiam in bonum ſenſum reducit S. Thomas in 2. Sent. Diſt. 17. Q. 1. Art. 2. Ceterum Ioannes Nouiomagus in Scholijs Libri 5. Bedæ de Natura rerum, Franciſcus Gomara Tomo 1. Indiæ, C. 84. Abraham Ortelius in Tabula ſacræ Geographiæ, Ioannes Pineda Lib. 1. Monarchiæ Eccleſiaſticæ, Cap. 6. §. 3. Paradiſum voluptatis à Moſe deſcriptum, totam terram fuiſſe dixerunt, ea permoti ratione: Quòd cum Adamo non peccante, humanum genus habitaturum fuiſſet in Paradiſo, ſi is locus aliquis definitus terræ eſſet, vel non omnes homines capere potuiſſet, vel certe tota reliqua terra perpetuo cultoribus vacua, ac plane deſerta manſiſſet, fruſtra, & in nullum vſum comparata: cū tamen Deus & natura in caſſum non agant. Porro omnes homines in ſtatu illo felici originariæ iuſtitiæ, habitaturos Paradiſum,

[a] *Belarminus de Gratia Primi Hominis C. 13.*

VINDICATVR IOSEPHVS.

ſatis

ſatis inde euincitur, quòd par non eſt, inter homines eiuſdē gratiæ & felicitatis, loca tunc beati ſtatus futura diſtincta; cum locus ille Paradiſi humanæ felicitati proprie deſtinatus foret. At mirum eſt homines diſertos ita potuiſſe ſentire, ſimplicibus tantū inſpectis Scripturæ verbis, quæ opinionē prorſus intolerabilem aperte reuincunt. Ait Moſes Paradiſum in Oriente plantatum: tota vero terra nedum ad Orientē, ſed ad Occaſum, Aquilonē, & Meridiem late diffuſa iacet. Deinde addit, Deum è loco in quo Adamū condiderat, ipſum in Paradiſum tranſtuliſſe: an ne creauerat Adamū extra hunc terrarum orbem, vt ex illo in hunc tranſueheret? Inſuper inquit, propter peccatum exegiſſe Deum Adamū & Heuam ex Paradiſo: non ſane in aliū mundum, cum in hac noſtra terra habitaſſe nullus ſolidæ mentis negarit. Adhæc Cherubini cuſtodes ante Paradiſum poſiti, fuerene forſitan ante totum orbē terræ collocati, ne Protoplaſti ex alio mundo in hunc irrumperent? Hæc tam perſpicua Moſis de Paradiſo hiſtoria, non niſi violentiſſime, & fanaticis allegorijs ad vniuerſam terrā pertrahi queat. Verum piget abſurdā opinionē, nulli, ſat ſcio, probandā, quam vniuerſus Auctorum cōſenſus eliminat, fuſiori oratione conuellere. Omnes enim vna mente conſpirant, Paradiſum ſelectū quoddam terræ pomarium, pulchritudine & amœnitate mirabile in certo quodam Orientis loco plantatū fuiſſe. Porro argumentū, quo ſuā Recētiores illi ſententiā ſtatuebant, nempe omnes homines, Adamo innocentiā conſeruante, habitaturos in Paradiſo, inferius de his accurate perquiremus, C.63.

RATIONES PERSPICVAE, PARADISVM NON ESSE TOTAM TERRAM.

Paradiſum non fuiſſe extra totum Orbem plantatum. Cap. IX.

MOSES Bar-Cepha ſingularia quædā de ſitu Paradiſi cum ex ſua, tum ex aliorum Patrum ſententia litterarum monumētis conſignauit. Lib. de Paradiſo C.8. hæc ait: Ceterum ſtatuimus terram in qua Paradiſus exiſtebat, diuerſam quidē eſſe ab hac noſtra, verum nō natura, ipſaq. ſui materia, ſed raritate & denſitudine. Diuidamus ergo terrā in duas maximas partes, quarum altera Paradiſi terra, altera extra Paradiſum vocetur: illa ſubtilis, ſincera, pura: hæc quæ à nobis colitur, craſſa, materiata, impura, confuſa ſit.]

MIRABILIS SENTENTIA DE SITV PARADISI.

Et C.9. ita ſcribit: Illud inſuper aſſerimus, eam terrā, in qua eſt Paradiſus, altiorem multo, ſublimioremq. exiſtere hac quā nos colimus; id enim ita ſe habere, indicio ſunt quatuor illa grādia flumina, quæ orta in Paradiſi terra, per hanc noſtrā ab illa diuerſam feruntur. Niſi enim illa terra altior extaret, fieri non poſſet, vt illa flumina illinc præcipiti curſu ſub mare magnum delata, tandē per hanc à nobis cultam regionem erumpētia ſpargerentur. Certum igitur eſt ea flumina, quia è ſublimi loco permanant, ipſa ſua præcipiti fluxione, coacta, ſtrictaq. & proinde cum impetu delata ſub terram, & magnum mare rapi, atque ob ipſum cum impetum quo ſunt delapſa, rurſum proſilire in hac noſtra terra, per eamq. fluere. Nam quatuor illa flumina, Tygrim, inquam, Euphratem, Gihonem, & Phiſonem ſub mare ferri, atque in hac demum, quam nos habitamus, terra prodire, teſtatur etiam Dominus Ephræm Commentarijs in Geneſim, & cum eo alij. Clarum igitur ex his eſt, eam terram in qua ſitus eſt Paradiſus, multo eminentiorem, ſublimioremq. eſſe hac quam nos occupamus.] Sic Moſes.

Qui rurſus C.12.hæc addit:Alij opinantur,amplecti quidem mare Oceanum hunc habitabilem orbem,quantus quantus eſt,vt corona caput,vel zona corpus cingit, & tamen vltra extremã illam Oceani oram ſupereſſe eam terram,in qua conſitus fuit Paradiſus:itaque putant hi Paradiſum extra hũc à mortalibus frequentatum orbem extitiſſe. Quod ſane ſuis argumentis poſſe comprobari videtur:Nemo enim vnquã Regulorum eò profectus, Paradiſum cõſpexit:qui ſi intra eã mundi partem quę ab hominibus habetur,poſitus eſſet,proculdubio Reges,qui id facere potuiſſent,viſum eum iuiſſent: à qua re tamen omnes adhuc,ob eam vt videtur,quã modo dixi cauſam,abſtinuere. At enim qui in hac ſunt ſentẽtia,aiunt mare illud,quod inter hanc noſtram,& illam terrã interfluit,innauigabile eſſe, ideoq. neminem Regũ illuc traieciſſe. Alteri vero illi,qui elementa ambiri alterũ ab altero, atq. Oceani aquas vniuerſam omnino circumdare terram putant, vt nullum ſuperſit ſolum vltra mare; Paradiſum intra mare quidem poſitum eſſe aiunt: verum ob montes difficillimos & penitus inuios,qui inter illum & nos exiſtunt,neminem mortalium illuc acceſſiſſe. Conficitur itaque ex his,Paradiſum extra eum terræ orbẽ,quem nos homines colimus,ſitum eſſe.] Tantũ Bar-Cepha.

Qui Cap.13.iſta ſubiungit: Verum Ephræm dicit Paradiſum vniuerſam ambire terram, atque vltra Oceanum ita poſitum eſſe, vt totum terrarum orbem ab omni circumdet regione,non aliter atque Lunæ orbis lunã cingit. Sunt autem hæc eius fere verba, quibus in ea ſua diſputatione vtitur : Quia procul extra cõſpectum diſſitus eſt Paradiſus,neque tã acuta ineſt oculis noſtris acies,vt illum aſſequi poſſimus, ſi de ipſo periculum facere velis, facile contuleris cum circulo lunam ambiente,atque ita intellectu comprehenderis:nam ita ille & mare,& terrã intra ſe complectitur.] Subdit his Moſes Bar-Cepha C.14.Quidam eorum Doctorum, qui cenſent Paradiſum vltra Oceanũ eſſe poſitũ,dixere primos homines ex illa Paradiſi affini terra in hãc noſtrã per uadoſum mare pedibus cõmeaſſe,cũ eſſent ſtaturę proceriſſimæ: atq. hoc tũ ex Athanaſio,tũ ex Cyrillo cõprobare nitũtur,qui inter alia ſcribũt,habitationẽ primã poſt Paradiſum fuiſſe Adamo in Iudęa.]Hucuſq. ille.

IN QVA FVIT S. EPHRAEM.

Et poſt alia adiungit:Sed alij exiſtimãt,inde ex quo deliquerat Adamus, ẻque Paradiſo fuerat eliminatus,vſq. ad diluuium,mortales omnes manſiſſe in ea terra,quæ trans Oceanum circum Paradiſum extabat : hanc vero quã nos iam habemus terrã,ad id vſque tempus vacuã prorſus hominũ fuiſſe,deſertamq. illosq.omnes diluuio obrutos propter vitæ impuritatem perijſſe, vno Noa viro iuſto,cum tribus liberis atq. coniugibus ſuperſtite, vt reliqui tum fuerint ſoli octo mortales. Ceterum Noam cedros in illa quæ vltra Oceanũ eſt terra ſeuiſſe:atque ex illis Arcã illic ſtruxiſſe,eaq. vectos octo illos homines,cũ à diluuio ſeruati fuiſſent,ex illa Paradiſi regione in hanc noſtram perueniſſe,non autem pedibus maris vadũ tranſmiſiſſe. Qui hanc ſententiã tuentur,Ephræm Auctorẽ laudant,qui in ſuis Cõmentarijs ſic ſcriptũ reliquit:Et eiecit eum ex eo, (Paradiſum intellige) aſſignauitq. ipſi nõ procul ab eò.Benignitas atq. gratia ſcopus eſt perpetuus Dei:eius etiã apud inferos veſtigia extant:habitationẽ dederat ipſi in Paradiſo , ſed præuaricatus eſt:rurſus ergo extruſit Paradiſo,ſed in propinquo collocauit.Sed & hic perditiſſimi homines deliquerũt;& qui iuxta Paradiſum habitarẽt,indigni euaſerunt:

ſerũt: Arcę igitur imperauit, ea in Armeniã illos portauit. Hactenus Ephręm.]

Et hactenus quidem Moſis Bar-Cepha verba, varias de Paradiſo opiniones recitantis attulimus: ſed quod ad opinionem S. Ephræm attinet, in eius Operibus quæ vir eruditus, amicus noſter Voſſius è Græco in Latinũ vertit, & edidit, ea non reperitur: citat eam Bar-Cepha ex Libris S. Ephræm in Hexaemeron, & de Paradiſo, quos nondum perquirentium diligentia ex Bibliothecis, cum tineis & blattis adhuc bellum gerentes, in lucem eruere potuit.

REFELLITVR. Verum haud abſurde putare quiſpiã poſſit, S. Ephræm nõ ita abſone à veritatis ſcopo aberraſſe, vt crediderit extra hunc orbem terræ, ex tota terra & maribus Mediteraneis, & Oceano conglobatum, alium eſſe orbem terræ hoc noſtro multo maiorẽ, qui iſtum vt zona cingat, in quo ſitus fuerit Paradiſus. Cui enim diſerto & erudito Scriptori, ne dicam, tanto Patri tam falſa & inepta opinatio in mentem veniſſet? cum præſertim hoc tempore, clariſſimis Hiſpanorum nauigationibus, toto orbis ambitu, immenſo ſulcato Oceano, circumnauigato, euidenti experientia manifeſtum ſit,[a] neque totam terram ab Oceano cingi, neque vltra Oceanum aliam eſſe tellurem, niſi forſan iaceat in aere. Forſitan S. Ephræm innuit nouum Orbẽ Americæ: certum etenim eſt Aſiam, Africam, & Europam omni, aut certe pene omni ex parte Oceano allui: & vltra Oceanum iacere immenſam illam Noui orbis continentem, nondum ſatis ab omni latere apertã & perluſtratã. Atqui in parte aliqua Americæ Orientali, vel reſpectu Palæſtinæ verſus orientem ſolẽ penetrando, vt in Noua Hiſpania, vel Nicaragua, vel Peru; aut reſpectu illius vaſtæ regionis, conditũ fuiſſe Paradiſum, queat aliquis S. Ephræm auctorẽ laudare. Nam & Chriſtophorus Colon illius Noui Orbis apertor, cũ primum Pariã appulit, quæ eſt in Oriẽtali littore Americæ, viſa tanta fertilitate & amœnitate terræ, ſuſpicatus eſt ibi fore Paradisũ, ſicuti Gomara Li. Hiſt. Indicæ, C. 84. teſtatur.

[a] Agimus de his accurate li. 1. de Antichriſto Cap. 15.

Plane minus paradoxũ erit, ſenſiſſe S. Ephræm Paradiſum in America plãtatum, quàm in alia terra vltra Oceanũ, & Americã, ſeu Nouum orbẽ, quam nullus ſanæ mentis admiſerit. Sed de opinione præclari Scriptoris æſtimet quiſq. vt libuerit. Nam quòd Paradiſus in America fuerit, vel quòd primi homines in eo orbe ad diluuiũ vſque habitauerint; neſcio an aliquis credat. Non poterit hæc ſententia perſpicuis Scripturæ teſtimonijs reuinci; at conſenſus Patrum & Scriptorum omnium ignorato Nouo iſto orbe ad annum vſque Salutis 1492. perpetuo docuit Paradiſum in hoc noſtro veteri orbe plantatum, & primam humani generis habitationem in eodem veteri orbe fuiſſe. Nec plura in explodenda opinione nulli placitura, addimus.

Paradiſum nec in Palæſtina, nec ſub Aequatore, aut in Torrida, Zona fuiſſe conditum. Cap. X.

IACOBVS Naclantus in Medulla ſacræ Scripturæ, in Opere tertiæ diei, Ciruelus Daroceñſis, & Alfonſus Veracrucius, alijq. Recentiores credidere Paradiſum in Palæſtina plantatũ circa Iordanem in Pentapoli, vbi Sodomorum vrbes iactu fulminis & ſulphuris arſerunt. Iſtos, vt opinor, non alia ratio permouit, quàm quod Moſes Geneſ. 13. 10. de eo tractu hæc prodat: *Eleuatis itaque Lot oculis vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ*

vniuerſa

vniuerſa irrigabatur antequam ſubuerteret Dominus Sodomam & Gomorrham, ſicut Paradiſus Domini. At locum longe in alium ſenſum expoſuimus Cap. 4. & 6. & particula, *ſicut*, ſatis oſtendit eam regionem non fuiſſe vere Paradiſum voluptatis, ſed vel ei, vel alio cuiuis horto in pulchritudine & amœnitate conferri: quemadmodum nec vere fuit terra Aegypti, cui in diuergijs aquarum comparatur.

Exiſtimarunt alij Paradiſum in Cingulo præuſto iacere, & Torrida illa Zona, veluti maceria quadam & muro igneo circumſeptum, ab hominum notitia longe ſeiunctum, vehementia ardoris intolerandi prorſus inacceſſibilem. Suſpicionem huius opinionis Tertullianus præbuit, cum Apologetici Cap. 47. hæc ait: Et ſi Paradiſum nominemus locum diuinæ amœnitatis, recipiendis Sanctorum ſpiritibus deſtinatum, maceria quadam igneæ illius Zonæ à notitia orbis communis ſegregatum.] Hæc ipſe. At conſtat in ea fuiſſe Tertullianum [a] præpoſtera opinione, animas Sanctorum etiam ad purum excoctas, non ferri in cælum diuina viſione fruituras: ſed detineri in Paradiſo interim ad finem vſq. mundi, quando conſcendent in cælum, peracto vniuerſali Iudicio.

IN TORRIDA ZONA ALII.

[a] Vide Iacobum Pamelium in Tertulliani Paradoxis 9. & in Fragment. Lib. de Paradiſo Tomo 4.

Porro de impio Philoſtorgio Ariano & Eunomij diſcipulo Nicephorus Lib. 9. Hiſt. Eccl. Cap. 19. iſta prodit: Idem ipſe Philoſtorgius coniectura ductus, Paradiſum ad Oriẽtem ſub Æquinoctiali ſitum eſſe ait circulo. Primum, ex eo quòd ad Meridiem manifeſtum eſt loca fere omnia eſſe habitabilia ad extremum vſque dumtaxat mare, quod iam ſol adurit, anno toto radios ſuos in id emittens. Hæc quippe eſt illa, quæ media Zona dicitur.] Ita Nicephorus.

SVB AEQVATORE NONNVLLI.

Sed & S. Thomas Theologiæ decus, elucidans quidnam eſſet flammeus gladius ad cuſtodiam Paradiſi appoſitus, hæc in 2. 2. Quæſt. 164. Art. 2. ad 5. perſcribit: Saluis ſpiritualis ſenſus myſterijs, ille locus Paradiſi præcipue videtur inacceſſibilis propter vehementiam æſtus in locis intermedijs ex propinquitate ſolis: & hoc ſignificatur per flammeum gladium, qui verſatilis dicitur, propter proprietatem motus circularis huiuſmodi æſtum cauſantis.] Et in 1. Par. Quæſt. 102. Art. 2. ad 4. diſquirens, num Paradiſus ſit ſub Æquinoctiali circulo, ſic ait: Dicendum quòd illi qui dicunt Paradiſum eſſe ſub circulo Æquinoctiali, opinantur ſub Circulo illo eſſe locum temperatiſſimum propter æqualitatem dierum, & noctium omni tempore. Et quia ſol numquam multum ab eis elongatur, vt ſit apud eos ſuperabundantia frigoris: nec iterum eſt apud eos, vt dicunt, ſuperabundantia caloris: quia etſi ſol pertranſeat ſuper eorum capita, non tamen diu moratur ibi in hac diſpoſitione. Ariſtoteles tamen in Lib. Meteororum expreſſe dicit, quòd regio illa eſt inhabitabilis propter æſtum, quod eſt probabilius; quia terræ per quas nonnumquam ſol pertranſit in directum capitis, ſunt intemperatæ in calore propter ſolam vicinitatem ſolis. Quidquid autem de hoc ſit, credendum eſt Paradiſum in loco temperatiſſimo conſtitutum eſſe, vel ſub Aequinoctiali, vel alibi.] Hæc S. Thomas. At de his agit plenius Cælius Lection. Antiq. Lib. 1. Cap. 22.

Ceterum Paradiſum ſub Aequatore plantatum exiſtimarunt quoq. S. Bonauentura, & Durandus in 2. Sent. Diſt. 17. Et præceptor noſter Ludouicus

Yſtella in 2.Geneſ.& aliȷ quos Lyranus refert in 2.Geneſ. Nec eſt dubium, iam hoc tempore, in Zona præuſta & ſub Aequinoctiali multis locis eſſe temperatiſſimam & amœniſſimam habitationem, quod Lib.3.de Antichriſto fuſe demonſtrauimus: at quòd ibi conſitus fuerit Paradiſus operoſius diſquirendum. Ad Orientem ſitum certū habetur; ad Orientem vero Terræ ſanctæ reſpectu cuius locorum poſitus Scriptura ſignare conſueuit, in Torrida ſaſcia iacent duæ illæ vaſtæ, cuneatæ prominentiæ, quæ Sinum magnum Gangeticum efficiunt: altera in Cori Promontorium, altera vero in Auream Cherſoneſum, hodie Malacham deſinit: in prima ſunt magna & florida Indiæ regna, Cambaia, Decania, Ceulum, Goa, Calecuth, Cocinum, Meliapor, Narſinga, Biſnaga: in altera, Bengala, Pegu, Siam, Camboia, Malacha: inſuper à Cori Promontorio anguſto freto diſcluſa Ceilanum inſula diues opum; item à Malacha alio freto dirempta Zomatra, quam mediam Aequator interſecat.

IN ORIENTE QVAE TERRAE SVB TORRIDA.

Præterea ſupra Camboiam Orientem verſus eſt Regnum Cuachinchinæ, & magna pars oræ Sinarum in Torrida; adhæc inſulæ Moluccæ, Zebu, Borneo, Mindanao, Gilolo, vtraq. Iaua, Philippinæ & aliæ innumeræ in eodem ardenti Cingulo extenduntur: nec etiam parua pars Indicę orę maritimæ ad Oceanum Eoum ab Indo flumine ad Pegu, & Cuachinchinam, ſub Torrida poſita eſt. Omnes iſtæ enumeratæ regiones ſunt optimi & amœniſſimi ſoli, in quibus Paradiſus conſeri potuit. Quocirca voluerunt aliqui plantatum in Taprobane Inſula, quorum ſententiam Pius Secundus refert in Aſiæ, Europæq. deſcriptione Cap.5. Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt.93. non putat abſurdum Paradiſum in aliqua inſula Occeani Orientalis plantatum. Aſcanius Martinengus in Gloſſa Magna Geneſ. 1. Pag.835. refert quoſdam aſſerentes Paradiſum in Orientalibus quibuſdam inſulis ab Aſia vaſtiſſimo pelago ſeiunctis fuiſſe cōſitum. Num in Molucis, Philippinis, aut Iaponijs? Sed de Taprobane diximus plura Lib.3. de Antichriſto Cap. 23. vbi Ioannis Barrij, & Ioannis Maffæi potius ſententiæ inhæſimus Taprobanem eſſe Ceilanum, quàm aliorum Coſmographorum, eſſe Somatram; quibus nunc addimus Gaſparem Varrerium in Geographicis obſeruationibus, & in Commentario de Ophirica Regione, Laurentium Ananiam in Fabrica mundi Tractatu 2. Blaſium Viegam in 11. Apocalyp. Comment. 5. Sectione 5. & alios aſſerentes etiam, Taprobanem non Somatram eſſe, ſed Ceilanum.[a] De vtriuſq. fertilitate & opibus in eodem Lib. 3. de Antichriſto plura ex magnis Auctoribus reddidimus. Sane Ceilanum propter aëris puritatem, diuitias, & ſalubrium herbarum, arborumq. immenſam copiam, qua ceteris Indiæ regionibus præſtat, exiſtimari ab Arabibus Paradiſum, Laurentius Ananias affirmat. Ergo in Ceilano conditum fuiſſe Paradiſum poſſet quiſpiam non abſurde nimis opinari: nam inferius ex Vartomanno dicemus in eadem quoq. Inſula oſtendi adhuc locum vbi Adamus poſt lapſum pœnitentiam egiſſe credatur. Forſitan olim Cori Promontorio fuit affixa, ſed poſtmodum vi maris breui vadoſoq. freto diuulſa, vt Ananias & alij Geographi notant.

[a] Idem aſtruit Ortelius in Tabula ſacræ Geographiæ.

Iam ſiue in Ceilano, ſiue in Somatra, aut in Aurea Cherſoneſo, ſiue in alia Indiæ, vel Chuacincinæ, vel Sinarum terra ex his, quæ Torridæ Zonæ ſubiectæ ſunt, Paradiſum ſatum quis aſtruxerit; non ita facile refelli, aut erroris conuinci

conuinci poterit. Habes ſequenti Capite perſpicuum huius ſententiæ Auctorem S. Alcimum Auitum, cuius carmina ibi leges. Nihil opus eſt ratiunculorum aceruos in re incerta & ambigua congerere, niſi quod inferius abunde ſumus oſtenſuri; veriſimiliorem multo haberi ſitum Paradiſi cis Tropicum Cancri in Faſcia temperata. Delirium Poſtelli in Compendio Coſmographico, Paradiſum ſub polo Arctico conſerentis, vt refutatione indignum omittimus.

De altitudine & amoenitate Paradiſi multorum ſententiæ. Cap. XI.

FVERVNT plurimi in ea opinione, Paradiſum fuiſſe ſelectum quendam ac pulcherrimum hortum in Oriente plantatum, peremni temperie, amœnitate, multijuga fructuum vbertate, omnifaria deniq. voluptatum ac deliciarum varietate florentem: vbi numquam hiems aut æſtas, ſed ver æternum: nulla nox aut tenebræ, ſed lux perpetua atq; clariſſima. Hunc tamen præſtantiſſimum locum ſitum eſſe in editiſſimo omnium totius orbis monte, quò neq. Diluuij aquæ propter immenſam altitudinem pertingere, nec vlli mortalium vmquam penetrare potuerunt. Sublimitatem vero quidam tantam eſſe volunt, vt globum ſeu orbem Lunæ attingat: alij vt ſit cælo proximus: alij vt excedat oras ac terminos huius noſtri caliginoſi, craſſi ac turbulenti aeris, hoc eſt, mediæ regionis. Huius vniuerſim ſententiæ Auctores produntur Rabbanus, & Strabus in 2. Geneſ. Bridefertus Ramienſis in Gloſsa ad Cap. 14. Lib. Bedæ de Ratione Temporum, Petrus Lombardus in 2. Sent. Diſt. 17. Cap. 5. Alexander Alenſis 2. Parte Theolog. Quæſt. 58. Membro 1. Alfonſus Toſtatus in 2. Geneſ. Quæſt. 9. & in 13. Quæſt. 13. Caietanus in 7. Geneſ. S. Thomas 1. Par. Quæſt. 102. Art. 1. & alij eandem opinionem S. Bedæ tribuerunt: ſed in eius, quæ extant Operibus nondum potuit reperiri. B. Albertus Magnus Parte 2. Theologiæ, Tract. 13. Quæſt. 79. hæc ſcribit: Hoc tamen dico ſine præiudicio melioris ſententiæ: quia in quibuſdam Libris antiquiſſimis inueni, quòd illius ſententiæ, quæ attribuitur Bedæ, & Strabo, primus auctor fuit Thomas Apoſtolus, quòd ſcilicet Paradiſus tantæ altitudinis ſit, quòd vſque ad lunarem globum aſcendat.] Hæc ille.

ALTITVDINEM PARADISI VASTAM QVI TRADIDERINT.

Reperimus pleroſque veterum Patrum multa de Paradiſi altitudine cælo proxima, & ſupra omnes montes elata, quò eluuionis aquæ non aſcenderunt, atque de eiuſdem incredibili pulchritudine diſſerentes, quorum ſententias hic libentes inſerimus. Tertullianus Lib. de Iudicio Domini Cap. 8. ſic canit.

Eſt locus Eois Domino dilectus in oris,
Lux vbi clara nitens, ſpiratq; ſalubrior aura
Aeternuſq. dies, atque immutabile tempus.
Eſt ſecreta Deo regio ditiſſima campis,
Atque beata nimis, ſudeque in cardine ſedis,
Aer latus ibi, ſemperq; luce futurus
Lenis, & aſpirans vitalia flamina ventus:

Omnia fert ſecunda ſolo prædiuite tellus;
Flores in pratis fragrant, & purpura campis,
Omnia prærutila miſcet non inuida luce.
Flos alium lætus ſuo lumine veſtit amictus;
Roſcidaquè hic multo variantur ſemine rura,
Et roſeis niuea criſpantur floribus arua;
Neſcitur quibus vſq. locis felicior aura,
Quæ melior ſpecie, vel plus præcellat honore,
Talia florigeris numquam naſcuntur in hortis
Lilia, nec noſtris efflorent talia campis:
Nec ſic nata rubent mox vt roſa panditur aura,
Purpurea, nec Tyrio ſic eſt intincta rubore
Gemma coloratis fulget ſpecioſa lapillis.
Inde nitet praſinus, illinc carbunculus ardet:
Herboſaq. viret prægrandis luce ſmaragdus.
Hic & odoriferis naſcuntur cynnama virgis,
Et ſpiſſo lætum folio conflagrat amomum.
Hic iacet ingenitum radiantis luminis aurum;
Et nemora alta tenent florenti tempore cælum:
Virenteſq. grauant vberrima germina ramos:
Porrexit ſimiles non illis India lucos,
Non ita denſa leuat in monte cacumina pinus:
Nec ſic alticoma eſt vmbra criſpata cupreſſus,
Nec vernus melius floret cum tempore ramus.
Hic abietes celſo florent in vertice nigræ,
Aeternumq. virent ſolæ ſine grandine ſiluæ:
Nulla cadunt folia, & nullo flos tempore deſit:
Flos quoq. floret ibi rubeus ceu purpura Tarſi;
Flos hic credo roſa eſt, rubor atq. odor acer in ipſo;
Sic foliis ſpeciem præfert, ſic ſpirat odorem.
Arbos ſtat cum flore nouo pulcherrima pomis;
Vitalem & frugem felicia robora denſant:
Mella viridanti conflagrant pinguia cauua:
Lac etiam plenis manat potabile riuis:
Vitam ſpirat ibi, quidquid pia terra vireſcit:
Et pulchre redolet munus medicabile Cretæ.
Fons illic placidis leni fluit agmine campis;
Quatuor inde rigant partitas flumina terras.
Ver puto ſemper agit veſtitus floribus hortus:
Non frigus variat hiberni ſideris auram:
Et reficit fetam meliori flamine terram.
Nox ibi nulla, ſuas defendunt aſtra tenebras.
Iræ, inſidiæq. abſiſtunt, & dira cupido,
Excluſuſq. metus, pulſæ de limine curæ.

FELICITATEM PARADISI DESCRIBVNT, TERTVLLIANVS.

LACTANTIVS.

Hactenus Tertullianus graphice amœnitatem & delitias Paradiſi deſcripſit. Lactantius Firmianus, ſeu ſi quis eſt Auctor illius Carminis de Phœnice, in hunc

in hunc modum de Paradiſo canit:

Eſt locus in primo felix Oriente remotus,
Qua patet æterni ianua celſa poli.
Nec tamen æſtiuos, hiemiſq. propinquus ad ortus,
Sed qua Sol verno fundit ab axe diem.
Illic planities tractus diffundit apertos
Nec tumulus creſcit, nec caua vallis hiat.
Sed noſtros montes quorum iuga celſa putantur
Per bis ſex vlnas eminet ille locus.
Hic Solis nemus eſt, & conſitus arbore multa
Lucus perpetuæ frondis honore viret.
Cum Phaethonteis flagraſſet ab ignibus axis,
Ille locus flammis inuiolatus erat.
Et cum diluuium merſiſſet fluctibus orbem,
Deucalioneas exuperauit aquas.
Non huc exangues morbi, non ægra ſenectus,
Nec mors crudelis, nec metus aſper adit.
Nec ſcelus infandum, nec opum veſana cupido,
Aut Mars, aut ardens cædis amore furor.
Luctus acerbus abeſt, & egeſtas obſita pannis,
Et curæ inſomnes, & violenta fames.
Non ibi tempeſtas, nec vis furit horrida venti,
Nec gelido terrram rore pruina tegit.
Nulla ſuper campos tendit ſua vellera nubes,
Nec cadit ex alto turbidus humor aquæ.
Sed fons in medio eſt, quem viuum nominē dicunt,
Perſpicuis lenis dulcibus vber aquis.
Qui ſemel erumpens per ſingula tempora menſium,
Duodecies vndis irrigat omne nemus.
Hic genus arboreum procero ſtipite ſurgens,
Non lapſura ſolo mitia poma gerit.

Hucuſq. Lactantius. S. Baſilius ita ſcribit in Lib. de Paradiſo: Paradiſus locus erat delitijs omnifariam affluens, omnem creaturæ ſenſilis exuperans pulchritudinem; ob ſublimitatem loci, in quo erat, nulla ſui parte tenebras admittens: *Interpes Cornarius habet: In illuſtri loco ſitum, nullas tenebras habentem propter altitudinem;* ſed exorientium ſiderum ſplēdore ſemper illuſtratus; in quo nulla erat immodica ventorum vis, nulla tempeſtatum procella, nullus hiemis horror, non nimia veris humiditas, non torrens æſtatis ardor, non moleſta & noxia autumni ſiccitas: ſed temperata & pacifica omnium temporum in ſe conſonantia: ita vt quòd in quaq. anni tempeſtate optimum & iucundiſſimum eſt, in ſe haberet: ſcilicet veris amœnitatem, vbertatem æſtatis, autumni hilaritatē, hiemis otium & quietem. Eius terra pinguis erat, & mollis, omniumq. bonorū & voluptatum fertilis, quam veriſſime dixiſſes fluere lacte & melle.] Hæc & alia multa S. Baſilius de bonitate Paradiſi perſcribit. S. BASILIVS

Proba Faltonia clariſſima Romana femina ex Aniciorum ſanguine, in Virgilio centonibus, ita delitias Paradiſi celebrat: PROBA FALTONIA.

Poſtquam

Poſtquam cuncta Pater, cæli cui ſidera parent,
Compoſuit, legesque dedit; campoſque nitentes
Deſuper oſtentat, tantarum gloria rerum.
Ecce autem primi ſub lumine Solis, & Ortus
Deuenere locos, vbi mollis amaracus illos
Floribus, & dulci aſpirans complectitur vmbra.
Hic ver purpureum, atque alienis menſibus æſtas,
Hic liquidi fontes, hic cæli tempore certo
Dulcia mella premunt, hic candida populus antro
Imminet, & lenta texunt vmbracula vites:
Inuitant croceis ad laudes floribus horti.
Inter odoratum lauri nemus, ipſaq. tellus
Omnia liberius nullo poſcente ferebat.
Fortunati ambo ſi mens non læua fuiſſet
Coniugis infandæ, docuit poſt exitus ingens.

Hæc Proba. Marius Victor Rethor Maſſilienſis, Lib. 1. Carminum in Geneſim ſic decantat:

MARIVS VICTOR.

Eoos aperit felix qua terra receſſus,
Editiore globo nemoris Paradiſus amœni
Panditur, & teretis diſtinguitur ordine ſiluæ.
Hic vbi iam ſpatijs limes diſcernitur æquis.
Solis, & æternum paribus ver temperat horis.
Illic quæq. ſuis diues ſtat fructibus arbor,
Pomaq. ſucciduis pelluntur mitia pomis:
Quæ iucunda oculis, & miri plena vigoris,
Membra animoſq. fouent, paſcuntq ſapore & odore.
Sidereos hic terra vibrat diſtincta calores,
Semper flore nouo frondens, fructuq. recenti.
Hic fragiles ſoluunt calamos animata vigore
Muneris ambroſii ſpirantia cinnama odores.
Sed nec quod Medus redolet, vel crine ſoluto
Fragat Achemenius, quod molli diues amomo
Aſſyrius, meſſiſq rubens Mareotica nardo
Quod Tarteſiaci frutices. quod virga Sabæi,
Quæq Palæſtinus lacero flet vulnere ramus:
Omnia certatim hunc congeſta putabis in hortum.
Namq. huc cuncta Deus pariter quæ ſingula certis
Accipit natura locis, conſerta regeſſit.
Motaque dum leni vibrat nemus aura meatu,
Vnum ex diuerſo nectar permiſcet odore:
Fitq. nouum munus ſibi, nulla quod aſſerat arbor,
Quaq. tremens blando ſenſim iactata fragore,
Commotis trepidat folus, ſonat arbore cuncta
Hymnum ſilua Deo, modulataq. ſibilat aura,
Carmina, nec vacuus vanum quatit aera motus.

Iſta Victorinus. Sanctus Alcimus Auitus Viennenſis Lib. primo de Initio

tio Mundi, Cap. nono in hunc modum canit: S. ALCIMVS AVITVS.

Eſt locus Eoo mundi ſeruatus in axe
Secretis natura tuis; vbi ſolis ab ortu,
Vicinos naſcens aurora repercutit Indos.
Hic gens ardentem cæli ſubteriacet axem,
Quam candor feruens albenti ex æthere fuſcat.
Sed quidquid magnum noſtros defertur ad vſus
His totum natura dedit telluris opimæ.
Quidquid odoratu pulchrum eſt, adlabitur inde.
Concolor his ebeni picco de fomite ramus
Surgit, & hic eboris munus quod porrigit orbis,
Informis pulchros deponit bellua dentes.
Ergo vbi tranſmiſſis mundi caput incipit Indis,
Quo perhibent terram confinia iungere cælo:
Lucus inacceſſa cunctis mortalibus arce
Permanet, æterno concluſus limite, poſtquam hic
Decidit expulſus primæui criminis auctor:
Proq. reis digne felici ab ſede reuulſis,
Cæleſtes hæc ſancta capit nunc terra[a] *miniſtros.* a Eliam & Henochum.
Non hic alterni ſuccedit temporis vmquam
Bruma, nec æſtiui redeunt poſt frigora Soles.
Excelſus calidum cum reddit circulus annum,
Vel denſante gelu caneſcunt arua pruinis;
Hic ver aſſiduum cæli clementia ſeruat,
Turbidus auſter abeſt, ſemperq. ſub aere ſudo
Nubila diffugiunt, iugi ceſſura ſereno.
Nec poſcit natura loci, quos non habet imbres:
Sed contenta ſuo dotantur germina rore.
Perpetuo viret omne ſolum, terræq. nitentis
Blanda nitet facies; ſtant ſemper collibus herbæ,
Arboribusq. comæ, quæ cum ſe flore frequenti
Diffundunt, celeri ſolidant ſua germina ſucco.
Nam quidquid nobis toto nunc naſcitur anno,
Menſtrua maturo dant illic tempora fructu.
Lilia pellucent nullo flaccentia Sole:
Nec tactus violat violas, roſeumq. ruborem
Seruans perpetuo ſuffundit gratia vultu.
Sic cum deſit hiems, nec torrida ferueat æſtas,
Fructibus autumnus, ver floribus occupat annum.
Hic quæ donari mentitur fama Sabæis,
Cinnama naſcuntur.
Illic deſudans fragrantia balſama ramus,
Perpetuum promit pingui de ſtipite fluxum.

Tantum S. Alcimus. S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Lib. 14. Etymologiarum Cap. 13. hæc prodit: Paradiſus eſt locus in Orientis partibus conſtitutus, cuius vocabulum ex Græco in Latinum vertitur, hortus. Porro Hebraice S. ISIDORVS HISPALENSIS.

braice dicitur Eden,quod in noſtra lingua,delitiæ,interpretatur: & vtrumque iunctum facit,hortum delitiarum. Eſt enim omni genere pomiferarum arborum conſitus: non ibi frigus,non æſtas; ſed perpetua aëris temperies. E cuius medio fons prorumpens totum nemus irrigat; diuiditurque in quatuor naſcentia flumina. Cuius loci poſt peccatum hominis, aditus interclusus eſt: ſeptus enim eſt vndique romphæa flammea, ita vt eius cum cælo pene iungatur incendium.] Sic ipſe.

S. DAMASCENVS. S.Ioannes Damaſcenus Lib.2.de Orthodoxa Fide, Cap.11. Paradiſus eſt locus Dei manibus in Eden ad Orientem mirabiliter conſitus, omnis lætitiæ ac voluptatis promptuarium, omni terra excelſior, optima temperie cęli,aërē ſubtiliſſimo & puriſſimo,plantis ſemper virentibus,ſuauiſſimumq. odorem ſpirantibus, plenus lumine, vniuerſæ ſenſilis venuſtatis, & pulchritudinis excellens intelligentiam. Diuinus profecto locus, mirifice congruens primi hominis dignitati.] Hæc ille.Rupertus Abbas Lib.1.de Trinitate, & eius operibus, Cap.37. ſic inquit: In illo delicioſo terræ loco, & cælis proximo ſalubria cuncta ſunt herbarum ſiue lignorum ſemina.]

Verum hæc iam ſatis. Nec vlla erunt tam ampla Sanctorum Patrum verba,Paradiſi delitias prædicantia,quæ rem ſatis pro dignitate exprimāt. Iſta retulimus, vt è qua felicitate ceciderimus, vel terreſtris illius horti penſata pulchritudine,ingemiſcamus.

Gentiles quoque Scriptores tenuem Paradiſi famam percepiſſe. Cap. XII.

ADVMBRAVNT PARADISVM PLATO. CAELIVS Rhodiginus vir eruditus Lib.1. Antiquit. Lect. Cap.22. Platonem aliquam Paradiſi cognitionem nactum his verbis affirmat: Interim ingerit ſeſe mihi Plato ſua illa Philoſophi aut Theologi potius maieſtate venerabili, atque aurem peruellens in Phædone ſuo ait ſe quiddam mandaſſe litteris,quod huic loco congruat vel maxime: Eſſe videlicet terrarum regionem quandam prominentem adeo vt imbres neſciat, neque item flaminum vllos perſentiat impetus. Summa, præſignisque ſit aeris temperies: proindeque inibi perfectiſſima quæq. vberius enaſcantur, nec deſit exactiſſimum genus hominum,quorum æuum ſit noſtro diuturnius. Eorum corpora ſunt qui opinentur ex æthere plurimum compacta, & aere; aquæ, & terræ vtiq. habere minimum; nec non compari fructuum modo veſci atq. ali: adeo vti more Peliæ veluti recocti, iuuenili gaudeant flore perpetuo. Hæc eo exſcripſi libentius,quòd non ita magnam cum delitiarum horto in ſanctis Litteris celebrato diuerſitatē habent: vt intelligamus vere dici & prædicari, Platonem demutatis paucis fore Chriſtianum.] Hæc Cælius.

ET HOMERVS. S.Iuſtinus Philoſophus & Martyr in Exhortatorio ad Gentes,Homerum etiam Paradiſum vtcumq. cognouiſſe prodit, ſic dicens: Paradiſi quoque imaginem deſcripſit in hortis Alcinoi, quos ſemper virere dicit, plenos continuatis fructibus.

Ibi magnæ creuerunt arbores longæ,

Piri,

Piri, & punicæ, & mali fructuoſæ,
Ficuſque dulces, & oliuæ longæ,
Quarum numquam fructus perit, nec intermittit
Hieme nec æſtate perennans: quin ſemper aura
Zephyria flans, alia gignit, alia coquit.
Pirus poſt pirum ſeneſcit, & malus poſt malum,
Et vua poſt vuam, & ficus poſt ficum.
Hic ei ſata eſt fructuoſa vinea, cuius altera area
In plano loco ſiccatur Sole: alias autem vindemiant,
Alias calcant. Adſunt immaturæ vuæ
Delapſo flore, aliæ matureſcunt.

Nonne hæc verba manifeſtam habēt imitationē Paradiſi, de quo Moſes narrat primus propheta? Eiſdem plane carminibus Eudocia Imperatrix vxor Theodoſij Iunioris Paradiſum deſcripſit in Homerocentonibus, Cap. 2. Sed & Ouidius haud prorſus obſcure viſus eſt Paradiſum innuiſſe cum in 1. Transformationum canit: ATQ. OVIDIVS.

Vir erat æternum, placidiq. tepentibus auris.
Spirabant Zephyri; natos ſine ſemine flores,
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat;
Nec renouatus ager grauidis canebat ariſtis.

Verum de his non plura.

Supra mediam regionem aeris in celſiſſimis montibus non eſſe commodam humano generi habitationem, multo minus aptum Paradiſo locum. Cap. XIII.

QVI ſerio ſunt opinati Paradiſum in altiſſimo omnium terræ loco, editiſſimis quibuſuis alijs montibus ſublimiori fuiſſe collocatum, ea ſunt potiſſimum inducti ratione, quòd extra ſupraq. hanc noſtri craſſioris aeris regionem exiſtimnent temperatiſſimam atq. ſaluberrimam in terra eſſe hominibus vitam, immo & ſuauiſſimam, quæ Paradiſo conueniat: quò turbines, procellæue, aut pluuiæ, grandines, violenti flatus ventorum, nimij æſtus, aut intoleranda frigora non attingant: quò neq. Diluuinim penetrarit.

His conſentanea docuere Ethnici Auctores de mira ſublimium montiū temperie, amœnitate, ſalubritate prodentes. Plinius de Atlante monte hæc refert Lib. 5. Cap. 1. Per Autololum gentem iter eſt ad montem Africæ vel fabuloſiſſimum Atlantem. E medijs hunc arenis in cælum attolli prodiderunt, aſperum, ſqualentem quà vergat ad littora Oceani, cui cognomen impoſuit: eundem opacum, nemoroſumq. & ſcatebris fontium riguum, quà ſpectat Africā, fructibus omniū generum ſponte ita ſubnaſcentibus, vt numquā ſatietas voluptatibus deſit. Incolarū neminem interdiu cerni, ſilere omnia haud alio quàm ſolitudinum horrore: ſubire tacitam religionem animos propius accedentium, prætérq. horrorē elati ſuper nubila, atq. in viciniam lunaris circuli. Eundemq. noctibus micare crebris ignibus Aegipanum, Sa- MONTIVM QVORVNDAM ALTITVDO ET AMOENITAS, ATLANTIS

tyrorumq.laſciuia impleri, tibiarum ac fiſtulæ cantu, tympanorũq. ac cymbalorum ſonitu ſtrepere. Hæc celebrati auctores prodidere.] Hæc Plinius.

Sed & Solinus in Polyhiſtore Cap. 27. ſic inquit: Per Autololum gentem iter eſt in Atlanticas ſolitudines. Altas mons è media arenarum conſurgens vaſtitate, & eductus in viciniam lunaris circuli, vltra nubila caput condit, qua ad Oceanum extenditur, cui à ſe nomen dedit. Manat fontibus, nemoribus inhorreſcit, rupibus aſperatur, ſqualet ieiunio, humo nuda, nec herbida. Quà Africam contra verſus eſt, opimus, naſcentibus ſponte frugibus, arboribus proceris opaciſſimus, quarum odor grauis, comæ cupreſſi ſimiles; veſtiuntur lanugine, ſericis velleribus nihilo viliore. In eo latere & herba euphorbia copioſa, cuius ſuccus proficit ad ocularium claritatem, & multiplex præſidium ſanitatis: nec mediocriter percellit vim venenorum. Vertex ſemper niualis. Saltus eius quadrupedes, ac ſerpentes, feræ, & cum his elephanti occuparunt. Silet per diem vniuerſus, nec ſine horrore ſecretus eſt. Lucet nocturnis ignibus, choris Aegipanum vndiq. perſonatur. Audiuntur & cantus tibiarum, & tinnitus cymbalorum per oram maritimam.] Hucuſq. Solinus; ſimilia Pomponius Mela Lib. 3. Cap. 10.

ATHO. Inſuper de Atho Macedoniæ ſeu Thraciæ monte iſta Solinus narrat C. 17. Polyhiſt. Eſt ſane Athos ſublimis adeo vt altior æſtimetur quàm vnde imbres cadunt. Quę opinio eo fidē concepit, quòd in aris quas cacumine ſuſtinet, nũquã cineres eluuntur, nec quidquã ex aggeribus ſuis perdunt, ſed quo relicti fuerint cumulo permanent. In ſummo oppidũ Acrothon fuit, in quo dimidio longior quàm in alijs terris incolentiũ ætas prorogabatur: Ideo inde homines Macrobios Græci, noſtri appellauere longæuos.] Sic ipſe. Põponius Mela Lib. 2. C. 2. in hunc modũ ſcribit: Athos mons eſt adeo elatus, vt credatur altius quàm vnde imbres cadũt, ſurgere. Capit opinio fidē, quia de aris quas in vertice ſuſtinet, non abluitur cinis, ſed quo relinquitur aggere manet. In ſummo fuit oppidũ Acroathon, in quo, vt ferunt, dimidio longior, quàm in alijs terris, ætas habitãtium erat.] Tantum Mela. Sed de Atho eiuſq. Macrobrijs, & oppido Acrotho Plinius quoq. meminit Lib. 4. Cap. 10. & Lib. 7. Cap. 2.

OLYMPI. De Olympo Theſſaliæ monte hæc Solinus ſcribit Cap. 14. Olympus primum excellenti vertice tantus attollitur, vt ſumma eius cælum accolæ vocẽt. Ara eſt in cacumine Ioui dicata, cuius altaribus ſi qua de extis inferuntur, nec difflãtur ventoſis ſpiritibus, nec pluuijs diluuntur, ſed voluẽte altero anno cuiuſmodi relicta fuerint, eiuſmodi reperiũtur: & omnibus tẽpeſtatibus à corruptelis aurarum vindicatur quidquid ibi ſemel Deo conſecratũ. Litterę in cinere ſcriptę vſq. ad alterã anni cæremoniã permanẽt.] Hæc ille.

PARADISVS NON ATTINGIT ORBEM LVNAE.

Eorum vero ſententia qui Paradiſo tantam altitudinē dederunt vt lunarē globum pertingat, tamquam manifeſte Aſtrologiæ & Coſmographiæ repugnans conſenſu omnium reiecta iacet; nec enim tota terra ſatisferme eſſet pro baſi tantę altitudinis; & ſolem maxime orientē elata Paradiſi ſublimitas prorſus impediret, & obtegeret, ne totam terram lumine ſuo illuſtraret. Vide rationes alias apud Recentiores eandem opinionem refellentes. [a] Qui vero Paradiſum ſupra mediã aeris regionem in celſiſſimo monte pangunt, quòd eiuſmodi locus habeatur ſalubris, & tẽperatus, & tanto pomario condignus; putãt eruditi lõge ſecus rem ſe habere, nempe eã ſublimitatem

[a] Pererius Lib. 3. in Geneſ. 3. Quæſt. de Paradiſo, Bellarminus de Gratia primi hominis Cap. 12.

tatē ineptam & prorſus noxiā eſſe humanæ habitationi, quòd ibi vitalis reſpiratio nō ferat tantā aeris ſubtilitatem ac vim penetrantē. Vnde S. Auguſtinus Lib. 3. de Geneſi ad litterā, C. 2. inquit: Quapropter etiāſi verum dixit quidam ſecularium Poetarū, Nubes excedit Olympus. &, Pacem ſumma tenent. quia perhibetur in Olympi vertice aer eſſe tā tenuis, vt neq. nubibus obumbretur, neq. turbetur vento, neq. ſuſtentare alites poſſit, neq. ipſos qui forte aſcenderint homines craſſioris auræ ſpiritu alere, ſicut in iſto aere cōſueuerunt.] Tantū ille. Tritum illud eſt, conſcendentes Olympū, ſpongijs madidis aerem humectaſſe, vt craſſior eſſet, & aptus reſpirationi. Quocirca quæ Plinius, Solinus, & Mela de altitudine tēperie, & amœnitate Atlantis & Athi ex aliorū potius fide tradidere, maiori ex parte, vel ijſdē auctoribus, fabuloſa ſunt; vel mediā aeris regionē nō excedunt. Vtrumq. ſibi ex profeſſo demōſtrandū ſuſcepit Pererius Lib. 12. in Geneſ. C. 7. Diſput. 9. quem tu conſulas.

SVPRA MEDIAM REGIONEM AERIS INCOMMODA HVMANAE VITAE HABITATIO.

Iuuat hic, quo plenius inſalubritas altiſſimarū regionum oſtendatur, mirabilem hiſtoriam ex oculato & experto rerum Indicarum Auctore Acoſta reddere, ſic enim Lib. 3. Indicæ Hiſtoriæ C. 9. refert: Rarā & ſingularem aeris vim in quibuſdā Americæ regionibus, explicare aggrediar: quam etſi quidā pro fabula exſufflent, at ego viſa & comperta narrem. Eſt in Peru altiſſimus mons Pariacaca: audierā ſæpius ſæuam ſtomachi iactationem celſa eius iuga ſuperantibus incidere: antidotis me valide præmunierā, ceſſere tamen in caſſum, nec præſens incommodum potui præuertere. Verticē ac ſumma tenueram, Scalas vocant, tam diro derepente angore ſum correptus, vt pene de iumento prouoluerer; ſenſus doloris erat acerbiſſimus; quiſq. è comitibus celeri fuga ſibi cōſuluerat, certum mortis diſcrimen euaſurus. Relictus cum Indo famulo, cum enixe rogabam, vt me manibus ſuſtineret, ne è iumento cui vix mentis compos hærebā, præceps in terrā alliderer. Secutæ ſunt mox capitis, oculorumq. vertigines, fœdę nauſeę, ingentes vomitus, quibus magnā flauæ, atræq. bilis vim cum toto ſemidigeſto cibo adeo violento niſu proieci, vt ſanguinē quoq. reiectarem: Credideram iam de me actum, ſed deſcendens ex immani illa altitudine ad inferiora & mitiora loca, Dei benignitate, cœpit dolor tantiſper remittere. Offendi ſocios adeo ex repentino morbo confractos, vt quidā eorum, iam ſibi ſupremam horam adfore putantes, ſacram exomologeſim maximis vocibus efflagitarent: alij è iumentis ſe deijcere, vomitu, aluiq. fluore pene deplorati; nonnulli rabie doloris amētes, corpora ſolo allidere, proiectare, triſtiq. reboatu fremere. Accepi quoſdam eo in tormento animas afflauiſſe. Perpetuus ille montium Peruanorum tractus, pars Andium, ad quingentas leucas in Auſtrum excurrens, quàcumq. in vertice traijcitur, illa ſtomachi dira tormina mirabili operatione ciet. Ipſe quater diuerſis locis celſiſsima illa iuga ſuperans, graui ſēper sū affectus incōmodo. Eodē quoq. affligi eos qui montes illos peruadūt, certiſsimū eſt.

MIRA MONTIS PARIACACAE NATVRA.

Porro trucis mali cauſam aerē eſſe tenuiſsimū ac ſubtiliſsimum, qui incredibili efficacitate viſcera & interiora omnia peruadat, agitet, peruoluat, rerum periti affirmant: nec enim potentius remedium ad præſens damnum arcendum hactenus repertum, quàm corpuſculum multo veſtium integumento vndiq. fulcire. Non dubitē eos montes omniū totius orbis eſſe altiſſimos, quibuſcum nec Alpes, nec Pyrenæi vllo pacto cōparari poſsint. Eſt ibi aer

adeo ſubtilis,vt humanæ reſpirationi,quæ illud trahat ac reddat,non ſit aptus,cum ea ſpiſſiorem deſideret ſpiritum. Deſerta ſunt omnia ad triginta leucarum ſpatium: nulli mortales, animantia nulla illis in locis degunt: herbæ virulento aere exuſtæ, triſti prorſus ac maligna cæli, ſoliq. facie.] Hæc & alia Pater Acoſta. Ex quibus illud quoq. conficimus, locum terræ quo altiorem, eo inſalubriorem & incommodiorē victuris hominibus eſſe.

EXCVSANTVR PATRES.

Sed quod ad Patres attinet, quos haud paruo numero Cap. 11. adduximus, Paradiſo altitudinem cælo proximam tribuentes, eos S.Thomas 1.P. Q.102.Art.1.in bonum ſenſum attraxit; nimirum illos hyperbolico vel metaphorico ſermone vſos, nihil aliud voluiſſe ſignificare quàm ſublimem excellentemq. Paradiſi pulchritudinem & amœnitatem, omnem aliam ſuperantem,ac cælo ferme proximā & conſimilem. Eandem S. Thomæ modeſtiā in excuſandis Patribus,eruditi quoque Recentiores ſunt imitati. [a]

a Pererius lib. 3 in Geneſ. 2. Quæſt. de Paradiſo, Bellarmi. Lib. de Gratia primi hominis. C.12.

Recentiorum ſententia,Paradiſum in Meſopotamia fuiſſe conſitum. Cap. XIIII.

CVM Scriptura ſacra Geneſ.2.v. 8. in Hebraico Fonte,& in Septuaginta Tranſlatione diſerte prodat, Paradiſum plantatum à Deo in Eden ad Orientem: quam etiam Lectionē innumeros Patres ſecutos inferius oſtendemus; ex nomine ipſo Eden, loco proculdubio vbi conditus fuit Paradiſus,vt ſatis ſacra verba demonſtrant, exiſtimarunt pleriq. Recentiores verum ac certum Paradiſi ſitum poſſe deprehendi. Siquidē Eden vrbs,vel regio Syriæ,aut Meſopotamiæ fuiſſe videtur. 4.Reg.19.v.12.& Iſaiæ 37.v.12.ſuperbus Sennacherib ſic inquit: *Numquid liberauerunt dij Gentium ſingulos quos vaſtauerunt patres mei, Gozan, videlicet, & Haran,& Rezeph,& filios Eden, qui erant in Thelaſar?* Vides aperte Eden hic nomen eſſe regionis,quæ cum Gozan, Haran, & Rezeph, vt pote vicinis atq. confinibus locis iungitur. De Gozan Euſebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis, quibus ceteri aſſentiuntur,hæc habent: Gozan in regione Emath,& huius meminit Iſaias. Eſt autem in finibus Damaſci.] Ita illi. Putant eſſe Gauzanitidem regionem quam fluuius Chabores ab Acrabene Meſopotamiæ diſterminat, Ptolomæo Lib.5.Cap.18. in hanc decem Tribus Iſraeliticæ in captiuitatē abactæ 4.Reg.17. & 18. vt etiam in Chala, quam credunt Chalcitidem Meſopotamię vel Chalonitidē Plinio Lib.6.C.26.Vide Ortelium in ſacra Geographia.De Rezeph ijdē Euſebius & S. Hieronymus aiunt: Rezeph ciuitas Syriæ.] Exiſtimāt eſſe Ritzipha Meſopotamiæ Ptolemæo:certum enim eſt Meſopotamiā ſub Syria comprehēdi. De Thelaſar autē inquiunt Euſebius & S.Hieronymus: Thelaſar regio Syriæ.] Quidā Seleuciā poſtea dictā volunt,Edenis metropolim. Scriptura aſſerit Eden fuiſſe in Thelaſar,Thelaſar omnium conſenſu erat in Syria, vel Meſopotamia; iam ergo Eden in Syria vel Meſopotamia erat:at Moſes in Eden Paradisū fuiſſe refert: igitur in Syria vel Meſopotamia Paradiſus fuit. Sed ex Harā cui in Regibus & Iſaia Eden coniungitur,magis adhuc Edenis ſitus peruestigabitur: haud dubie Haran regio proxima & coniuncta erat Edeni, quod etiā Ezech. 27.v. 23.illa verba perſpicue demōſtrant: *Haran & Eden negotiatores tui.* Hæc eſt

EDEN VRBEM MESOPOTAMIAE PVTANT.

HARAN MESOPOTAMIAE VRBS

illa

illa nobilis Charran, vel Haran, habitatione Abrahæ, & morte Thare clara, Geneſ. 11. v. 31. & Actor. 7. v. 2. de qua Euſebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis hæc ſcribunt: Charran ciuitas eſt Meſopotamiæ trans Edeſſam, quæ vſque hodie Charra dicitur, vbi Romanus exercitus cæſus eſt, & Craſſus dux captus.] Sic illi. Atqui Charran vrbem fuiſſe Meſopotamiæ non longe à Chaldæa, præterquam quod Moſes & Stephanus citatis locis haud obſcure docent, idem quoque affirmant Strabo Lib. 16. de Situ orbis, Plutarchus in Vita M. Craſſi, Stephanus de Vrbibus, & alij. Nec his contraria ſcripſit Lucanus Lib. 1. Pharſaliæ eo carmine quo Craſſi cladem deplangit; חרן

CLADE CRASSI NOBILIS.

Aſſyrias Latio maculauit ſanguine Charras.

ſed neque Plinius cum ait: [a] Arabia habet oppida, Edeſſam, quæ quondam Antiochia dicebatur, Callirrhoën à fonte nominatam, Carras clade Craſſi nobiles.] Nam non eſt dubium, eam partem Moſopotamiæ vbi Carræ fuere, Syriæ, ſeu Aſſyriæ, atque Orientali Arabiæ, quæ ſunt regiones confines, fuiſſe olim attributam: ceteroqui Carras vltra Euphratem in Meſopotamia ſitas, & clade Craſſi ac Romani exercitus nobilitatas, conſenſus Auctorum eſt, vti prædiximus.

[a] Plinius lib. 5. c. 24. & lib. 31. cap. 7.

Ergo cum Scriptura dicat Eden non longe à Charris abfuiſſe, & eadem Scriptura doceat Charras in Syria, vel Meſopotamia fuiſſe, cunctiq. Scriptores idipſum adſtruant: rurſumq. ſacer Moſes affirmet Paradiſum in Eden plantatum, ineluctabili euincitur conſecutione, in confinibus Meſopotamiæ, & Arabiæ Orientalis, non multum à Chaldæa, & Syria Damaſcena diſſitum, Paradiſum conditum fuiſſe.

SITVS PARADISI E RECENTIORIBVS.

Pangunt Recentiores Paradiſum in ea parte Syriæ, quæ ab Aquilone habet Meſopotamiam, & Aſſyriam ac propius Babylonem & Seleuciam: ab Oriente Perſidis partem, & viam in Parthiam: à Meridie Perſiam & Sinum Perſicum, & Arabiam Orientalem: ab Occaſu Chaldæam & Syriam Damaſcenam, & plagam verſus Iudæam. Auctores huius ſententiæ, quos vidimus, ſunt, Annius in Lib. 1. Chaldaicæ Defloraтionis Beroſi, Steuchus in Coſmopœia Cap. 2. & in Notis ad Cap. 2. Geneſ. Vatablus, & Oleaſtrius, ac Iſidorus Clarius in Scholijs ad 2. Geneſ. Galeſinius in Notis ad ſacram Hiſtoriam S. Seueri Sulpitij, Sixtus Senenſis Lib. 5. Bibliothecæ, Annot. 34. Genebrardus Lib. 1. Chronographiæ, Pag 7. Pererius Lib. 3. in Geneſ. in Diſputatione de Paradiſo, Didacus Ximenius in Lexico Eccleſiaſtico, Maldonatus in 27. Matthæi verſ. 44. Sà in 2. Geneſ. v. 8. Laurentius Ananias in Mundi Fabrica, Tractatu 2. Viegas in Cap. 11. Apocalyp. Comment. 5. Sectione 5. ſi plures ſcirem, eos annotaſſem.

Et vt inuidiam nouitiæ opinioni conflem, ex Nouatoribus eidem inhæreſcunt, Munſterus, Fagius, Iunius, Tremellius in Annotationibus Geneſ. 2. Mercerus in Theſauro Hebraico in themate *Adan*, vt ſaltem hoc nomine diſpliceat. עדן

Sed accipe ſitum Paradiſi à Theologis Louanienſibus in Chorographica Tabella delineatum. [b] Euphrates & Tygris ingentia flumina ex montibus Armeniæ naſcentia magnis circuitibus à Septemtrione in Meridiem, Euphrates ab Occiduo, Tygris ab Orientali latere, decurrunt. Qui verſus Babylonem & Seleuciam in vnum confluunt, eodemq. feruntur alueo: atqui toto

[b] Theologi Louanienſes in Bibliis anno 1581.

toto illo camporum ſpatio, quo miſtis aquis labuntur, conſitus fuit Paradiſus; vel in altera tantum ripa ſeu Orientali, ſeu Occidentali: vel quod eſt ſimilius vero, in vtraque ripa late vtrinque expanſus, flumine medium Paradiſum diſpeſcente. Poſtquam vero Paradiſum effecerint, rurſus in duo capita, duosq. alueos, atque amnes magno aquarum diuortio diffinduntur: in Orientalem, nimirum qui Phiſon dicitur, & circuit terram Heuilath, & in Occidentalem, qui Geon vocatus terram Aethiopiæ circumfluit. Tandemq. hæc duo flumina iam ſic diuiſa in Sinum Perſicum ſeſe effundunt. Hæc eſt Recentiorum de ſitu Paradiſi ſententia. Nolunt enim Phiſon & Geon intelligi Gangem & Nilum, vt inferius fuſius diſceptabimus.

Argumenta quibus Recentiores ſitum Paradiſi in Meſopotamiæ confinibus ſtabiliunt. Cap. XV.

[a] Soluitur iſtud argumentum c. 17. & 18.

PRIMVM [a] illud putant perſpicuum & ineuitabile, quòd Moſes afferat Paradiſum plantatum in Eden; at Eden in Syria, vel Meſopotamiæ finibus fuiſſe, aperte ex Scriptura, & cunctis Auctoribus Capite ſuperiori docuimus.

[b] & iſtud C. 18

MESOPOTAMIAE FERTILITAS.

SECVNDO, [b] Ex omnibus regionibus quas cælum ſuo complexu coercet ac continet, Meſopotamiam præcipue tantis laudibus Corographi omnes extollunt, vt communi illorum ſententia, ceteras omnes bonitate terræ, vbertate fructuum, omnisq. generis delitijs, varijs etiam naturæ dotibus longe antecellere videatur: vt merito perſpicuum eſſe debeat in hanc regionem potiſſimum competere encomia omnia, quibus Moſes Paradiſum tantopere euehit. Verum vt pauca tantum degustemus, Strabo Lib. 16. de Meſopotamia hæc ait: Eſt autem finitima ora fertilis non mediocriter.] Q. Curtius de Rebus Alexandri Lib. 5. Inter Tygrim & Euphratem iacentia tam vbere & pingui ſolo ſunt, vt à paſtu repelli pecora dicantur, ne ſatietas perimat. Cauſa fertilitatis eſt humor qui ex vtroque amne manat, toto fere ſolo per venas aquarum reſudante.] Hæc Curtius. Solinus in Polyhiſtore Cap 40. Euphrates Meſopotamiam opimat annuæ inundationis exceſſibus, ad inſtar Aegyptij amnis, terris ſuperfuſus, innexa ſoli fecunditate.] Hæc ille. Similia alij.

[c] Et iſtud C. 53. & ſeqq.

TERTIO, [c] Veriſimile eſt primos Parentes Paradiſo exactos, non longa terrarum ſpatia peragraſſe, ſed vbi primum terram humanæ habitationi peraccommodam inuenerunt, ibi ſubſtitiſſe, domiciliumq. poſuiſſe; at certũ eſt Adamum in terra Iudæa, aut ſane Chaldæa vixiſſe, ac diem clauſiſſe poſtremum: cum & ſepulchrum eius in Terra ſancta extiterit, vt ſuo loco dicemus: non igitur longe à Palæſtina aut Chaldæa aberat Paradiſus. Firmantur hæc, quòd Geneſ. 3. v. 24. vbi Noſter habet: *Et eiecit Adam, & collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim*. Septuaginta Interpretes in Romana Editione ita reddiderunt: Et eiecit Adam, & collocauit eum contra Paradiſum voluptatis. In Complutenſi, Et collocauit eum ante Paradiſum voluptatis. In alijs, Et habitare eum fecit è regione horti delitiarum.] In quem locum Patres qui Græcam Septuaginta Tranſlationem ſectari ſolent, peculiariter annotant, Adamum non procul à Paradiſo à Deo poſitum,

ADAMVM PROPE PARADISVM HABITASSE ALIQVI PATRVM TRADVNT.

ſem-

ſemperque illũ cominus in proſpectu habuiſſe, vt è quo loco & ſtatu decidiſſet, perpetuo ante oculos habens, ad perpetrati facinoris ſeriam pœnitentiam accenderetur. Vnde S. Ephræm Syrus, cuius verba Cap. 9. poſuimus, inquit: Et eiecit eum ex Paradiſo, aſſignauitq. ipſi non procul ab eo. Extruſit Paradiſo, ſed in propinquo collocauit.] Hæc ille.

S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catacheſi 2. ſic ait: Eijcit ipſum ex Paradiſo, neque enim erat dignus illo loco propter peccatum. Conſtituit autem eum è regione Paradiſi, vt videat vnde exciderit, & à quibus in quæ delapſus ſit, deincepsq. per pœnitentiam ſaluetur.] S. Chryſoſtomus Homilia 18. in Geneſ. Non enim hoc ſolum miſericordiæ & benignitatis argumentum erat, quod emittebat & eijciebat; ſed & contra Paradiſum illum habitare faciebat, vt iugem dolorem haberet quotidie cogitans vnde exciderit, & in quem ſtatum ſe coniecerit.] Et poſt pauca ſubdit: Itaque quòd prope & è regione Paradiſi nos habitare iuſſit, maxime prouidentiæ, & noſtri curæ ſignum fuit, vt & ſpectando memor eſſet, & inde lucrum faceret.] S. Auguſtinus Lib. 2. de Geneſi contra Manichæos: Et eiectus foras de Paradiſo, moratus eſt contra Paradiſum voluptatis.]

Theodoretus Quæſt. 40. in Geneſ. Iuſſit autem Deus Adam è regione Paradiſi agere, vt priſtinam vitam dolore carentem reuocans in memoriam, odio proſequeretur peccatum, tamquam auctorem laborioſæ & ærumnoſæ vitæ.] Euſebius Cæſarienſis [a] ita ſcribit: Veluti humanum manſuetumq. Regem ſe exhibens Deus, qui merito iratus ſeruum eieciſſet à Regia; non procul autem habitare permiſſum ad ſolamen & ſpem eum aliquando rediturum.] Hæc ipſe. Similia alij Patres. At vt præfati ſumus, Adam in Palæſtina, vel in Chaldæa vixit: non igitur hinc longe aberat Paradiſus.

a Euſebius in Catena Græca in Geneſ. apud Steuchum Cap. 3. Coſmopœia.

QVARTO, [b] Conſtans Hebræorum, & plurium ex noſtris traditio eſt, Adamum formatum in agro Damaſceno, ex Adamah, hoc eſt, terra rubra, qualis dicitur eſſe gleba Syriæ & Armeniæ: [c] eſt autem veriſimile Adamum non niſi ex proximo loco vbi conditus fuit, in Paradiſum introductum: nam quid opus erat eum in remotiſſimo à Paradiſo loco creari, in ipſum mox transferendum? Paradiſus ergo Syriæ Damaſcenæ propinquus fuiſſe videtur.

b & illud C. 48

ADAMVM IN AGRO DAMASCENO FORMATVM.

c Notat Genebrardus Lib. 1. Chronograph. Pag 4. & 8.

QVINTO, [d] Euphrates & Tygris poſtquam hic ab Ortu, ille ab Occaſu, ab Aquilone in Meridiem defluentes, in vnumque coeuntes alueum Meſopotamiam effecerint, infra Babylonem & Seleuciam procurrunt: at certum eſt vtrumque ex Paradiſo profluere: quare eo loco vbi aquas committunt, vel certe non multum diſſito, Paradiſum fuiſſe conditum par eſt credere: nec multo remotius Phiſon & Geon ſuam curſum agere.

d & illud c. 48. & 50.

SEXTO, [e] In Chaldæa, Meſopotamia, Perſia fuiſſe olim decantatiſſimos Paradiſos, quorum nonnullos influeret Euphrates, Xenophon in Cyri Expeditione, Philoſtratus in Vita Apollonij teſtantur: nomen quoque ipſum Paradiſi Perſicum eſt, vti diximus Cap. 3. adhæc in Syria vrbem Paradiſum fuiſſe ex Strabone, ac Plinio ſupra Cap. 4. docuimus: at hæc cuncta haud leui coniectura innuunt Paradiſum in hiſce regionibus plantatum.

e & illud c. 60. extremo.

Recen-

Recentiores alij Paradiſum inter Indum & Gangem in Indoſcythia plantant. Cap. XVI.

a *Pineda lib.1. Monarchia Eccleſ. Cap.7.*

BECANVS & Pineda [a] exiſtimant Paradiſum cis Tropicum Cancri in Oriente, centeſimo trigeſimoquinto gradu longitudinis ſecundum Ptolemæum, inter Indum & Gangem, in Indoſcythia plantatum fuiſſe: & quidem prope Aceſinem fluuium, eo loco quo Hiaroti celebri amni coniungitur. Indoſcythiam deſcribit Ptolemæus lib. 7. Cap. 1. eſſe regionem Occidentalem Indi fluminis; de Aceſine vero & Hiarote complura Curtius de Rebus Alexandri, & alij Auctores, ſed & nos pauca mox.

Quod vero Recentiores iſtos in hanc de ſitu Paradiſi ſententiam adduxit, illud eſt, quòd mox vt primi generis humani Satores admiſſo peccato, ſuam nuditatem erubuerunt, inquit Moſes Geneſ. 3. 7. *Cumq. cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Porro ſubligacula vel cinctoria ex folijs ficus aſſuta, quibus nuda corporis velarent, videntur fuiſſe, non ex folijs huius noſtræ ficus, quæ ob aſperitatem, & ſcabritiem, nec ſatis congruam magnitudinem haud ſatis apta videntur eiuſmodi perizomatis contexendis: ſed potius ficus Indicæ, cuius folia miræ magnitudinis referuntur, vt ſcuti amplitudinem propemodum æquent: at ficum Indicam, Indiæ regionis peculiarem arborem, iuxta Aceſinem fluuium, præcipue quo loco cum Hiarote commiſcet aquas, affatim prouenire, magni Auctores tradidere. Ex quibus colligi poſſe videtur in ea Indiæ parte qua duo illa flumina coeunt, vbi maior vis Indicæ ficus enaſcitur, Paradiſum extitiſſe.

DE FICV INDICA MIRA, PLINIVS.

Sed quæ de ficu Indica, & ingentibus eius folijs Scriptores prodant, inſpiciamus. Plinius de Indicis arboribus ſermone ſuſcepto Lib. 12. Cap. 5. hæc ait: Nunc eas exponam, quas mirata eſt Alexandri Magni victoria, orbe eo patefacto. Ficus ibi exilia poma habet. Ipſa ſe ſemper ſerens, vaſtis diffunditur ramis: quorum imi adeo in terram curuantur, vt annuo ſpatio infigantur, nouamque ſibi propaginem faciant circa parentem in orbem quodam opere topiario. Intra ſepem eam æſtiuant paſtores, opacam pariter & munitam vallo, arboris decora ſpecie ſubter intuenti, proculue, fornicato ambitu. Superiores eius rami in excelſum emicant ſiluoſa multitudine, vaſto matris corpore, vt ſexaginta paſſus pleraque orbe colligant; vmbra vero bina ſtadia operiant. Foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet: ea cauſa fructum integens, creſcere prohibet. Raruſque eſt, nec fabæ magnitudinem excedens: ſed per folia ſolibus coctus, prædulci ſapore dignus miraculo arboris. Gignitur circa Aceſinem maxime amnem.] Hæc Plinius. Qui rurſus Lib. 7. Cap. 2. inquit: Vt ſub vna ficu turmæ condantur equitum.]

SOLINVS. Solinus vero in Polyhiſtore Cap. 55. de India ita ſcribit: Pomaria ficus habent, quarum caudices in orbem ſpatio ſexaginta paſſuum extuberantur. Ramorum vmbræ ambitu bina ſtadia conſumunt. Foliorum latitudo for-

mæ Amazonicæ peltæ comparatur;pomum eximiæ ſuauitatis.] Sic ille.

Strabo Lib.15.de Situ orbis hæc refert: India mirabiles multas mittit arbores;in quibus aliqua eſt decliues habens ramos: frondes haud ſane clypeo minores. Oneſicritus oram Muſitani exquiſitius explicans, quam in Auſtrum maxime vergentem dicit,ex India quaſdam eſſe,inquit, arbores, quarum cum rami ad cubitos duodenos excreuerint, reliquum de hinc augmentum ad ima deſcendere,donec curuati tellurem attigerint:poſtea per terram diſtributos, inſtar propaginum radicibus enatis effici: deinde altius creſcentes, trunco roborari; ex quo denuo ſimiliter deflexi, creſcendo aliam propagationem efficere: dein aliam, atq. aliam deinceps, adeo vt vna ex arbore vmbraculum longiſſimum effici, porticui multis compactæ columnellis quàm ſimillimum. Arborum quoque magnitudines refert, quarum ſtipitem quinque vix circumplectantur homines. Ad Aceſinem vbi ſe ad Hiarotim coniungit, refert Ariſtobulus arbores eſſe, quæ curuatos habeant ramos, earumque magnitudines eius generis exiſtere, vt vna ſub arbore quinquaginta equites meridiano tempore vmbris refrigerentur: hic vero quadringentos inquit. Aliam Ariſtobolus tradit arborem vt faba habentem ſiliquas longitudine digitorum decem, melle refertas, quas qui manducarent, non facile incolumes euadere. Illi de arborum magnitudine cunctos excelluiſſe mihi videntur, qui trans Hiarotim amnem, arborem ſe ſpectaſſe teſtantur, quæ tempore meridiano,vmbram ad ſtadiorum quinq. ſpatium efficeret.] Hæc Strabo. STRABO.

Quibus accinens Q. Curtius Lib. 3. Rerum Alexandri de India iſta perſcribit: Siluæ erant prope in immenſum ſpatium diffuſæ, proceriſque & in eximiam altitudinem editis arboribus vmbroſæ. Pleriq. rami inſtar ingentium ſtipitum flexi in humum, rurſum quà ſe curuauerant, erigebantur, adeo vt ſpecies eſſet non rami reſurgentis, ſed arboris ex ſua radice generatæ.] Tantum ille. Q. CVRTIVS.

His tamen longe vetuſtior Theophraſtus mira hæc de ficu Indica narrat, Lib.4.de Plantis Cap.4.Gaudet India ficu arbore,cuius anniculi rami in humum deflexi, actis radicibus, denuo ſurſum emergunt in nouas propagines, adeo vt in orbem circa primarium truncum ſilua facta, quaſi diuerſas porticus fornicato opere ſuper columnas efficiant. Iſtarum arborum aliquæ ſexaginta paſſus in orbem complectuntur; effundentibus ſe ſe nouis ſemper ſtolonibus vltra priorum ambitum, circum parentem. Altitudo vero tantum attollitur vt ad ducentos quinquaginta paſſus vmbram eiaculetur. Ingentium ramorum maxima denſitas: folia peltæ magnitudine: fructus non maior cicere,fici effigie,vnde Græci ficum appellant. Naſcitur maxime prope Aceſinem.] Ita Theophraſtus. THEOPHRASTVS.

Sic igitur veriſimile eſt Protoplaſtos ex ficus Indicæ folijs conſuiſſe ſibi perizomata, ſiue cinctoria, nimirum vt duo tantum folia, vnum à fronte & aliud à tergo propter ſui magnitudinem, quam diximus inſtar clypei eſſe, perapte totum hominem, ſaltem ab vmbilico ad pedes, inſtar femoralium obtegere potuerit. Hinc illud quoque facile intelligi poteſt quod de primis parentibus voce Domini pauefactis Genes.3.8.dicitur: *Abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradiſi*. quodq. Sera- EX IPSA, PERIZOMATA PRIMORVM PARENTVM

[a] Serapion in Græca catena apud Steuchum in Annot. Gen. 3.

pion Græcus Auctor exponens, ita reddit: [a] Igitur conſternati animo, in ipſam arborem ſe abſconderunt.] Id enim vix explicant Interpretes, figuris ac tropis locutionis adhibitis, cum ſimpliciſſimus ſenſus ſit, intra illud topiarium & fornicatum opus renaſcentium propaginum ficus Indicæ ſe ſe generis noſtri Proauctores occultaſſe. Vide Cap. 67.

ORDO FLVMINVM INDICORVM.

Ergo prope Aceſinem & Hiarotim, vbi ficus Indica naſcitur, conſitum fuiſſe Paradiſum, propter rationes adductas quidam ſibi perſuaſere. Sed de Aceſinis & Hiarotis poſitu in regione Indiæ, Strabo à Cophene fluuio, Indiæ Occiduo termino initio ſumpto, ordinem amnium Indiæ ita deſcribit Lib. 15. Poſt Cophen erat Indus, deinde Hydaſpes, dein Aceſines & Hiarotis, extremus vero Hyphaſis: vltra progredi vetitus Alexander, tum oraculis perſuaſus aliquibus, tum exercitu reluctante.] Hyphaſim autem fuiſſe Alexandri itinerum & expeditionum terminum, etiam Plinius Lib. 6. Cap. 17. Solinus in Polyhiſtore Cap. 55. & alij ſunt Auctores.

Quid ſit Eden. *Cap. XVII.*

ALIORVM ſententias de ſitu Paradiſi deſcripſimus: vt noſtram promamus, opportet primum quaſdam Paradiſi circumſtantias à Moſe poſitas diligentius expendere, ex quibus verum illius amœniſſimi horti ſitum facilius indagare poſſimus. Ait Moſes Geneſ. 2.8. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio*. Quod noſter Interpres dixit, *Paradiſum voluptatis*. Hebraice eſt

גן בעדן

Gan be Eden ad verbum, Hortum in Eden. Magna hic eſt eruditorum diſceptatio, num Edem ſit proprium loci nomen, num appellatiuum. Septuaginta quaſi proprium eſſet, ininterpretatū relinquentes dixere: *παράδεισον ἐν Ἐδὲν*. Græci Patres omnes, & ex Latinis permulti illud ſequentes, hunc locum ita legunt: Paradiſum in Eden. Sic S. Irenæus Lib. 5. aduerſus Hæreſ. Cap. 5. S. Theophilus Epiſc. Antiochenus Lib. 2. ad Autolycum, Origenes Lib. 4. Periarchon Cap. 2. S. Epiphanius in Epiſtola ad Ioannem Ieroſolymit. S. Baſilius Lib. de Paradiſo, S. Ambroſius Lib. de Paradiſo, S. Gregorius Nazianzenus, [b] S. Chryſoſtomus Homil. 13. in Geneſ. S. Gregorius Nyſſenus Serm. in Orationem Dominicam, Theodoretus Quæſt. 25. in Geneſ. S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 7. in Hexaemeron, S. Ioan. Damaſcenus Lib. 2. de Fide Orthod. Cap. 11. Theodorus, Sarron [c] & alij. Quin & ipſe S. Auguſtinus Lib. 2. de Geneſi contra Manichæos, Anaſtaſius Nicænus Quæſt. 24. in Scripturam, Moſes Bar-Cepha in Præfatione Lib. de Paradiſo, & Cap. 1. 16. & 21. atque alij innumeri. Sed cæterorum nomine vnum tantum Chryſoſtomum audiamus, qui ait: Moſes deſcribit Paradiſum, & nomen loci in quo erat, ſcilicet Eden.]

EDEN MVLTIS NOMEN PROPRIVM.

[b] Greg. Nazian. in Catena in Gen apud Steuchum in Notis ad 2. Geneſ. & in Apologetico.

[c] Apud eundem Steuchum.

Porro Hebræi ferme omnes, Eden nomen proprium loci in quo erat Paradiſus, conſtanter affirmant, ſic Aben-Ezra, Scelomo, Kimchius, Pomarius, & alij. Hinc in Ordinarijs eorum precibus pro defunctis, crebrius reperiuntur eiuſmodi conceptæ formulæ: Portas horti Eden aperite illi.] Spiritus eius requieſcat in Eden.] Item frequentes ſepulchrorum inſcriptiones: Sit

anima

anima eius in horto Eden.] Hinc etiam illæ *Raſe Theboth*, ideſt, notæ ſcribendi, G, E, Gan Eden, Paradiſus Eden.[a] Recentiores quoq. permulti vocem Eden hic pro propria accipiunt, loci nomen eſſe volentes: ſic ex Orthodoxis, Sanctes, Steuchus, Vatablus, Clarius, Oleaſtrius, Pererius, Sà, omnes in 2. Geneſ. Sixtus Lib. 5. Biblioth. Annot. 34. Galeſinius in Notis ad Sacram hiſtoriam Seueri, Lib. 1. Genebrardus Lib. 1. Chronograph. Pag. 7. Forerius in Iſaiæ 51. ver. 3. Marinus in Arca Noë, Viegas in 11. Apocalyp. Comment. 5. Section. 5. Ex hæreticis vero, Munſterus, Paulus Fagius, Tremellius Emanuel, Franciſcus Iunius in ſuis Tranſlationibus & Scholijs Geneſ. 2. Forſterus, Mercerus, Bertramus in Theſauris Hebraicis, & alij: vt diſcas nihil boni eos habere niſi à Catholicis.

גן

[a] *Apud Ioann. Quinquarboreũ in Notis Hebraeam.*

Confirmare hanc ſententiam videtur Vulgatus Interpres Geneſ. 4. ver. 16. cum Eden ſine interpretatione relinquit illis verbis: *Egreſſuſq. Cain a facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden.* ſatis innuens Eden nomen proprium loci vbi erat Paradiſus, extitiſſe. Atqui hoc fuit præcipuum argumentum eorum qui Paradiſum in confinibus Meſopotamiæ poſuerunt, quòd Eden regio vbi erat Paradiſus, prope Carras Meſopotamiæ fuerit. Habes horum opinionem Cap. 14. fuſe deſcriptam.

Ceterum Vulgatus ipſe cuius auctoritatem tanti facit Eccleſia, Eden Hebraicum non pro proprio, ſed pro appellatiuo proculdubio accepiſſe videtur, cum vertit, *Paradiſum voluptatis*. Eden, voluptatem interpretans. Nec nobis occinant, Interpretem ſolere nonnumquam propria locorum Hebraica nomina acſi eſſent appellatiua, Latine reddere; (cuiuſce rei ſunt exempla non pauca ab eruditis collecta:[b] ſed illud nunc ſatis ſit è Pſal. 75. ver. 3. *Factus eſt in pace locus eius.* pro, in Salem locus eius; cum ſubdatur: *Et habitatio eius in Sion.*) nam hoc loco ſatis oſtendit ſe Eden pro voluptate appellatiue vſurpaſſe, cum intelligi voluerit Paradiſum locum fuiſſe voluptuoſiſſimum. Vnde S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſim hæc habet: Et plantauit Dominus Deus Paradiſum in Eden, contra Orientem. Pro Paradiſo in Hebræo hortum habet, ideſt *gan.* Porro *eden*, delitiæ interpretantur; pro quo Symmachus tranſtulit, Paradiſum florentem.] Hæc ipſe.

ALIIS APPELLATIVVM PRO VOLVPTATE.

[b] *Anton. Nebriſſenſ. 3. Quinquagena, C. 49. Cantapetrenſ. Lib. 2. Hypotyp. C. 1. colum. 98. Grauar in C. 1. Meditationes.*

גן

Equidem *Eden* voluptatem, delitias, amœnitatem, delectionem ſignificare, vnde effictum ſit Grecum ἡδονὴ eiuſdem ſignificatus, notius eſt, quàm vt exemplis è ſacra Scriptura opus ſit demonſtrare. Haud probandum quod Forſterus, Forerius, & alij notarunt, ex nomine proprio Eden regionis vbi erat Paradiſus, quòd eſſet locus amœniſſimus, delitijs, ac voluptatibus opulentus, efformatum verbum *Adan* delitiari, & nomen Eden, delitiæ, in ſacris Litteris vſitatum: Cum melior ſit eorum ſententia qui putant Hebraicum thema genuina & innata notione voluptatem & delitias exprimere, vnde Paradiſus dictus ſit hortus Eden, hoc eſt, amœniſſimus & delicatiſſimus.

עדן עדן עדן עדן

Et quamuis locutio illa, ſi ad verbum reddantur Hebraica, *Plantauit Dominus Deus Paradiſum in voluptate*. duriuſcula videatur, pro, Paradiſum voluptatis, quod Noſter expreſſit; at non propterea reſiliendum ab auctoritate magni Interpretis, cum & phraſes Hebrææ iſta duriores ſæpius ſint emolliendæ: & omnes ſciant, In, præpoſitionem, Hebraico idiotiſmo, pro,

F 2 cum,

cum, paſſim in Scriptura poni.[a] Ergo idem erit: Plantauit Dominus Deus Paradiſum in voluptate. ac, cum voluptate. hoc eſt, cum delitijs & amœnitate inſigni, nempe Paradiſum delicatiſſimum. Et tunc quis non videt, ſenſum optime redditum ab Interprete, cum dixit, Paradiſum voluptatis. nempe, omnifaria voluptate refertum. Quin & S. Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi Cap. 7. legit: Paradiſum in delitijs. Et Seuerianus quamuis Græcus auctor, hæc annotat: [b] Eden interpretantur delitiæ, quaſi dicas: Plantauit Paradiſum in voluptate, vel delitijs, pro eo quod eſt, in loco delicato & amœno.]

a Exempla collecta habes à Steucho in 1. Geneſ. & Cantapratenſi Lib. 8. Hypotypoſ. Cap. 10.

b Seuerianus apud Steuchum in Coſmopœia.

IPSIS ETIAM SEPTVAG. INTERPRETIBVS.

Sed & Septuaginta in Moſis narratione de Paradiſo, non ſemel reddunt *παράδεισον τῆς τρυφῆς*, ideſt, Paradiſum voluptatis, quod Hebraice eſt, *Gan Eden.* vt Geneſ. 2. 15. *Et poſuit eum in Paradiſum voluptatis.* vbi S. Hieronymus inquit: Ipſi igitur Septuaginta Eden interpretati ſunt voluptatem. Symmachus vero, qui Paradiſum, pauloante, florentem tranſtulerat, hic poſuit *ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς ἀλσῆς*, quod & ipſum amœnitatē & delitias ſonat.] Eodem modo Septuaginta Geneſ. 3. ver. 23. & 24. transferunt Paradiſum voluptatis. Et noua Tranſlatio Vatabli nomine Geneſ. 2. 8. & alibi, vbi ponitur *Gan Eden*, exponit ſemper, Hortos delicatiſſimos, ſeu delicatos. Nec his officit quòd nomen Eden ſæpius in Paradiſi hiſtoria ſolum ſine alio adiuncto ponatur, vt Geneſ. 2. 10. *Fluuius egrediebatur ex Eden.* & alibi, vt propterea cogamur aſſerere, eſſe proprium loci. Nam ponitur ita abſolute, vel per antonomaſiam, *Ex Voluptate.* ad ſignificandum Paradiſum locum omnium voluptuoſiſſimum, vt ipſa voluptas dici poſſet: vel more Scripturæ ſubaudiendam vocem *Gan*, quam iam prius non ſemel repetitam, poſtea ſubintelligit: vel, loci, quam noſter Interpres expreſſit, cum reddidit: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis.* Sic igitur ex auctoritate Vulgati, Septuaginta, aliorumq. Patrum ſatis ſolide deduci videtur, Eden potius eſſe appellatiuum, ideſt, voluptas, quàm loci alicuius proprium nomen.

Elucidatur locus Geneſ. 4. Ver. 16. *Egreſſuſq. Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden.* ſimulque oſtenditur Eden, & Paradiſi, & alterius loci eſſe nomen proprium. *Cap. XVIII.*

QVOD Eden nomen proprium regionis eſſet, in qua Paradiſus conditus fuit, ex iſto Geneſis teſtimonio quoſdam comprobaſſe, ſuperiori Capite vidimus. Nunc id iam diſcutiamus. Caietanus, Catharinus, in 4. Geneſ. Bellarminus Lib. 1. de Gratia primi Hominis Cap. 12. exiſtimant, hoc loco non eſſe ſermonem de Paradiſo, & Eden iſtud in quo habitauit Cain, longe diuerſum eſſe ab illo cum dicitur, Paradiſum plātatum in Eden: ſatis firmo ducti argumento, quòd locus Paradiſi Adamo eiecto, manſit hominibus prorſus inacceſſus; at hic refertur Cain habitaſſe ad Orientalem plagam Eden; non autem habitauit in Paradiſo; iam ergo iſtud Eden non eſt illud Paradiſi. Refellit hoc argumentum Pererius ea ratione, quòd licet locus Paradiſi Eden ante diluuium, quamdiu eius pulchritudo

ſtetit, inhabitatus fuerit: at vaſtato Paradiſo diluuij vorticibus,cœpit locus hominibus incoli.Sed etſi iſtud daremus,non obſeruat diſertus Auctor,Cain ante diluuium habitaſſe ad Orientalem plagam Eden? Verum inſpice quid fateri Pererius cogatur: Quod plerique ex Hebræo conuertunt: Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum in Eden ad Orientem.] ipſe Pererius ſecutus alios exponit,Paradiſum plantatum in Orientali parte regionis Eden: & cum Scriptura dicat Cain habitaſſe ad Orientalem plagam Eden: ſi Eden vbi Cain ſubſiſtit, eſt illud Paradiſi, vti Pererius & alij docent; profecto coguntur aſſerere Cain habitaſſe in ipſiſſimo loco vbi erat Paradiſus:& cum nondum per diluuium abolitus eſſet ille pulcherrimus hortus, habitauit ergo in Paradiſo,quod eſt nimis aperte falſum, & Scripturæ repugnans.

Ex his dici poſſe videtur Eden aliquando non proprium loci,ſed appellatiuum eſſe nomen,delitiasq. ſignificare: at tunc dici de Paradiſo: aliquando vero eſſe loci nomen, illius,inquam,regionis,aut vrbis Syriæ prope Carras Meſopotamiæ, de qua ſuperius Cap. 14. diſſeruimus: & forſan hunc eſſe Eden vbi habitaſſe Cain refertur.

At nos cunctis probe perſpectis,in eam libentius ſententiam abimus,Eden eſſe nomen proprium,nedum appellatiuum regionis Paradiſi: ſed longe diuerſum ab illo Eden Meſopotamiæ,de quo diximus. Habebimus itaq. duas regiones Eden dictas in Scriptura, alteram in qua conditus fuit Paradiſus, de qua Geneſ. 2.& 3.agitur: alteram,illam Meſopotamiæ non longe à Carris de qua Iſai.37.v.12.& Ezech. 27. v. 23. Quòd Eden ſit proprium nomen regionis in qua ſatus erat Paradiſus,ex Septuaginta,ex conſenſu Patrum Græcorum,& multorum Latinorum,tum etiam Hebræorum, & plurium Recentiorum valide firmauimus ſuperiore Capite. Quibus nunc addimus Euſebium & S.Hieronymum,qui cum Hebraica loca vrbium, regionum &c. deſcribunt,de Eden tamquam de loco peculiari vbi eſſet Paradiſus,iſta perſcribunt: Eden ſacer Paradiſi locus ad Orientem,quod in voluptatem,delitiaſq. transfertur.] Hæc ipſi. EDEN PARADISI NOMEN PROPRIVM.

Et Moſes Bar-Cepha Lib.1. de Paradiſo Cap. 16. inquit: Porro vt regio Eden cunctas reliquas præcellit terras,ita & ea eius pars,in qua ſitus eſt Paradiſus, cetera omnia quæ Eden complectitur loca, ſuperat: neque enim in Eden vllum eſt ſolum præſtantius eo,in quo Paradiſus eſt conſitus.] Et Cap. 21.addit: Eſt autem à nobis iam dictum Cap.16.Eden eſſe regionem ſpatioſam,amplam, amœnam, variam. Paradiſum vero locum eſſe pulchris, fructuoſis,præſtantibus, laudabilibuſq. arboribus, præ quibuſuis alijs in tota Eden locis,ornatum. Paradiſum enim eius regionis quæ Eden dicitur, partem eſſe inter alias omnes præſtantiſſimam,laudabiliſſimam, atque cultoribus ſuis commodiſſimam.] Hæc Bar-Cepha. Vide infra Cap. 61.

Nec his officit quòd Vulgatus nomen Eden cum de Paradiſo dicitur,quaſi eſſet appellatiuum ſæpe ſæpius interpretatur voluptatem: iam enim ſuperiori Capite notauimus, Interpretem Hebraica locorum vocabula, quòd ſuas ſignificationes habeant, ſolere interdum Latinis auribus dare. Poſſemus tibi innumera exempla notare: ſed illud ſit pro indice, quòd in Biblijs Editionis Vulgatæ nouiſſime iuſſu Sixti V.& Clementis VIII. ſumma cura recognitis, plurimis locis, quibus Interpres nomina propria rerum Latine

reddidit, illa, maiuſcula littera in principio denotantur, vt quiſque intelligat, licet videantur appellatiua, eſſe tamen propria. Sic 2. Reg. 8. v. 1. & 1. Paralip. 4. v. 21. 22. & 23. Micheę 1. v. 10. 11. 14. & alibi ſæpius. Nec hanc conſuetudinem alienam eſſe à profanis Auctoribus, Antonius Nebriſſenſis 3. Quinquag. Cap. 49. prolatis exemplis demonſtrat. Non ſecus Geneſ. 2. & 3. *Eden* nomen regionis Paradiſi, Vulgatus tamquam appellatiuum exponit, cum ſit proprium, haud ſane ſine graui ratione, vt oſtenderet immenſas delitias & voluptates illius præſtantiſſimi loci.

DIVERSVM AD EDEN MESOPOTAMIAE.

Verum Eden Paradiſi diuerſum omnino eſſe ab Eden Meſopotamiæ, è maiorum quoque auctoritate comprobamus. Hebraica Maſſorah, qui Liber Iudæis eſt in magno pretio, in 1. Amos verſu 5. Kimchius in Libro Radicum, Mercerus, Bertramus, Marinus in Hebraicis Theſauris, obſeruarunt, Eden Paradiſi notari in Scriptura cum quinque punctis, nempe *Tſeri* & *Segol*, *Eden*: at vero Eden Meſopotamiæ, ſemper cum ſex punctis deſcribi, nempe geminato *Segol*, *Eden*, vt plane diſtincta & nomina & loca intelligamus: nam vt hanc diuerſitatē ſatis innuerent; doctiſſimos illos Tiberięſes Hebręos, qui indicto Concilio ducibus Rabbi Aaron Ben Aſſer, & Rabbi Iaacob Ben Nephtali, puncta ſacro Bibliorum Hebraico Contextui affixerunt; [a] alia atque alia punctatura Eden cum de Paradiſo, & cum dę Meſopotamiæ regione dicitur, affeciſſe, facile diſertum quoduis agnoſcet ingenium. Atque idem plenius declarabitur cum Paradiſum alibi quàm in Meſopotamia plantatum oſtendemus.

עדן

עדן

Iam vero de Eden illo ad cuius Orientalem plagam Cain habitauit, accurate diſquirendum: ſed locum integrum enarremus: ait Moſes: *Egreſſus Cain à facie Domini*. Diſceſſiſſe à preſentia & conſpectu illius ſimilitudinis, & imaginis ſub qua illi Deus apparebat, & loquebatur, quidam intelligunt. Alij, à ſermone illo diuino & colloquio. Nonnulli, à fauore, & beneuolentia qua eum antea Dominus proſequebatur. Sed annotant quidam, [b] Dei ſeu Domini faciem in Scriptura bifariam dici, vel de diuina eſſentia, gloria, vel maieſtate, quæ à ſolis Angelis, & beatis in altera vita cernitur, & comprehenditur, non ab homine quamdiu hic viuitur: vel de externa forma qua ſe ſe exhibet, & conſpici vult in verbo ſuo, & Sacramentis, ac externis rebus, quibus olim ſæpe ſuam præſentiam declarabat Iſraelitis & Patribus, vt in Arca, Propitiatorio, Columna nubis, ignis, & alijs. Vnde faciei Dei nomine reperies locum vbi colitur, & ſuam habet Eccleſiam, intelligi: vt cum à facie Domini Geneſ. 4. dicitur fugiſſe Cain, ideſt, à loco vbi Dei promiſſio de ſæmine benedicto ſonabat, & vbi erat eius verus cultus. Sic res externæ quibus Deus ſe verbo ſuo alligat, vbi vult eſſe præſens, conſpici, & coli, Dei facies dicuntur. Si faciei Dei, verbum lucis adiungatur, & interim ſine eo, lætitia ſignificatur, fauor, beneuolentia, gratia, benedictio, tam interna quàm externa.] &c.

QVID SIT A FACIE DOMINI.

מלפני יהוה

מפני יהוה

Inſuper obſeruant, non eſſe idem *Miliphne Iehoueh*, & *Mi pene Iehoueh*, vt Hebræi in 1. Ionæ docent: nam *Mi pene Iehoueh*, à facie Domini fugere nemo poteſt, vt eſt Pſalm. 139. quem nihil latet: ſed *Mi liphne Iehoueh*, à loco vbi ſe præſentem exhibebat Dominus, ſuis aſſiſtens, vbi coli volebat. Eſt tamen vbi hæc confundi videantur.] Hæc illi annotarunt.

[a] Vide Eliam in Tisbi, et Lib. de Accētih Sectione 2 et Præfat. in Maſſoreth, Kimchium in Pſal. 60. Montanū de Ratione Maſſoreth Tom 3. Bibli Regior. Genebrardū Lib. 2. Chronoḡ Pag. 181. et Lib. 5. Pag. 450. et 451. Ludouic. S. Franciſci Lib. 1. Glebi Cap 9. Marinum Præfat. in Arcam Noe.

[b] Mercerus, & Bertramus in Theſa. Hebrai.

Ergo

Ergo hoc loco dicitur Cain egreſſus *Miliphne Ieheuah*, à facie Domini ideſt, à loco vbi Deus præſentiam ſuam exhibebat, fundebat oracula, ſuos alloquebatur, inſtituebat, vbi erat verus Dei cultus, cœtus vel Eccleſia piorum: nempe vbi erat Adam, cum Setho, & alijs veri Dei cultoribus.

Porro illud Ionæ 1. cum dicitur, fugiſſe in Tharſis à facie Domini, eſt quoque Heb. *Miliphne Iehoueh*, plerique à Iudæa intelligunt, vbi notus era Deus, & vbi peculiariter colebatur. Alij, Hebraiſmum putant, vt ſtare in conſpectu Domini, pro fungi officio prophetæ & miniſtri verbi; ſic fugere à facie Domini, nolle obire munus prophetæ; nam ſane hoc miniſteriũ detrectabat Ionas: vnde Chaldæus Interpres habet: Vt fugeret ad mare potius, quàm prophetaret in nomine Domini.] Forſan ſimplicius fuerit. Ionam à præſentia illius ſimilitudinis ſub qua Deus illi loquens apparebat: vel à loco in quo Deus illi vt ad Niniuẽ pergeret, præcipiebat, voluiſſe fugere in quaſuis terras à Niniue remotas, vt tolleretur occaſio ſubeũdi illam prouinciã ex mandato Dei. Sed tu Interpretes adito, nos interim ad noſtra. Ait Moſes de Cain:

Habitauit profugus in terra Heb. ad verbum. *Et ſedit*, conſedit, ſubſtitit, reſedit, *in terra Nod*. Septuaginta: Et habitauit in terra Naid, vel Næd. vt eſt in Romana Editione. Chaldæus Paraphraſtes, In terra Nod. vel vt alia exemplaria habẽt: In terra migrãs & emigrans. ſeu vagus. Rab. Scelomoh ita ſcribit: In terra Nod ad quàm demigrabãt profugi omnes, ad Orientem Eden. quò & pater ſuus demigrauit, cum è Paradiſo Eden fuit eiectus: dictum eſt enim Geneſ. 3. v. 24. Et collocauit ante hortum, vel potius ab Oriente horti Eden. Vel in terra Nod, ideſt, motionis, quia quocumque ibat, terra ſubter illum mouebatur, dicebantq. creaturæ: Recedite: hic eſt qui fratrem ſuum occidit.] Hæc R. Scelomoh. Sed & R. Abraham inquit: Appellauit eum Nod, quia fuerat vagus & exul.] QVID TERRA NOD.

Accipiunt etiam hic Nod pro nomine proprio vrbis plerique Recentiorum, vt Iſidorus Clarius, Vatablus, Sanctes, Mercerus, Genebrardus, Marinus, & alij. Sed & Ioſephus Lib. 1. Antiq. Cap. 3. ita refert: Cain autem multas regiones vnà cum vxore emenſus, tandem Naida condidit. Id loci nomen eſt: atque illic ſedem optauit, vbi etiam liberos procreauit.]

Porro nomen Nod illi vrbi factum quidam exiſtimant à motione & vagatione Cain, qui ob fratricidium maledictione diuina percuſſus, vno loco ſtare nõ poterat. Alij ab euentu, quoniã Nod ſonat fugã & exiliũ, vt Latine Latium, quòd illic latuiſſet Saturnus: nempe Cain in illa terra à patre & pijs profugus, quaſi in exilio procul habitauit. Rabbi Scelomoh, vt vidimus, quòd illuc profugi ſe ſe reciperent, quò etiam Adam Paradiſo eiectus demigrauit.

Ceterum S. Hieronymus Nod non pro proprio regionis aut vrbis nomine, ſed pro appellatiuo, hoc eſt, profugus, vagus, oberrans, vſurpauit, ſicq. in Editione Vulgata poſuit. Vnde in Traditionibus Hebraicis in Geneſ. ſcribit: Et habitauit in terra Naid. Quod Septuaginta Naid tranſtulerunt, in Hebræo *Nod* dicitur, & interpretatur σαλευόμενος, ideſt, fluctuans, & inſtabilis, ac ſedis incertæ. Non eſt igitur terra Naid, vt vulgus noſtrorum putat: ſed expletur ſententia Dei, quòd huc atque illuc vagus & profugus oberrauit.] Hæc Sanctus Hieronymus. Cuius ſententiam cum Eccleſia in Editione Vulgata probarit, nobis merito ceteris præferenda. NOD, PROFVGVS.

Quàm

נוד Quam etiam eo argumento firmamus, quòd hæc vox *Nod* cum non alibi quàm hoc loco, & Pſal. 55. v. 9. in Scripturis occurrat, in Pſal. tamen appellatiue ab omnibus capitur, pro motione, vagatione, migratione, fuga, exilio: quod Septuaginta & Noſter, *vitam*, dixere: quòd humana vita hæc omnia contineat. Volunt eſſe nomen ſubſtantiuum, ſed pro adiectiuo Interpres in Geneſi accepit: ſi illud mauis, ad verbum erit exponendum, In terra vagationis. ſeu exilij. nimirum hæc erat miſera Caini conditio.

Ad Orientalem plagam Eden. Notauimus iam quoſdam Eden hic diſtinctū locum à Paradiſo putaſſe; at nos cum pleriſque regionem in qua conſitus fuit Paradiſus, potius arbitramur; ſed diuerſam penitus ad Eden Meſopotamiæ, ſicuti diximus: ea potiſſimum ducti ratione, quòd hic cum quinque punctis

עדן notetur, quæ erat propria notatio Eden Paradiſi; cum Eden Meſopotamiæ

עדן ſex punctis affigeretur, vt antea docuimus: vt hoc ſit haud leue argumentum, Eden cum quinque punctis nomen fuiſſe quoque proprium regionis Paradiſiacæ.

Nonnulli eorum qui Paradiſum in Meſopotamia conſerebant, exiſtimarunt Cainum profugum à loco vbi Adam cum cœtu piorum morabatur, demigraſſe Orientem verſus, vltra Meſopotamiæ Eden, vbi erat Paradiſus, atque in ea regione quæ ipſi Eden ſeu Paradiſo erat Orientalis conſediſſe. Nimirum aiunt, [a] Cainum cum poſteritate incoluiſſe Aſſyriam, vel eiuſmodi aliam regionem trans Tygrim & Euphratem, quę ipſi Meſopotamię ſeu Horto Eden, eſſet Orientalis: cum Adam, Seth, & alij veri Deicolæ in quibus erat Eccleſia, Syriam & vicinas regiones cis Euphratem, quæ ipſi Meſopotamiæ & Paradiſo Eden eſſent Occidentales, inhabitauerint. Sicque Hortum Eden, hos ab illis diremiſſe; ac medium inter vtroſque fuiſſe. At nec Paradiſus in Meſopotamia fuit, vt poſtmodum magnis rationibus oſtendemus: nec iſto loco Eden Meſopotamiæ intelligi queat, cum quinque punctis affigatur: ſecus quàm Eden Meſopotamiæ quod ſemper eſt ſex punctorum.

[a] *Genebrard. lib. 1. Cronogra. Pag. 9. & 10.*

Quidam [b] illud, *Ad Orientalem plagam Eden.* locum intelligunt qui ipſi Eden Paradiſi eſſet Orientalis. Sed magis remur, Cainum profugum à loco vbi Adam cum Eccleſia manebat, abſceſſiſſe verſus Orientem, in regionem quampiam quæ eidem loco piorum eſſet Orientalis; & quæ ipſum Eden Paradiſi Orientem verſus ſpectaret: nam Paradiſus in Oriente ſitus fuit: nimirum ad Orientem profectum, verſus Paradiſi Eden conſediſſe, propius ad Eden accedens. Sicq. Cain habitauit in loco qui regioni quam Adam cum pijs incolebat, erat Orientalis: ſed ipſi Eden Paradiſi Occidentalis. Vnde Hebraicum *Kidmath*, quod Noſter dixit, *Ad Orientalem plagam.* omnes ferme reddunt, ante, contra, è regione Eden. Qua etiam ratione eandem vocem

קדמת Hebraicam Vulgatus expreſſit Geneſ. 2. 14. *Ipſe vadit contra Aſſyrios.* Et illud Ezechiel. 39. 11. de ſepulchro Gog. *In Valle viatorum ad Orientem*, Heb. Kidmath, *maris.* Lib. 10. de Antichriſto Cap. 11. explanauimus, ad Orientem verſus Mare Geneſareth. Non enim Vallis viatorum, vbi ſepulchrum Gog, erat Orientalis Lacui Tiberiadis, cum ſit cis Lacum: ſed Orientalis ipſi Ieroſolymæ, verſus Mare Galilææ. Sed quæ illæ fuerint regiones, quas Cain cum poſteris, & illæ quoque quas Adam cum cœtu piorum incoluerint, Cap. 53. opportunius dicetur. Ergo qui Paradiſum in Meſopotamiæ confinibus plantatum

[b] *Vatablus, Hencala & alij in 4. Geneſ.*

CAIN A COETV PIORVM VERSVS ORIENTEM ABCESSIT.

tatum à Deo, ex Eden regione Mêſopotamiæ firmare conabantur, perſpicue patefactum eſt, eos haud ſolida fuiſſe ratione ſubnixos.

Quid ſit בית-ערן Beth-Eden, *vel Domus voluptatis, Amos Primo, Verſu V.* Cap. XIX.

SANCTVS Amos Propheta ita inquit: *Conteram vectem Damaſci: & diſperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem ſceptrum de domo voluptatis*. Locum ex profeſſo elucidare nec noſtri animi nec inſtituti nunc eſt, tantum voces illas, *De domo voluptatis*. Hebr. *Beth-Eden*, tantiſper expendemus. Septuaginta in Romana Editione, & apud S. Hieronymum pro Beth Eden, habent, Viros Charran. Forſan pro Beth, legere *Bene*, vt 4. Reg. 19, 12. ideſt filios, aut viros. vel *Beth*, intellexere domum vel familiam, ſeu viros vnius generis. Obſeruat autem S. Hieronymus, in Eden, pro ד *daleth*, legiſſe Septuaginta ר *reſc*, & ע *Aijn* expreſiſſe per Græcum χ, & ſic dixiſſe Charran: at in Complutenſi Editione Septuaginta, *viros Adan*, legunt, quod propius Hebræo accedit. Aquila, Synmachus, & Theodotion, teſte S. Hieronymo, Domũ voluptatis, vt etiam Vulgatus, ſunt interpretati. Recentiores alij exponũt, Domum Eden. vt Sanctes, Mercerus, & Bertramus: alij vero totum nomen Hebraicũ relinquunt, ac ſi eſſet loci proprium, Beth Eden, vt Beth Semes, domus Solis, Beth lehem, domus panis, Beth-el, domus Dei: ſic Marinus, Montanus, & alij. Sciteq. obſeruant, eiuſmodi nomina quæ vocem Beth, ideſt, Domus, in compoſitionem accipiunt, multis vrbibus, & oppidis in Sriptura indita, aut ex illuſtri aliqua loci qualitate, aut ex rei cuiuſpiam inſigni copia. Sic Beth-Eden, ab ingenti loci amœnitate & delitijs nomen accepiſſe non eſt dubium.

בית-ערן

בית
בני
ערן

Pleriq. Interpretum vt Montanus, Ribera, & Sà, & alij, hoc nomine appellatam à ſacro Vate Damaſcum ob ſoli fertilitatem, & delitias, exiſtimant. Sed iuuat Montanum hunc Amos locum enerrantem audire. Damaſcus, inquit, quamuis ſitu ipſo fortiſsima non ſit, eſt tamen vrbium noſtri orbis amœniſsima, ad Libani montis radicem in valle conſtructa, quam & cæli, & ſoli temperies adeo fecundam, adeo pulchram efficit, vt nihil vltra in humanis poſſit rebus deſiderari. Eam autem præter natiuum nitorem, hominum etiam cultura illuſtrat: ſi quidem magnificentiſſimis & ornatiſſimis villis, hortis, atq. vinetis, alijſq ad aſpectus iucunditatem, & habitandi commoditatem operibus innumeris frequens eſt: vt cultores non ſolum vtilitate, ſed voluptate etiam iuuet. Atq. hanc commoditatem duo celebratiſsimi amnes, Amnam & Parpar ſua etiam pro parte creant. Ambo enim ex Libano monte prodeuntes, perlucidis & dulciſsimis liquoribus abundant: alter autem Damaſcum influens, totus potu, & vrbanis hortis irrigandis intra mænia ipſa, & ſuburbana conſumitur: alter vero præterfluens eam quam diximus vallem deductis canalibus, totam irrigat. Atq. hæc vallis & cultorum & villicorum ſemper eſſe ſolet refertiſsima. Mediam autẽ vallem vrbs ipſa tenet, quæ pulcherrimis extructa ædeficijs, genialium quorundam ædium regia magnificentia in medijs hortis poſitarum, ſpe-

DELITIAE DAMASCI,

ciem præbet: cuiuſmodi imaginem intueri ſibi videtur, qui Mediolanum in Ciſalpinis, aut Hiſpalim in Bethica longius proſpicit hanc oliuetis, illam vinetis, & populis, quercubuſq. cinctam. Atq. adeo tanta Damaſci amœnitas, tam præclarus eſt proſpectus, vt apud Iſmaelitas conſtanti fama & voce vulgatum ſit, eorum Sectæ principem Mahumetum, primum ex editiore colle regione illa proſpecta, ſubito pedem retuliſſe, dicentem, Nolle ſe diuturnum futuri Paradiſi fructum, cum eius quem videbat breuitate permutare: fieri enim non poſſe, vt duplici quis Voluptatis Paradiſo fruatur: ſi cui autem præſentis vſus placuerit, futuri felicitate eſſe interdicēdum: ſe vero iam cognouiſſe vbinam terrarum præſentis vitæ Paradiſus eſſet, nempe apud Damaſcum: quamobrem ſibi hunc negligendum eſſe, vt illo altero tandem potiri liceret. Hæc nos & in his qui de Mahumeti hiſtoria conſcripti, ſunt libris, legimus, & à pleriſq. eorum, qui ea loca peragrauerunt, cum [a] Iudæis, & Turcis, tum etiam Chriſtianis grauiſſimis viris audiuimus; qui loci amœnitatem, & fecunditatem, atq. ſplendorem numquam ſatis admirari ſe poſſe putant. In his Leo medicus Florentinus eſt, plantarum & totius ſtirpium naturæ diligentiſſimus indagator, qui eius ſtudij gratia bonam orbis noſtri partem pedibus objit: nuper apud nos erat Philippo Regi ob eam rem gratus, qui regio ſtipendio affectus, Hiſpaniæ agros, campos, montes, & nemora certis temporibus peragraret. Is nobis nullam orbis terrarum regionem æquali portione cum Damaſcena comparari poſſe affirmabat. Quam rem & à grauiſſimo, ſanctoque viro Iacobo Vaſquio Matamoro, noſtrate Sacerdote, & egregio pictore, ſæpius audire meminimus, qui pietatis ergo in Syriam nauigauerat, omnemq. eam luſtrauerat regionem. Eam igitur vallem, atq. eam vrbem Damaſcum hoc loco Vates intelligit: quas, Vallem Auen, & Domum voluptatis appellat.] Hactenus Montanus. Cuius integra verba idcirco deſcripſiſſe Voluimus, vt Recentiores inde qualecumq. argumentum caperent, voluptatis Paradiſum in Syria Damaſcena, vel non longe à Damaſco conſitum fuiſſe. Equidem quod ad amœnitatem & dilitias Damaſcenæ regionis attinet, cuncti cum hiſtorici, tum Geographi miro conſenſu aſſentiuntur.

OB QVAS EX.STIMATA PARADISVS

[a] Rab. Iſaac Hiſpan. in Amos.

Verum Beth Eden hoc loco Amos, eſſe eandem vel vrbem, vel regionem quæ 4.Reg.19.v.12. & Iſaiæ 37.v.12. dicitur *Bene-Eden* ideſt, filij Eden, prope Carras Meſopotamiæ, Mercero, Marino, aliiſq. aſſerentibus facile credimus, propter ſex punctorum notationem, qua regio illa Eden prope Carras affici in Scriptura ſolet, cum Beth-Eden in Amos ſex quoque punctis affigatur.

בני עדן

בית-עדן

Sat ſcio, clamabunt aliqui, non tanti faciendam Hebraicam iſtam punctorum adiectionem, pro ſenſu tantum & iudicio Maſſoretarum appoſitam, vt ſolidum inde argumentum ſumi queat. Fateor, ſed non penitus negligendam multis locis, haud ibunt infitias eruditi. Sed quæſo quænam eſt firma ratio vt Eden in Amos, diuerſum faciamus ab eo Eden quod in Regibus & apud Iſaiam deſcribitur? Vide ſupra Cap.14. & 17.

Paradi-

Paradiſum Plantatum in Oriente. *Cap. XX.*

P*Lantauerat autem*, inquit Moſes, *Dominus Deus Paradiſum Voluptatis à principio*. Quod noſter, *à principio*, dixit, Hebraice eſt *Mikedem*. Et vero *Kedem*, tam de tempore quàm de loco in Scriptura dici, nimis eſt peruagatum. Cum tempus indicat, proprie tempus anterius, hoc eſt, principium, initium, originem, ante. prius &c. ſignificat: vel antiquitatem, vetuſtatem, tempora priſca, anteriora &c. Iſaiæ 45. 21. *Quis auditum fecit hoc*, Mikedem, *ab initio?* & Cap. 46. v. 10. *Annunti ans ab exordio nouiſſimum, & Mikedem, ab initio quæ necdum facta ſunt.* & alibi ſæpius.

מקדם
קדם
KEDEM PRINCIPIVM, ANTE ETC.

Cum vero *Kedem*, de loco dicitur, indicat Orientem, plagam, aut regionem Orientalem, ſeu anteriorem, Geneſ. 11. verſ. 12. *Cumq. proficiſcerentur* Mikedem, *ab Oriente, innuenerunt campum*. Geneſ. 3. verſ. 24. *Et collocauit* Mikedem, *ante Paradiſum voluptatis Cherubim: & flammeum gladium*.

KEDEM, ORIENS.

Ergo quod Moſes ait, Paradiſum voluptatis plantatum *Mikedem*, varie Interpretes expoſuerunt. In quem locum S. Hieronymus Lib. Hebraic. Traditionum hæc annotat: Nec non quod ſequitur *apud Septuaginta*, Contra Orientem, in Hebræo *Mikedem* ſcribitur, quod Aquila poſuit ἀπάρχῆς, & nos ab exordio poſſumus dicere: Symmachus vero ἐκπρωτος, & Theodotiõ ἐνπρωτοις, quod & ipſum non Orientem, ſed principum ſignificat.] Ita ille. Igitur Vulgatus ſecutus Aquilam, Symmachum, & Theodotionem, dixit, *à principio*: qua etiam ratione Chaldæus Paraphraſtes expoſuit, qui habet, *Mille Kodamin*, hoc eſt, à principio. Marinus ſcite dixit, Ab origine.

מקדם
מלקדמין

Verum Septuaginta *Kedem* non de tempore, ſed de loco intelligentes, verterunt hic κατὰ τὰς ἀνατολάς, hoc eſt, Ad, contra, ſecundum Orientem. Quod ſecuti ſunt ex Hebræis Aben-Ezra, Scelomoh, Kimchius. Pomarius, & alij ferme omnes. Ex noſtris Recentioribus, Sanctes, Steuchus, Vatablus, Oleaſtrius, Genebrardus, Clarius, Sà, & alij. Ex hæreticis, tametſi nominari indignis, Munſterus, Fagius, Leo Iudas, Franciſcus Iunius, Tremellius Emanuel, Mercerus, & alij, Hiſpanica quoque ex Hebraico Tranſlatio. Vnde ad verbum locum ita conuertunt: *Et plantauit Dominus Deus hortum*, vel Paradiſum, *in Eden ab Oriente*.] At quod maioris ponderis iure habendum eſt, Græci Patres omnes, & plurimi ex Latinis ſecuti Septuaginta, Paradiſum ad Orientem plantatum affirmant.

SEPTVAGINTA, ET PATRES PARADISVM IN ORIENTE PLANTATVM.

S. Irenæus Lib. 5. aduerſ. Hæreſ. Cap. 5. ſic inquit: Quemadmodum Scriptura dicit: Et plantauit Deus Paradiſum in Eden contra Orientem.] Tertullianus Lib. de Geneſ. Cap. 2. ita canit:

Læta Paradiſus in aula.
Inſtruitur, primiq. adſpectat lumina ſolis.

Et Lib. de Iudicio Domini Cap. 8. ait:

Eſt locus Eois Domino dilectus in oris.

Lactantius Firmianus Lib. 2. Diuinar. Inſtitut. Cap. 13. Poſt hæc Deus hominem poſuit in Paradiſo, ideſt, in horto fecundiſſimo, & amœniſſimo, quem in partibus Orientis omni genere ligni, arborumq. conſeruit.] Et in Carmine de Phœnice:

Eſt locus in primo felix Oriente remotus.

Proba Faltonia in Virgilio centonibus de Paradiſo ait:

Ecce autem primi ſub lumine ſolis & ortus.

Marius Victorinus Lib. 1. Carminum in Geneſ. etiam de Paradiſo:

Eoos aperit felix quà terra receſſus.

S. Alcimus Auitus Lib. 1. de initio Mundi:

Eſt locus Eoo mundi ſeruatus in axe.

At ne ſimus plus iuſto prolixi in Patrum deſcribendis ſententijs, Paradiſum in Oriente plantatum, ex verbis Moſis affirmant, Ioſephus Lib. 1. Antiquit. Cap. 1. ſanctus Theophilus Epiſcopus Antiochenus, cuius verba habes ſupra Cap. 7. ſanctus Hippolytus Martyr, Theodorus, Sarron, Seuerus in Græca Catena in 2. Geneſ. S. Athanaſius Quæſt. 47. ad Antiochum, S. Epiphanius Epiſtola ad Ioannem Ieroſolym. S. Baſilius Homilia 11. in Hexaemeron, S. Ambroſius, in Lib. de Paradiſo, S. Chryſoſtomus Homilia 13. in Geneſ. S. Auguſtinus Lib. de Geneſi contra Manichæos, Theodoretus Quæſt. 25. in Geneſ. S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 7. in Hexaemeron, Anaſtaſius Epiſcopus Nicænus Quæſt. 24. in Scripturam, S. Damaſcenus Lib. 2. de Fide Orthodoxa Cap. 11. S. Iſidorus Lib. 14. Etymolog. Cap. 3. & alij innumeri. Sed & S. Thomas Theologiæ lumen in 1. Parte Quæſt. 102. Art. 1. hæc ſcribit: Conuenienter autem in parte Orientali Paradiſus dicitur ſitus: quia credendum eſt, quòd in nobiliſſimo loco totius terræ ſit conſtitutus. Cum autem Oriens ſit dextera cæli, vt patet per Philoſophum in 2. De Cælo: dextra autem eſt nobilior quàm ſiniſtra; conueniens fuit, vt in Orientali parte Paradiſus terrenus inſtitueretur à Deo.] Hæc ille. Vide aliam rationem Capite ſequenti ex Seueriano. Certum igitur ſit Paradiſum in Oriente plantatum. Ad hunc quoque ſenſum poſſe reduci Vulgati interpretationem: *A principio*. Toſtatus in 2. Geneſ. & in 13. Cap. Quæſtio 92. & 129. obſeruauit, ſic dicens: *A principio*, & poſſit accipi de principio temporis, & de principio loci, principium autem terræ eſt Oriens: & in principio terræ, hoc eſt, in prima parte terræ habitabilis Orientalis plantatus fuit Paradiſus.] Hæc ille: quæ accepit à Petro Comeſtore in Hiſtoria Scholaſt. Geneſ. Cap. 13.

CVR PARADISVS IN ORIENTE.

Cur verſi ad Orientem adoremus. Cap. XXI.

IAM conſtans, exploratumq. apud antiquos Patres ſemper fuit, Paradiſum in Oriente plantatum, vt cum iidem ſancti Doctores cauſas exquirerent vetuſti illius Chriſtiani ritus, quo in precibus, alijſq. ſacris cæremonijs fidelibus mos eſſet faciem ad Orientem obuertere; eam inter alias potiſſimum rationem afferrent, nimirum quod Paradiſus felicitatis genuinus locus, ad Orientem conditus eſſet. Sed Patrum nonnullas de re iſta ſententias relegamus.

S. Athanaſius Quæſt. 37. ad Antiochum, inquit: Quæ cauſa quòd adoramus ad mundi plagam Orientalem: & quare hoc faciunt Iudæi verſus Auſtrum. Reſponſio. Non vnum & par de his poteſt dari reſponſum. Iudæis enim quibuſdam reſpondendum, & quibuſdam ex Græcis exponendum negotium: deniq. Chriſtianis etiam quæ cauſam hanc concernunt, declaranda veniunt. Atque Iudæis quidem reſpondemus, quòd eam ob cauſam qui fideles ſumus, adoramus ad Orientem, quòd Spiritus ſanctus per Dauidem Prophetam præcepit, qui dicit: Adoremus ad locum vbi ſtetere pedes Domini. Quod ſi Iudæus obijciat: Vbinam ſtetere pedes Domini? Zacharias Propheta docet, cum inquit: In Oriente pedes Domini ſtabunt in monte Oliuarum, è regione Ieruſalem. Vnde & Iudæi qui ſunt Ieroſolymis adorantes, verſus Orientalem mundi plagam adorant, ad montem videlicet Oliuarum. Et hoc quidem breuiter Iudæis reſponſum eſto. Quod ad Græcos, reſpondemus quòd non ideo adoramus ad Orientem, quòd in ea parte mundi Deus aliquo modo circumſcriptus habitet: ſed quia Deus lux eſt vera, diciturque, eam ob cauſam ad creatum iſtud lumen conuerſi, non illud quod creatum eſt lumen, ſed eius luminis creatorem adoramus: & ex elemento omnium ſplendidiſſimo, omnium elementorum ſplendidiſſimum creatorem Deum veneramur. Audiant vero Fideles & diſcant, quòd ſancti Apoſtoli Chriſtianorum Eccleſias ideo iuſſerunt Orientem verſus ſuas fundere preces, vt ad Paradiſum vnde excideramus, reſpicientes, ſuppliciter à Deo petamus, & à noſtro Domino, vt in antiquam nos patriam & locum vnde excidimus, reſtituere velit. Ad Auſtrum vero intendere Iudæis Prophetæ præceperunt, quòd ex Auſtro quoad Ieruſalem, ſcilicet ex Beth-Lehem naſciturus erat Dominus, ideo dixit Propheta: Deus ab Auſtro veniet. hoc eſt, à Noto, qui dicitur Theman.] Hactenus S. Athanaſius.

AD PARADISVM VERSOS ORARE CHRISTIANOS.

S. Cyrillus Ieroſolymitanus illud inueſtigans, cur qui diuino fonte eſſent luſtrandi, primum ad Occaſum reſpicientes diabolo renuntiarent, dein ad Orientem conuerſi, Chriſtum confiterentur, hæc ait, Catecheſi Myſtagogica 1. Cum itaq. Satanæ renuntiaueris, & omne cum illo pactum reſcideris, veteres, inquam, pactiones cum inferno, aperitur tibi Paradiſus Dei, quem ipſe ad Orientem plantauit: & huius rei ſymbolum eſt, cum ab Occaſu conuerteris ad Ortum, quæ lucis eſt regio. Tum admonebaris vt diceres: Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum.] Ita Cyrillus.

Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo Cap. 13. in hunc modum ſcribit:

Sed

Sed quærat aliquis, in quanam mundi regione poſitus ſit Paradiſus, verſus Orientem, an Occidentem, an Meridiem, an Septemtrionem. Huic reſpondemus, Baſilium quidem & eius fratrem Gregorium Nyſſenum, atque præter hos Dominum Seuerum, compluresſque alios opinari Paradiſum ad Orientalem terræ regionem extare. Baſilius enim Sermone ſuper illud Pauli: In omni re gratias agite. ad hunc modum ſcribit: Ideo ad Orientem verſi inter orandum ſtetimus, vt oculos noſtros ad contemplandum Paradiſum aſſuefaceremus, eoque locum noſtrum priſtinum requireremus. Gregorius vero Nyſſenus Sermone quem in Orationem Dominicam compoſuit, ſic ait: Conuertimus nos ad Orientem, non ideo modo quòd illic Deus ſit aſpectabilis, qui vbique eſt, neque vllo particulari loco omnino continetur, cum omnem ex æquo occupet: ſed quia locus noſter priſtinus in Oriente eſt: de ea vita loquor quam in Paradiſo agitabamus, ex quo deinde excidimus: Conſeuerat enim Deus Paradiſum in Eden, in Oriente. Cum igitur ad Orientem dirigimus oculorum noſtrorum aciem, atque caſum noſtrum, quo ex beatiſſimis illis locis excidimus, reuocamus in animos noſtros, merito hanc precationem tibi offerimus, &c. Denique Dominus Seuerus Oratione qua diſſerit, Cur verſi ad Orientem adoremus, hæc prodidit: Quia Paradiſus in Oriente eſt, & illinc ſumus egreſſi, atque ad locum noſtrum antiquum reuerti ſperamus, &c. Sunt etiam qui hinc conſtare exiſtiment, Paradiſum in Oriente eſſe, quia qui Templa aut Aedes conſtruere volunt, ad Orientem ſpectantia, ita deſcribunt, vt ad Solem in menſe Niſan (reſpondet is lunæ Aprilis noſtri) Orientem obuerſa ſit fabrica: nimirum quia illo menſe Sol ſupra Paradiſi locum oriatur. Et horum alij quidem diem decimumquintum menſis Niſan obſeruant, quaſi eo Solis radij recte ex Orientalibus feneſtris proſiliant: alij vero quartum, eo quod id fieri putant, cum Sol eo ſit die creatus, & curſum ſuum occeperit.] Huc vſq. Bar-Cepha.

ID PLEROSQ. PATRES DOCERE.

TRADITIONEM ESSE CHRISTIANOS AD ORIENTEM ORARE.

At fuiſſe hanc in Eccleſia Apoſtolicam traditionem, vt Chriſtiani inter orandum faciem ad Orientem conuerterent: Eccleſiæq. Fidelium Solem Orientem reſpicerent; huiuſceq. ritus alias quoq. præter illam, quòd Paradiſus ad Orientem ſitus eſſet, cauſas extitiſſe, clariſſima ſunt teſtimonia Tertulliani Lib. contra Valentinianos, initio, Auctoris apud S. Iuſtinum Martyrem Quæſt. 118. S. Epiphanij Hæreſi 19. quæ eſt Oſſenorum, S. Baſilij Lib. de Spiritu ſancto Cap. 27. S. Paulini Epiſcopi Nolani Epiſt. 12. Auctoris apud Origenem Homil. 5. in Leuiticum, qui putatur S. Cyrillus Alexandrinus, S. Auguſtini Lib. 2. de Sermone Domini in monte Cap. 9. S. Damaſceni Lib. 4. de Fide Cap. 13. S. Germani Epiſcopi Conſtantinopolitani Lib. de Theoria rerum Diuinarum, Vualfridi Strabonis Lib. de Rebus Eccleſiaſticis Cap. 4.

PARADISVS IN ORIENTE.

Verum de peruetuſto hoc Chriſtiano ritu, eiuſque rationibus, quia pauca quæ inſtituto peropportuna videbantur, collegimus, plura ſi aues, conſule pleroſque eruditos Recentiores, præſertim qui inter alios de his accuratius egere, Bellarminum Lib. 3. de Sanctorum Beatitudine Cap. 3. Baronium Annal. Tomo 1. Anno Chriſti 58. Cap. 106. iam ad noſtra. Sed cur Deus Paradiſum in Oriente plantauerit, adduxit S. Thomas ſcitam

& pera-

& perāpεam cauſam, quam habes ad finem Capitis præcedentis, ſed aliam accipe ex Seuero in Græca Catena Geneſis, qui ſic ait: Sed cur ad Orientem potius, quàm ad aliam partem cæli? Præmonens quod futurum erat Deus, hominem ibi primū habitare voluit, vnde principium lucis exoriretur: nam quemadmodum ſidera ab Ortu tendentia ad Occaſum rurſus apparent, ſic & hominem opportebat à vita properare ad mortem & occidere, rurſuſque renaſci per reſurrectionem à mortuis.] Hæc ille. At in rebus huiuſce quæ ex abſoluto Dei beneplacito, & arbitrio pendent, vix poſſit propria & ſolida ratio humanitus excogitata proferri.

Ex his quæ iſto, ac præcedenti Capite diſſeruimus, ſatis cordatus quiſq. diſpicere poterit, locum illum Geneſ. 2. 8. duas haſce lectiones, &, *A principio*, &, *Ab Oriente*, ſuſtinere, & vtramq. eſſe veram, genuinam, ac tot Patrum fultam auctoritate: cum geminam vox Hebraica ſignificet: nec altera alteri vllo pacto inueniatur aduerſa: & ambas Spiritus ſanctus per os ac magiſterium ſanctorum Doctorum Eccleſiæ ſuæ tradiderit: veriſſimum ſiquidem eſt Paradiſum ab ipſo mundi principio in Oriente plantatum. Itaq. lectionem, *à principio*, in Vulgato commendat Eccleſia: illam vero alteram, *ad Orientem*, in Septuaginta, & ſanctorum Patrum conſenſu approbat: nec vllo prætextu à quouis ſciolo reijci patitur.

MOSIS VERBA GEMINAM LECTIONEM VERE SVSTINENT.

Quanam ratione ſit intelligendum, Paradiſum ad Orientem plantatum. Cap. XXII.

FIRMA ſubſiſtit Patrum aſſertio, Paradiſum in Oriente ſatum: & hoc ipſum quoq. Moſem ſuis verbis affirmaſſe nuper oſtendimus: at non modicam infert difficultatem, quonā pacto illud, *ad Orientem*, ſit accipiendum. Steuchus, Pererius, & alij interpretantur, Paradiſum plantatum in Eden ad Oriētem, hoc eſt, in parte Orientali regionis Eden Meſopotamiæ: Cum enim Eden regio quædam ſit Meſopotamiæ, non in tota iſta regione, ſed in parte dumtaxat Orientali illius plantatum Paradiſum Moſes deſcripſit. His aſſentitur R. Scelomoh, qui exponens vocem Hebraicam *MiKedem*, ait: *Be mizracho ſcel Eden*. In parte Orientali ipſius Eden.] Oleaſtrius, Ad Orientem, ſcilicet, terræ illius in qua Deus hominem creauit. Genebrardus, Ad Orientem terræ ſanctæ. In hoc itaque præfati omnes Auctores conueniunt, hoc loco Orientem non intelligi ſimpliciter, reſpectu totius tunc cogniti & habitati orbis, ſed ſtrictius, vel reſpectu regionis Eden, vel terræ in qua conditus fuit Adam, vel Iudææ.

מקדם
במזרחו
שלעדן

Steuchus, Pererius, Viegas, Yſtella, atq. alij Recentiores magno eruditionis apparatu demonſtrare conantur, regiones omnes quæ vltra Sinum Perſicum iacent, in Scriptura ſacra numquam Orientis nomine nuncupatas: ſed Scripturā, Orientem ſeu Orientales regiones eas dūtaxat appellare, quę ſunt cis Perſicū Sinum, vt Perſiam, Arabiā, Meſopotamiam, Chaldæam, Armeniā &c. Quæ reſpectu Terræ ſanctæ Orientales erant. Sic Iob 1. ver. 3. de ipſo Iob dicitur: *Eratq. vir ille magnus inter omnes Orientales.* at cū Scriptura dicat Iob

ORIENS IN SCRIPTVRA CIS PERSIAM TANTVM QVIBVSDAM.

habitaſſe in terra Hus, omnium conſenſu liquet, Hus fuiſſe in confinibus Idumææ & Arabiæ deſertæ. Vnde Septuaginta Iob Cap. vltimo habent: Habitauit Iob in terra Auſitide, in finibus Idumææ & Arabiæ.] Et Euſebius Cæſarienſis Lib. 9. de Præparatione Euangelica C. 4. ſic ait: Ariſtæus autem in Iudaica hiſtoria de Iob quoq. conſcripſit, dicens: Eſau ipſum filium fuiſſe, habitaſſeq. in Idumæa atq. Arabiæ finibus, &c.] Quin & Thrænor. 4. dicitur: ***Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.*** At de patria Iobi, ac regione Huſsitide diſerte multa amicus noſter P. Pineda in Iob 1. v. 1. tractauit. Illud conſtet modo, quod nullus non agnoſcit, Arabes hoc loco, aliaſq. circum regiones, Orientalium nomine cenſeri: Geneſ. 29. v. 1. ***Profectuſq. ergo Iacob venit in terram Orientalem.*** Cum Scriptura aperte dicat, veniſſe in Meſopotamiam Syriæ, vbi erat Laban auunculus, Geneſ. 28. & 29. Balaam Numer. 23. v. 7. inquit: ***De Aram adduxit me Balac Rex Moabitarum de montibus Orientis.*** Mirati ſumus Maſium in Ioſue 13. v. 12. probabilius exiſtimaſſe, Balaam Madianitem fuiſſe, & de Madian veniſſe; appellaſſe ſe vero Aramæum mendacio, vt Chaldæus crederetur, quòd huius gentis diuinatio tunc fuerit celeberrima: vel quòd Aram appellationi ſubijcerentur loca omnia vſq. ad mare Rubrum. Nam qui poterat ſic impudenter mentiri coram Moabitarum principibus, qui ipſum ex loco vbi habitabat, deduxerunt? Sed Moſes diſertiſsime ait Balaam ex Meſopotamia aduenisse, Deutero. 23. v. 4. ***Conduxerunt*** Moabitæ, ***contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia Syriæ, vt malediceret tibi.*** Vide vt Meſopotamia Oriens appelletur.

Inſuper Geneſ. 25. v. 6. Abraham filios concubinarum ***Separauit ab Iſaac, dum ipſe viueret, ad Orientalem plagam.*** Hebræa ad verbum: Ad Orientem, ad terram ***Kedem.*** ideſt, Orientis. Sanctes habet in Theſauro, Ad Orientem terræ Orientalis. niſi velimus Kedem hic eſſe nomen proprium, vt Iſidorus Clarius, Marinus, & alij cenſent; Ad Orientem, ad terram Kedem. Poſsis vertere, Antrorſum ad terram Orientis. More Scripturæ ſolent poni coniunctim duo nomina eiuſdem ſignificatus, vt Exod. 27. 13. ***Kedmah Mizracha,*** ad Orientem ad Orientem. ideſt, intimum Orientem, vel prorſus directe ad Orientem. Sic Daniel. 8. v. 21. ***Ha Tſaphirha Sair,*** hircus hircus, ideſt, inſignis hircus. Exod. 26. v. 18. ***Neguebah themanah,*** ad Auſtrũ Auſtrum, vel ad Auſtrum directum: at quaſnam regiones filij illi Abrahæ ex ſecundis vxoribus incoluerint, Ioſephus Antiquit. Lib. 1. Cap. 16. docet his verbis: Occupauerunt Troglodyticã regionẽ, & Arabiæ Felicis quidquid ad Rubrũ mare pertinet.] Sic ipſe. Eadem S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis, & alij. Iam vides Arabiam Felicem, & loca coniuncta Orientem in Scriptura vocari.

FILII ORIENTIS QVI. Atqui poſteri horum Abrahæ filiorum, præfatas illas Orientales terras inſedentes, ſolent in ſacris Litteris, Filij Orientis appellari: de quibus Montanus in Lib. de Duodecim Gentibus Cap. 3. hæc ſcite annotat: Hi deſerta loca inter ſe diuiſa, inter Moabitas, Ammonitas, & Chaldæos, ac Perſas paſtionibus peragrarunt, occupaueruntq. ſuis, Ortum verſus, vnde Orientales, & filij Orientis perpetuo dicti, ab Aram Naharaim, ideſt, Meſopotamia, ad Perſicum vſq. Sinum, & mare Suph, ideſt, Rubrum.] Hæc ille. Filiorũ

Orien-

14. Ieremiæ 49.28. Ezechielis 25. 10. Iudicum 6. 33. Horum ſapientia commendatur plurimum 3. Reg. 4.30. quibus in locis aliqui, Filios Cedem, interpretantur, nomenq. proprium regionis non procul ab Ammonitis, Madianitis, & Amalecitis intelligunt: ſed longe probabilius eſt, Kedem, ſeu Orientem hiſ locis, terminis à Montano nuper deſcriptis includi.

Hinc locus Iſaiæ 2.6 ſubdifficilis intelligi poterit: *Quia repleti ſunt MiKedem.* ad verbum, De Oriente. vel à principio, quod Noſter dixit, *vt olim.* Montanus in Commentarijs, Ab initio. q. d. iam hoc malum congerendi opes antiquum in ipſis fuit: coaceruatas ac repoſtas diuitias ſeruant à multo tempore; ab olim, ab antiquo hoc prauum hominum ſtudium viguit acquirendi opes. Leo Caſtrenſis, *MiKedem*, exponit, pluſquam antea, vel pluſquam olim, aut pluſquam ab initio. Chaldæus, & Septuaginta, Ab initio: atque Idolis repletos interpretantur. Forerius, Præ Oriente. Oriẽtales diuitias, ſeu Orientis opes prouerbio iactatas liquet. q. d. Opibus Orientales ſuperant. Confirmat hunc ſenſum Verſus 7. *Repleta eſt terra argento & auro: & non eſt finis theſaurorũ eius.* Sed tunc Oriens potius Indiã indicabit. Alij, Pluſquã priores. LOCVS ISAIAE ELVCIDATVS. מקדם

Verum quod proprie ad inſtitutum attinet, cum Chaldæi, Perſæ, Arabes, & Aramæi Magia & alijs curioſis artibus, omnium Auctorum fide, celeberrimi habiti ſemper fuerint, & iſti, vti prædiximus, Orientales, vel filij Orientis dicantur in ſacris Litteris, plerique hoc loco Iſaiæ intelligunt carpi à Vate reprobatas artes & maleficia quibus imbuti erant Iudæi ab Oriẽtalibus, vel præ Orientalibus, hoc eſt, Chaldæis, & Aramæis, inter quos erant famoſi Magi & arioli, ex quibus quoque fuit Balaã. Vnde quod 3. Reg. 4.30. dicitur: *Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium:* ſic interpretantur, quòd malefica illa Orientalium ſapientia ex magia & malis artibus conflata, nullo pacto conferenda erat, cum vera & admirabili Salomonis ſapientia.

Iam in Iſaia Recentiores non pauci varie locum, ſed in eundem ſcopum exponunt. Kimchius actiue: Quia repleuerunt [terram ſuam maleficijs] præ Oriente, ideſt, Orientalibus. Sanctes, Quia ſuperſtitione repleti ſunt præ Aramæis, qui ſunt ad Orientem Iſraeli. Iſidorus Clarius: Quia repleti ſunt præ Chaldæis. vel à Chaldæis, hoc eſt, ſuperſtitioſis Chaldæorum ſcientijs. Vatablus: Eo quod abundant [malis artibus] pluſquam Orientales. ideſt, Aramæi, hoc eſt, Chaldæi, qui in Oriente habitant. Montanus, Quia repleti ſunt ab Oriente. Marinus, Quia repleti ſunt de Oriẽte. ideſt, Orientalibus, qui magica pollebant. In eundẽ ſenſum Caietanus, & Oſorius exponunt.

Nouatores nihil afferunt, quod non multo melius à Catholicis didicerimus. Leo Iudas, Eo quod abundant [magica] pluſquam Orientales. Mercerus, Quia repleti ſunt præ Oriente. maleficijs ſcilicet, & magicis artibus, magis quàm Oriens, ideſt, Orientales. locus pro locato. Vel, Repleti ſunt Oriente, ideſt, Orientali ſcientia ſcilicet, nempe magia. Franciſcus Iunius, Quia repleti ſunt ab Oriente malis. At de loco Iſaiæ ſatis. Ex quo quoq. illud accipimus, Oriẽtem intellexiſſe Vatem Chaldæam, Meſopotamiam, & Arabiam: vbi Magi celebres florebant, & damnatæ artes in pretio habebantur. MAGI ADORATORES CHRISTI EX ARABIA.

Porro Magi illi qui naſcentẽ Chriſtum adorauere, ex Oriente veniſſe memorentur Matth. 2. verſ. 1. cum tamen conſenſu omnium certiſſimum ſit,

H ex Per-

ex Perſide,vel Chaldæa,vel Meſopotamia,aut Arabia aduentaſſe. Et quidē S. Epiphanius Euangelicos illos Magos è ſemine filiorum Abrahæ ex Cetura extitiſſe, hiſce verbis affirmat, Hæreſi 80. Cum ijdem filij Abraham ex Chettura,eiecti eſſent ab Abraham,& diſceſſiſſent,& habitaſſent in partibus Arabicis Magodiæ regionis ; Magi qui ex ſucceſſione ſeminum illorum deſcenderunt, eadem dona in participationem eiuſdem ſpei, Chriſto in Bethlehem obtulerunt,quando ſtellam conſpicati venerunt,&c.] Tantum ille: At cum de Filijs Ceturæ Scriptura dicat,ſeparatos ad Orientem, hinc facile intelligimus qua ratione Magi ad adorandum Chriſtum ex Oriente venerint.Nam Orientem quem filij Ceturæ incoluerunt, ſuperius ex Ioſepho, S. Hieronymo,& S. Epiphanio,alijſq. immò ex ſacris Litteris iam vidimus, indicare Arabiam,Meſopotamiam &c. Niſi quod probabilius remur ſecuti magnos Patres, Magos Chriſti adoratores ex Felici Arabia profectos. De qua re quia nunc non vacat plenius diſſerere,adito præ alijs Baronium Tom. 1.Annal.Anno 1.Chriſti,& Suarez Tomo 2.in 3. P.Quæſt. 36. Diſput.14.Sectione 3. Azorium Parte 2. Inſtitut. Moral.Lib.2.Cap.11.Quæſt.6.

Ergo tot,tantiſq. Scripturæ locis,quæ adduximus,Recentiores quidam ſe confeciſſe putant, ſolas eas regiones quæ citra Sinum Perſicum, Iudææ ſunt Orientales,nomine Orientis in ſacris Libris vocari: eas autem quæ vltra Perſicum mare ad vltimos vſque Sinas extenduntur, numquam Orientis appellationem ferre: immo addit Steuchus, Orientem illum vltra Perſidem, neque à filijs Noe habitatum, neque in Gentium,primorumq. mundi colonorum catalogo Geneſ.10. vllo pacto memorari. Ex his illud accipiunt, cum Moſes ait, Paradiſum in Oriente plantatum, neceſſario intelligendum in aliqua regione cis Perſicum Sinum, quæ tamen Terræ ſanctæ ipſi eſſet Orientalis.

Paradiſum in Oriente proprie reſpectu totius veteris Orbis terræ fuiſſe conſitum. Cap. XXIII.

ORIENS IN SCRIPTVRA INDIA, ET VLTERIORES ALIAE REGIONES.

AT patientur pro ſuo candore eruditi Recentiores, ſi ſolidis rationibus oſtēderimus,& in Gentium deſcriptione à Moſe Geneſ. 10. facta recenſeri Indiæ quoque, quæ proprie Oriens dicitur, primos cultores: & Orientis nomine aliquando in Scripturis regiones vltra Sinum Perſicum, vt Indiam, & alias Orientaliſſimas, quæ communi Scriptorum vſu Oriens appellantur, deſignari: & Paradiſum in Oriente proprie, ideſt, in aliqua iſtarum regionum vltra Perſiam, quæ & more loquendi Auctorum, & ſitu poſitioneq. veteris Orbis, Oriens nuncupantur, fuiſſe plantatum.

Agnoſcimus plane vocabulo Orientis in locis Scripturæ ſuperiori Capite productis,terras cis Perſicum Sinum,Iudææ Orientales,dumtaxat appellatas, at ex quibuſdam ſingularibus affirmatiuis, vniuerſalem negatiuam colligere,non fert recte ratiocinandi diſciplina. Forſan erit locus in Scriptura vbi Oriens Indiam, vel terras vltra Perſicum mare ſignificet. Ante omnia illud eſt extra controuerſiam, Moſen in catalogo Gentium, à quibus

primum

primum orbis eſt cultus, Geneſ. 10. poſito percenſuiſſe nationes quæ intimũ Aquilonem incoluerunt, vt Magog, nempe Scythas: & quæ vltimum Occaſum, vt Iberi Itali & Hiſpani: & quæ profundum Auſtrum, vt Aethiopes, quemadmodum Interpretes omnes vno ore confirmant; at quænam ratio eſſe potuit, vt non quoque deſcripſerit gentes quæ vltra Sinum Perſicum, ad Indiam vſque Orientem inhabitarunt? Sed audi S. Epiphanium in Anchorato: Noe diuiſit velut hæres mundi à Deo conſtitutus, tribus filijs ſuis vniuerſum mundum ſub ſortem miſſum: & vnamquamque partem iuxta ſortẽ ſingulis filijs diſtribuit. Et ipſi quidem Sem primogenito cecidit ſors à Perſide & Bactris vſque ad Indiam.] Et mox Indos ſorti huius attribuit. Inſuper Geneſ. 10. v. 26. & ſeqq. refert Moſes, filios Iectan, filij Heber ex ſtirpe Sem habitaſſe à Meſſa, vſque ad Sephar montem Orientis. At de Meſſa Euſebius Cæſarienſis, & S. Hieronymus de locis Hebraicis hæc habent: Meſſa regio Indiæ in qua habitauerunt filij Iectan, filij Heber.] Hæc illi. Vnde ridendum quod Nouatores Iunius & Tremellius, Meſſa montem Caſſium, Amani montis partem interpretatur. (Amanus Syriam à Cilicia diſiungit Straboni Lib. 11. Caſius mons in Syria Antiochena ſupra Seleuciam, Plinio Lib. 5. C. 22. Ptolemæus vero Lib. 5. Cap. 18. Caſium quendam montem collocat in Meſopotamia.) Vel quod alij aiunt eſſe Meſſenos quos Ptolemæus in Arabia deſerta ponit: aut Meſſenem iuxta Tygrim de qua Plinius Lib. 5. Cap. 27. Delirium eſſet duorum aut trium Nouantium imaginationem, ſententiæ Euſebij, S. Hieronymi, & aliorum ferme omnium velle præferre. Cur enim non eſſe poſſint Meſſæ Indi fluminis accolæ Plinio Lib. 6. Cap. 20.

De Sephar vero monte Oriẽtis, ijdem Nouantes aiunt eſſeYpharã Ptolemæi ad Euphratem ſitam, coniunctam montibus Chaldææ: nam hi dicuntur hoc loco montes Orientis, vt Num. 23. 11. cũ ait Balaã ſe adductũ ex Aram, de montibus Orientis. Montanus, & Poſſeuinus putabant Sepher eſſe Andes montes celebratiſſimos in Peruana regione, de qua re nonnihil annotauimus Lib. 3. de Antichriſto Cap. 24. extremo. Steuchus, Oleaſtrius, Pererius, Yſtella, Sephar in Arabia collocant, nam Plinius Lib. 6. Cap. 23. Regiam Arabiæ Saphar vocat. Ioannes Annius in Thracia, Vatablus, Montem Kedem, nomenq. proprium Regionis Kedem eſſe vult. Verum qua ratione, auctoritateue omnia iſta dicantur, prudens quiſque facile iudicet. Nonne præſtat aſſentiri Ioſepho, Euſebio, S. Hieronymo, & innumeris alijs poſterioribus hos ſecutis, in vera ac genuina primarum gentium Geographia deſignãda, quàm pauciſſimis Recentioribus, ſuo tantum cerebro, ex quadam nominum ſimilitudine dumtaxat colonias primorum orbis cultorum confingentibus?

Ioſephus Lib. 1. Antiq. Cap. 6. de filijs Iectan inquit: Hi à Cophene flumine Indiæ, ad Ieriam, *ſic pro Aſſyriam, Lib. 3. de Antichriſto Cap. 23. reſtituimus, regionem Indiæ*, vſque habitant.] Hæc ille. Euſebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis ita ſcribunt: Sophera mons Orientis in India, iuxta quem habitauerunt filij Iectan, filij Heber, quos Ioſephus refert à Cophene flumine, & Indiæ regionibus vſque ad id locorum perueniſſe, vbi appellatur regio Ieria: ſed & claſſis Salomonis per triennium hinc quædam commercia deportabat.] Hæc illi. Et S. Hieronymus in Quæſtionibus Hebraicis, de tredecim Gentibus à Iectan propagatis Indiam incolentibus hæc ait: Poſſede-

runt autem à Cophene fluuio omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Ieria.] Tantum ille. Adhæc, Ophir qui ſuit vnus de filijs Iectan, dediſſe nomen Indiæ cuidam regioni à ſe primum inſeſſæ, in diuinis Litteris celebratiſſimæ Lib. 3. de Antichriſto Cap. 23. ſolidis rationibus, & auctoribus demonſtrauimus. Denique Heuilah fratrem Ophir, filium quoque Iectan, terras prope Gangem Indiæ incoluiſſe, inferius aperte docebimus, Cap. 41.

Cum has ſententias Ioſephi, Euſebij, & S. Hieronymi, de Meſſa, & Sepher monte Oriẽtis, de filijs Iectan, de Ophir, & Heuila Pererius Lib. 15. in Geneſ. late retuliſſet, ipſe, qui Orientem negat in Scriptura terras vltra Sinum Perſicum vmquam intelligi, haud tamen auſus eſt refragari, immo probaſſe videtur: quas quoque ſecuti ſunt innumeri alij poſteriores. [a] Nobis igitur firmum fixumque maneat, tantorum virorum auctoritate, Sephar montem Orientis in India eſſe, & Orientem Indiam quoque in Scriptura vocari: & regiones vltra Sinum Perſicum non eſſe Scripturæ ignotas, ſed in prima Gentium poſt diluuium propagatione aperte commemorari Geneſ. 10. v. 26. & ſeqq. quæ à filijs Iectan & habitatę, & appellatæ fuere. Quibus adde celebratam in Tharſis & Ophir Salomonis & Ioſaphat nauigationem, quam in Indica emporia factam Lib. 3. de Antichriſto, ex omnium ferme conſenſu docuimus. Inſuper Iob 28. 16. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus*. Et Eſther. 1. Aſſuerus regnauit ab India vſque ad Aethiopiam. Rogo te, num iſtud ſit Indiam eſſe Scripturæ ignotam?

[a] *Caſpar Varrerius, de Ophir Antonius Honcala in Geneſ. 10. Genebrard. Lib. 1. Chronogr. Pag. 35. Ortelius Geographorum coryphæus in Tabula Geographia ſacra, & alij.*

Porro de Cophene fluuio plura Strabo lib. 15. Plinius lib. 6. Cap. 21. & 23. Mela Lib. 3. Cap. 7. Euſtathius Interpres Dionyſij Geographi, ait fluuium Cophen à Dionyſio in deſcriptione Indiæ poſitũ, ab Ariſtotele Libro quinto de Rebus geſtis ab Alexandro, vocari Cophenem. Hunc diximus lib. 3. de Antichriſto Cap. 23. fuiſſe olim terminum Occiduum Indiæ, vt Strabo, Plinius, & alij ſunt auctores. Quænam autem regio Ieria fuerit, clam nos eſt: forſan Iare Geneſ. 10. v. 26. Vide infra Cap. 41.

PRIMORVM ORIENTIS COLONORVM NOMINA.

Et vt cernas quàm parum alijs probetur iſta Recentiorum opinio, regiones vltra Perſiam in Gentium catalogo Geneſ. 10. non recenſeri; proferam quæ viri eruditi de quibuſdam illarum nationum prodiderunt. Verſu 7. memorantur *Regma*, & *Sabatacha*, de quibus S. Hieronymus in Traditionib. Hebraicis hæc ait: Rhegma vero & Sabathacha paulatim antiqua vocabula perdidere, & quæ nunc pro veteribus habeant, ignoratur.] Ioſephus Lib. 1. Antiq. C. 6. dum iſtorum quoque nomina noua ſilet, ſatis innuit ſe neſciſſe. At Montanus in Phaleg, Poſſeuinus Lib. 2. Biblioth. Cap. 5. & alij, Sabathacha, aiunt eſſe Stabæos Ptolemæo ſuper Sinum Perſicum, & Meſſabathas ex Stabæis oriundos. Ragma vero Charmaniam Ptolemæo, ſic hactenus dictam.

Verſ. 26. ponitur *Elmodad*, Mõtanus, & Poſſeuinus aiunt eſſe Themeothas Ptolemæo, Genebrardus Lib. 1. Chronograph. pag. 35. Emodios, vbi ſunt Emodij montes, rebus Alexãdri clari. Item *Iare*, Genebrardus Gedroſiam putat: Montanus & Poſſeuinus, Ariam & Arachoſiam Ptolemæo, etiam Zarathas. *Adoram*, Hircaniam; *Vzal*, Oxiam Bactrianam, cuius cultores Oxij Ptolemæo; *Decla*, Scythiam intra Imaum; *Hebal*, Bolitas, ſiue Obolitas intra Caucaſum, & Paropanyſum montes; *Abimael*, Imaenſes, ſiue Imaos, qui inſignem montem eodem nomine habent Imaum. Ita Recentiores eruditi;

videsq.

videſq. quot regiones Moſes vltra Sinum Perſicum deſcripſerit. At nec in his libet immorari, quæ & ſatis obſcura ſunt, nec prorſus ſolide ſtabiliri queant: cum tamen Ophir & Heuila in India eſſe, & Orientem Indiam quoque in ſacris Libris intelligi, aperte nimis iam oſtenderimus.

Equidem quòd in quibuſdam Scripturæ locis Orientis nomine regiones cis Sinum Perſicum cenſeantur; Oriensq. non ſimpliciter, ſed reſpectu dumtaxat Iudææ capiatur, dilucide vel ipſa rerum geſtarum deſcripta hiſtoria, vel aliæ clariſſimæ locorum circumſtantiæ demonſtrant, vti præcedenti Capitæ inſpeximus; at in prima totius orbis procreatione, vbi Moſes præcipuas orbis partes, earúmq. ſitus deſcribit, nec vllæ peculiares aliorum locorum circumſtantiæ indicantur; nulla eſt ratio cur cum dicit Paradiſum ad Orientem plantatum, reſpectiue tantum, & non abſolute reſpectu totius veteris & cogniti orbis Orientem intelligamus, qualis India vtraque, & tractus ille terrarum vſque ad vltimos Sinas, Scriptorum conſenſu ſemper eſt habitus. Sic igitur ſimpliciſſime Moſen interpretamur, Paradiſum in Orientali parte totius mundi veteris conditum.

Sane Patres quos tanta conſenſione prodentes Paradiſum in Oriēte plantatum Cap. 20. recenſuimus, Orientalem mundi partem, & quæ proprie in toto Orbe Oriens à Coſmographis nuncupatur, intellexiſſe, nullum eſt dubium. Tertullianus ait: Primiq. adſpectat lumina Solis.] Lactantius: In primo Oriente.] Proba Faltonia; Primi ſub lumine Solis & Ortus.] Marius Victorinus: Eoos aperit felix quà terra receſſus.] S. Alcimus: Vbi Solis ab Ortu, vicinos naſcens aurora repercutit Indos.] Rurſus Patres omnes quos Cap. 21. produximus aſſerentes idcirco Chriſtianos ad Orientem conuerſos adorare, quòd ibi Paradiſus eſſet; quis non videt Orientem eos appellaſſe, nedum reſpectu Iudææ, ſed ſimpliciter reſpectu totius mundi? Ab Occaſu, inquit S. Cyrillus, conuerteris ad Ortum, quæ lucis eſt regio.] His adde, eos Chriſtianos, qui nunc & olim vltra Meſopotamiam Orientē verſus habitarunt, (nam fuiſſe frequentiſſimos certum eſt,) etiam ad Orientem ora in precibus ſacris conuertiſſe: at oportebat potius eos ad Occidentem adorantes conuerti, ſi Paradiſus in Meſopotamia, & non in Oriente totius terræ conſitus eſſet.

PARADISVM IN ORIENTE RESPECTV TOTIVS VETERIS TERRAE PLANTATVM.

Et vt omnem de hac re dubitationem diluamus, duos Patres apertiſſime loquentes, quorū vel ſolo teſtimonio noſtra cauſa vincat, audiamus. S. Athanaſius Quæſt. 47. ad Antiochum, ita ſcribit: Scriptura inquit: Plantauit Deus Paradiſum in Eden ad Orientem. Docet igitur nos, quòd ex Oriente omnis terræ ſit Paradiſus.] Quid clarius? in Oriente totius terræ plantatum Paradiſum affirmat. S. Thomas omnis Theologiæ promptuarium, cuius verba Cap. 20 extremo poſuimus, Paradiſum inquit plantari decuiſſe in nobiliſſimo totius terræ loco, qui eſt Oriens pars cæli dextera & nobiliſſima: ſed hæc non dicitur, niſi reſpectu mundi.

Habemus quoque ſententiæ noſtræ ſuffragatores innumeros Recentiores, immo omnes (quid enim ſingulos citare ſit opus?) illis dumtaxat exceptis, qui Paradiſum in Meſopotamiæ confinibus ſerunt. Sed conſule cumprimis Hieronymum Vielmium Lib. de Sex diebus conditi Orbis, Lectione 12.

DE PARADISI FLVMINIBVS.

De Tygri tertio Paradiſi flumine. Cap. XXIIII.

VT commodius verum Paradiſi ſitum inueſtigare poſſimus, de quatuor illis celebratis amnibus, quos Moſes ex Paradiſo profluere refert, primum eſt differendum: ordinem eum ſeruabimus quem tradendæ doctrinæ opportuniorem remur. De Tygri hæc ait Moſes, Geneſ. 2. 14. *Nomen vero fluminis tertij*, prodeuntium ex Paradiſo, *Tygris*. Tygris Hebraice dicitur *Hidekel*, Kimchius Lib. Radicū, Honcala in 2. Geneſ. Marinus in Arca Noe, & alij notant, compoſitum nomen ex *Had*, & *Kal*, quòd Tygris acutus ſit & leuis, hoc eſt, velociſſimus & rapidiſſimus. Chaldæus Interpres vocat *Diglath*, de qua voce Ioſephus Lib. 1. Antiq. C. 1. hæc habet: Tygris autem *Diglath* nominatur, quod interpretatur anguſtus ſimul ac velox.] id quod Hebraico etymo quadrat. *Degal* Chaldaice eſt mentiri; forſan nomen fluuio factum, quòd infidus ſit, vorticibusq. inſidioſus. Plinius quidem Tygrin Diglito ait interdum nuncupari, ſed vbi tardior fluit: quod cum etymo Ioſeph minime congruit, à Chaldaico non penitus abludit. Maſius in Scholijs Lib. de Paradiſo Moſis Bar-Cepha Cap. 21. annotat, Syros etiam hodie Tygrim Diglath vulgo vocare. Bar-Cepha ipſe Libri eiuſdem Cap. 28. hæc ait: Diklat appellatus eſt tertius fluuius, quòd impetuoſus ac rapidus ſurſum deorſum feratur, quaſi homo violentus ac feruidus, qui ad perrumpendas anguſtias aliquas, nunc ſe ſubrigit, nunc demittit.] Hæc ille. Sylax vocatum, ſcribit Euſtathius, Sollax habet Plutarchus Libello de Fluminibus. Tegil appellari hodie docent Gaſtaldus, & Ananias, Sit, vel Set, alijs; ab accolis Derguele. Vide Ortelium in Synonymia Geographica. Ergo flumen quod diuinus Moſes dixit Hidekel, Septuaginta, Vulgatus, & omnes ſummo conſenſu, Tygrim manifeſte profitentur.

חדקל
קל חד
דיגלת

TYGRIS SYNONYMA, CVM ETYMIS.

דגל

Sed cur celebris amnis, Tygris appelletur, Euſebius, ac S. Hieronymus Libello de locis Hebraicis, rationem nominis hiſce verbis explicant: Tygris fluuius de Paradiſo exiens, iuxta Scripturæ fidem, pergensq. contra Aſſyrios: & poſt multos circuitus, vt vult Ioſephus, in mare Rubum influēs. Vocatur autē hoc nomine propter velocitatem, inſtar beſtiæ nimia velocitate currentis.] Sic illi. Quorum ſententiam probant Philoſtorgius apud Nicephorum Lib. 9. Hiſt. C. 19. S. Iſidorus Lib. 13. Etymolog. C. 21. & Rupertus Lib. 2. de Operib. Trinit. C. 29. Verum quæ de feræ Tigridis incredibili pernicitate auctores prodiderint, reddamus. Plinius Lib. 8. C. 18. ſic ſcribit: Tigrin Hircani & Indi ferunt animal velocitatis tremendæ & maxime cognitæ dum capitur. Totus enim fetus qui ſemper numeroſus eſt, ab inſidiante

TIGRIS FERAE PERNICITAS INCREDIBILIS.

diante rapitur, equo quàm maxime pernici, atque in recentem ſubinde trans fertur. At vbi vacuum cubile reperit fœta, (maribus enim cura non eſt ſobolis) fertur præceps, odore veſtigans. Raptor appropinquante fremitu, abijcit vnum è catulis. Tollit illa morſu, & pondere etiam ocyor acta remeat, iterumque conſequitur, ac ſubinde, donec in nauem regreſſo, irrita feritas ſæuit in littore.] Hæc Plinius.

Solinus vero in Polyhiſtore Cap. 21. ita inquit: Quod beſtiarum genus inſignes maculis notæ & pernicitas memorabile reddiderunt. Fuluo nitent: hoc fuluum nigrantibus ſegmentis interundatum, varietate apprime decet. Pedum motum neſcio velocitas, an peruicacia magis adiuuet. Nihil tam longum eſt, quod non breui penetrent; nihil adeo antecedit, quod non illico aſſequantur. At maxime potentia earum probatur cum maternis curis incitantur, cum catulorum inſiſtunt raptoribus. Succedant ſibi equites licet, & aſtu quantolibet amoliri prædam velint, niſi in præſidio maria fuerint, fruſtra eſt auſum omne. Notantur frequentiſſime, ſi quando latrones ſuis adſportatis catulis, renauigantes vident, in littore irrita rabie ſe dare præcipites, velut propriam tarditatem voluntaria caſtigantes ruina: quamquã de fetu vniuerſo vix vnus queat ſubtrahi.] Hactenus Solinus.

Pomponius Mela Lib. 3. c. 5. Tigres ferunt vtique Hircaniæ ſæuum ferarum genus, & vſque eo pernix, vt illis longe quoque progreſſum equitem conſequi, nec tantum ſemel, ſed aliquoties etiam curſu vnde cœperit, ſubinde repetito, ſolitum & facile ſit. Cauſa ex eo eſt, quod vbi ille interceptos earum catulos citus coepit auehere, rabiem appropinquantium fruſtraturus, aſtu vnum de pluribus omittit: hæ proiectum accipiunt, & ad cubilia ſua referunt: rurſumq. & ſæpius remeant, atque idem efficiunt, donec ad frequentiora, quàm adire audeant, profugus raptor euadat.] Hæc Mela. Eadem Philoſtratus Lib. 2. de vita Apollonij, & alij de immenſa Tigridis velocitate: è qua Tygri fluuio perniciſſimo creatum nomen, excellentes, vti vidimus, Auctores tradidere.

TYGRIS A FERA VEL SAGITTA DICTVS.

Verum alij potius exiſtimarunt velox flumen Perſica lingua, vel Medica Tygrim appellatum, quod nomen illis Gentibus ſagittam ſignificat: Tygris enim inſtar ſagittæ violentus fertur ac rapidus. Vnde Q. Curtius Lib. 4. Rerum Alexandri: Nec ſane alius ad Orientis plagam tam violentus inuehitur, multorum torrentium non aquas ſolum, ſed etiam ſaxa ſecum trahens. Itaque à celeritate qua defluit, Tygri nomen eſt inditum; quia Perſica lingua Tygrim ſagittam appellant.] Tantum Curtius. Plinius Lib. 6. c. 27. Qua tardior fluit Diglito: vnde concitatur, à celeritate Tygris incipit vocari: ita appellant Medi ſagittam.] Solinus in Polyhiſtore Cap. 40. Cum fines Medorum inuectus eſt, Tygris ſtatim dicitur: ita enim Medi nominant ſagittam.] Hæc ipſe.

Dionyſius Libello de Situ orbis tantam eſſe Tygris amnis celeritatem ſcribit, vt vno die tantum terræ ſpatium percurrat, quantum pedeſtri itinere ſeptem diebus confici queat: ſic enim canit:

TYGRIS FLVVII VELOCITAS.

Tygris aqua ſuperant quem flumina nulla rapaci:
Sed tantum ſuperat, quantum vix ſeptimus ortus
Conficiat pedibus ſpatij properantibus ire.

S. An-

S. Anaſtaſius Sinaita de Tygri Lib. 8. in Hexaemer. hæc ait: Tygris autem voce Græca dicitur latus & auſterus.] Hunc fluuium magnum appellat Daniel. 10. v. 4. quia reuera magnus, quamuis alij ſint maiores. Huic impoſitam clariſſimam olim vrbem Niniuem ex Cap. 6. Tobiæ dilucide conſtat, & Herodotus Lib. 1. inquit: Iuxta Tygrim vrbs Ninus ſita erat.] Et Plinius Lib. 6. C. 13. Fuit Ninus impoſita Tygri, ad Solis occaſum ſpectans.] Conſentiunt alij omnes.

Numeratur Tygris à Moſe tertius fluuiorum ex Paradiſi fonte manantium, de quo ſubdit: *Ipſe vadit contra Aſſyrios.* Hebræa ad verbum, Ipſe ambulans *Kidmad Aſſur*. Hebræi & alij qui exponunt, Ad Orientem Aſſyriæ, vt Chaldæus, Sanctes, Leo Iudas &c. non tam proprie ad normam Geographiæ, quàm Noſter Vulgatus, Septuaginta, Græci Patres, qui reddunt, contra, exaduerſo; propie, Ante, vel verſus, antrorſus Aſſur; nam Tygris eſt

TERMINVS OCCIDENTALIS ASSYRIAE.

terminus Occidentalis eius regionis quæ proprie dicitur Aſſur, ſeu Aſſyria, vt Ptolemæus notat; euntibus autem à Iudæa in Aſſyriam, ante iſtam currit Tygris: vel, Fluit verſus Aſſyrios. Bar Cepha Lib. de Paradiſo C. 28. exponens, quibus nominibus ſuo tempore terræ illæ quas alluit Tygris, vocarentur, hæc ait: Porro Aſſur vocat regionem Atturi & Nineuitarum, ac Beth Garme, aliaque circumquaque his adiacentia loca.] Sic ille. Porro Aſſyriam à Barbaris Attyriam nuncupatam auctor eſt Dio: & Strabo Aturiam Aſſyriæ Prouinciam facit. At de ortu, fluxuque Tygris plura Cap. 16. Vide quæ de eodem Cap. 7. diximus ex Anaſtaſio Nicæno. Sed & S. Epiphanius Epiſt. ad Ioannem Ieroſolymitanum, hæc ait: Tygris curſum faciens in conſpectu Aſſyriorum; ſecat enim partes Orientis, & mergitur ſub terram, & exoritur ab Armenia per medium Cardienſium ac Armeniorum, & reſcaturit rurſus, & ſecatur in Aſſyriorum terram.] Hæc ille.

IONAS VBI EVOMITVS.

Mirati ſumus Genebrardum, qui Chronograph. Lib. 1. Pag. 27. aſtruat Ionam euomitum à piſce ad ripas Tygris prope Niniuem, quò ſe cetus per Sinum Perſicum infuderit. At cum conſtet abſortum in Mediterraneo mari, oportuit piſcem per fauces Herculeas erumpentem à ſiniſtra circumnauigata tota Africa, & Arabia immenſo ambitu emerſiſſe in Tygrim: quod neſcio an vllus credat. Quanto ſatius cum Ioſepho, S. Auguſtino, alijs dicetur, vel eiectum ad littora Euxini, vel, vt quidam malunt, Sinus Iſſici. [a]

[a] *Vide Riberam in 3. Iona.*

De Euphrate quarto Paradiſi fluuio. Cap. XXV.

PERATH NOTATIO, הוא פרת

FLuuius autem quartus, inquit Moſes Geneſ. 2. 14. *ipſe eſt Euphrates.* Hebraice ad verbum, Et fluuius quartus *Hu Perath*, ſunt duæ voces *Hu*, hoc eſt ipſe; & *Perath*, quaſi dicat, Ipſe [vel eſt] Perath. Omneſq. Hebræi vno ore concordant *Perath*, nomen eſſe proprium quarti fluuij è Paradiſo promanantis. Verum Græci primum, deinde hos æmulati Latini ex duabus vocibus Hebraicis hoc loco Geneſis poſitis, *Hu. & Perath*, vnam conflarunt, dixeruntq. Eupherath: præſertim cum priſci Hebræi *Pe* duro caruerint, ſolo *Pe Raphe* vtentes, diceréntque *Perath*, & iuncto pronomine *Hupherath*, rurſumque paululum luxato ad

Græca-

Græcanicam formam vocabulo, Sceuaq. exili admodum pronuntiatione expreſſo, vt eius fert natura, enuntiarunt Euphrates. [a]

Quocirca cum nomen extra contrǒuerſiam ſit Hebræum, quærendum erit in hac lingua illius etymon. Ioſephus Lib. 1. Antiq. Cap. 1. inquit: Euphrates vocatur Phora, id ſignificat vel diſperſionem, vel florem.] Deduxit vel à *Phur*, diſſipauit, vel à *Peer*, ſeu *Perah*, flos, vel ramus, aut fructus. S. Hieronymus in Interpretatione Nominum Hebraicorum ait: Euphrates, frugifer, vel creſcens.] S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 8. in Hexaemeron: Euphrates quidem Græca lingua interpretatur καρποφορία αὐτῶν, hoc eſt, eorum fructificatio: nonnulli autem ex Interpretibus interpretantur Euphratem, vitij diſperſionem.] Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo, Cap. 28. Quartus denique fluuius dicitur Perath, quia fecundiſſimus eſt.] S. Ambroſius Lib. de Paradiſo Cap. 3. Quartus eſt fluuius Euphrates, qui Latine fecunditas atque abundantia fructuum nuncupatur.] Et poſt pauca: Plerique Euphratem ἀπὸ τοῦ εὐφραίνεσθαι dictum putant, hoc eſt, à lætando.]

a Annot illud Steuchus in 3. Gene. Merſennus in Theſauro, & Lippomanus, ceteris, & omnes.

פור
באר
פארח

Hebræi in Bereſcith Rabba R. Oſaiæ, varias huius nominis notationes afferunt: ſed illa omnium ferme conſenſu [b] magis probatur, vt *Perath*, ſit à *Parah*, creſcere, & fructificare, quòd inundatione creſcens ſtatis temporibus inſtar Nili terris ſuperfuſus, vt Herodotus Lib. 1. Plinius Lib. 5. Cap. 26. & alij tradunt, inuehat ſoli fecunditatem & fertilitatem non modicam, Auctorum præconijs mirifice prædicatam: nam Babyloniæ fertilitas Scriptorum laudibus celebratur. Plutarchus Libello de Fluminibus tradit hunc fluuium quondam Medum, & Zarandam appellatum: hodie Apherat, vel Frat vocatur. Vide Ortelium in Synonymia. Appellat Euphratem Scriptura Ioſue 1. verſ. 4. & alias, fluuium magnum: & 3. Reg. 4. verſ. 21. & Pſalm. 71. verſ. 9. Flumen abſolute. Hebræi appellationem hanc ſortitum inde putant, quòd terram omnium præſtantiſſimam Iſraeliticam ab Oriente terminaret. Riſit hanc rationem Maſius, in 1. Ioſue verſ. 4. & poſt eum Pererius Lib. 15. in Geneſ. Diſputatione 9. quòd ob eandem Iordanis vel maximus dicendus merito videretur. Ipſi hanc aliam laudant, quòd Euphrati Tygris & magnitudine, & multis alijs nominibus de præſtantia concedere debeat: tum etiam quia reuera magnus, & quia de Paradiſo profluit: ob quam etiam cauſam Tygris, magnus quoque potuit appellari Danielis 10. 4.

b Maſius in Ioſue 1. v. 4. Marinus in Arca Noe & alij.

פרח
פרת

Nobis alia cauſa haud forſan abſurda venit in mentem, Euphratem fluminis nomine abſolute cenſeri, quòd Hebræis genti nobiliſſimæ appellationem indiderit: Hebræi enim dicti ſunt quaſi Transfluuiales, Trans-Euphratenſes, ab Abrahamo, qui primus dictus eſt Hebræus Geneſ. 14. verſ. 13. quo nomine ipſe cœperit à Phœnicibus, & Chananæis vocari, quòd is primum traiecto Euphrate in Chananæam deuenerit, eiuſque poſteri in quibus vera religio, & lingua ſancta permanſerit, Hebræi quoque ſint appellati, conſimili vocabulo quo in Italia vocati ſunt Tranſpadani. Hinc eo loco Geneſ. quod dicitur: *Nuntiauit Abram Hebræo*: Septuaginta reddiderunt, *Tranſitori*, qua ratione ſe quoque poſuiſſe teſtatur S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis. S. Auguſtinus in Locutionibus in Geneſ. & Quæſt. 19. habet:

HEBRÆI VNDE DICTI.

Transfluuiali. vnde Ioſue 24.v.2. *Trans fluuium,* Euphratem, *habitauerunt Patres veſtri ab initio Thare pater Abrahã & Nachor: ſeruieruntq. dijs alienis. Tuli patrem veſtrum Abrahã de Meſopotamiæ finibus.* Heb. de trans flumen, ſcilicet Euphratem, *& adduxi eum in terram Chanaan.*
עבר Hebraicum *Abar*, tranſire, tranſmittere, &
עברי *Hibri*, Hebræus, traiector, tranſiens, ſonat. Hanc igitur Hebraicæ nomenclaturæ cauſam plerique magni Auctores reddidere: ſed quia in his expendendis diutius vacare nunc non eſt otium, indicem aliquorum dumtaxat exhibemus; Hebræos dictos à traiectu Euphratis, docent Rabbini ferme, & præſertim Rabbi Scelomoh in Geneſ. 10. & 14. Origenes Comment. in Geneſ. 14. S. Chryſoſtomus Homil. 35. in Geneſ. S. Auguſtinus Quæſt. 26. in Geneſ. Diodorus Tarſenſis in Catena Græca in Geneſ. Theodoretus Quæſt. 60. in Geneſ. Rupertus Abbas Lib. 5. in Geneſ. Cap. 11. Burgenſis Additione 2. in Cap. 21. Matthæi, Reuclhinus Lib. 3. de Verbo mirifico
עבר Cap. 13. Auctores Lexici Complutenſis in verbo *Habar*, Honcala, & Sà in Geneſ. 10. Iſidorus Clarius in 14. Geneſ. Montanus in Lib. Chanaan Cap. 9. Pomarius in Tſemach Dauid, Ribera in Ionæ 1. Numer. 42. Nobilius in Notis ad Editionem Septuaginta Interpretum Geneſ. 14. Marinus in Arca Noe, Yſtella in Geneſ. 14. Georgius Michael Amiras Edenienſis è Libano, in Præludijs ad Grammaticam Syriacam. Qui vero volunt Hebræos dictos ab Heber pronepote Sem, vt ſit nomen patronymicum & gentilitium, ſunt, Ioſephus Lib. 1. Antiq. Cap. 6. Euſebius initio Chronici, Acatius Cæſarienſis Epiſcopus in Catena Græca in Geneſ. 14. S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſ. 10. S. Auguſtinus Lib. 2. Retractationum, Cap. 14. & Lib. 16. de Ciuit. Cap. 3. & 11. Georgius Cedrenus Tomo 1. Annal. Pag. 9. Conſtantinus Manaſſes Pag. 16. Michael Glycas Parte 2. Annal. Pag. 178. S. Iſidorus, S. Beda, Lyranus in 10. Geneſ. Toſtatus, Steuchus, Caietanus, Pererius in 14. Geneſ. Genebrardus Lib. 1. Chronograph. Pap. 31. Guillaudus in Epiſt. ad Hebræos, Mercerus in Theſauro Hebraico, Chriſtianus Adricomius in Chronico anno mundi 1757. At de his ſatis.

EVPHRATES LIMES OCCIDENTALIS TERRAE SANCTAE.

Porro Euphratem extitiſſe terminum Orientalem Iſraeliticæ ditionis & Imperij, verbo Dei præſcriptum, Geneſ. 15. v. 18. Exodi 23. v. 31. Ioſue. 1. v. 4. manifeſte aſſeritur; id quonam pacto re ipſa impletum fuerit, varie diſſerunt. Maſius exiſtimat, numquam reuera Iſraelitas poſſediſſe & incoluiſſe terram ad Euphratem vſque; cum nec ſtrictiores terminos à Deo Numer. 34. v. 1. & ſeqq. præfixos vmquam impleuerint: ſed deſtinatam ampliſſimam regionem ipſis ad Euphratem vſque, ſi pietate in Deum, prioribus finibus occupatis, & plenis, dignos ſe ampliori eius liberalitate præſtitiſſent: quod tamen ſecus ſemper euenit, veteribus ſceleribus noua ſemper accumulantibus. Fuit igitur promiſſum illud diuinum conditionatum.

S. Auguſtinus Quæſt. 21. in Ioſue recte docet anguſtiores terminos poſſeſſos & cultos ab Iſraelitis: laxiores vero ad Euphratem ſub tributum & imperium dumtaxat redactos, ac vectigales effectos, Dauide, & Salomone regnantibus, quamuis illuc numquam fuerint deductæ coloniæ. Id ſequuntur Caietanus, Montanus, Oleaſtrius, Pererius, & alij. Vnde 2. Reg. 8. v. 3. de Dauide dicitur: *Profectus eſt vt dominaretur ſuper flumen Euphratem.* Et 1. Paralip. 18. v. 3. *Perrexit vt dilataret imperium ſuum vſque ad flumen Euphraten.*

Euphraten. Et de Salomone 3.Reg. 4. v. 24. *Ipſe enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans Flumen*. Euphratem ſcilicet, *à Thaphſa vſque ad Gazan.* Thaphſa putant eſſe Tapſacum ad Euphratem, quod deinde vocatum eſt Amphibolis, vt docet Plinius Lib.5.Cap. 24. & Strabo Lib. 16.& Verſu 21. *Salomon autem erat in ditione ſua habẽs omnia regna à flumine, terræ Philiſthijm vſque ad terminos Aegypti*. Quòd *Nahar* hic non ſit in regmine, ex Hebræo נהר vertunt pleriq. *A Flumine*, Euphrate, [*vſque ad*] *terram Philiſthijm*. Ita Septuaginta Interpretes Cap.4.in Editione Romana; in Complutenſi vero & Regia Cap.3.ita quoque S. Auguſtinus, Iſidorus Clarius, Maſius, Sa, Noua Vatabli Tranſlatio, & alij legunt. Eodemq. pacto ſenſus noſtri Vulgati conſtabit, ſi *à flumine*, commate affigatur, ſubaudita coniunctione, Et, *Et terra Philiſthijm*, vt ſit aſyntheton more Scripturæ. At de his quòd noſtri non ſint proprie inſtituti, iam plus nimio. Conſulat qui plura auet, Pererium Lib.15.in Geneſ. Diſputatione. 9.

Nec illud omittimus, Fluuium illum Chobar iuxta quem Ezechiel ſe diuinas & maxime mirabiles viſiones accepiſſe memorat, pleroſq. exiſtimaſſe Euphratem; nam Hebraica notatio indicat flumen grande, copioſum, aquis abundans: vnde S.Hieronymus in Commentarijs, vel Euphratem, vel Tygrim interpretatur: circumſtantiæ locorum magis innuunt Euphraten. Vide Clarium, Pintum, Pradum, & in 1. Ezechielis.

De Tygris & Euphratis ortu, decurſuq. Cap. XXVI.

TYGRIS ET EVPHRATIS ORTVS EX ARMENIAE MONTIBVS.

QVAE Scriptores nobiles de exortu, ac fluxu iſtorum ingentium amnium perſcripſerunt, quòd ad ſuſceptam de Paradiſo tractationem non parum conducant, reddamus in mediũ. Herodotus Lib.1. inquit: Euphrates magnus & altus & celer ex Armenijs montibus in Rubrum mare decurrit.] Diodorus Siculus Lib. 3. Euphrates & Tygris ex Armeniæ montibus fontes habent: diſtant autem ab inuicem ſtadijs duo mille & quingentis: delatiq. per Mediam & per Paretanos, diſtenduntur in Meſopotamiam, quam vndique circumdantes, regioni nomen dederunt: deinde per Babyloniam fluentes, in mare Rubrum deferuntur.] Dionyſius Geographus ita canit:

- decurrit limite vaſtis
Viribus Euphrates, deſcendens montibus aſpris
Armeniæ, longuſq. Noton pertendit, & inde
Ad Solem flexus Babylonis diuit vrbem;
Littora deinde ruens perrumpit Perſidis vnda
Extrema fluuij ſub parte Teredone radens.
Huius ad auroram ripis deuoluitur altis
Tygris -
Atque lacu medius Thonites intrat & exit:
Nec violatur aqua, quamuis penetrabilis illa
Ocyor, atque vadis emergens cedit amaris.
Hoc tamen omne ſolum fluuius quod cingit vterque, MESOPOTAMIAM CINGVNT.

I 2 *Indi-*

Indigenæ populi pro re dixere Medannem,
Quòd medias, amnes has terras flumine cingunt.]

Strabo Lib. 15. iſta perſcribit: In Auſtrum igitur maxime protenditur Taurus, Armeniam à Meſopotamia ſeparans. Hoc ex loco vtrique in Meſopotamiam fluuij facto circuitu perlabuntur inuicem coniuncti Tygris & Euphrates penes Babyloniam, deinde Perſicum intrantes pelagus. Amplior eſt Euphrates, & maiorem perlabitur regionẽ, curuato hinc inde alueo. Fontes habet ex ea Tauri parte quæ vergit in Boream per maiorem Armeniam vſque in Minorem excurrit in Occaſum, hanc habẽs à dextris: à ſiniſtris autem Liſenam, dein inflectit in Auſtrum: in qua inflexione confinia Cappadociæ attingit. Dextera hæc cum dimiſerit, & Comagenam oram: ſiniſtra vero Aſicinſinam, & Sophenam maioris Armeniæ, tendit in Syriam, & aliam denuo capit inflexionem in Babyloniam, Sinumque Perſicum. Tygris autem ex eodem monte Auſtrali de parte delatus in Seleuciam, coniungitur Euphrati, & ſimul Meſopotamiam efficit: poſtea & ipſe eundem incurrit Sinum. Euphratis fontes & Tygris interſe ſtadijs duobus millibus & quingentis abſunt.] Tantum Strabo.

Qui etiam Lib. 16. hæc refert: Tygris igitur ex Auſtralibus Armeniæ partibus, quæ Babyloniæ finitimæ ſunt, niuales non admodum vberes ex Auſtri latere excipiens aquas, minus exundans ſtagnat: ſed Euphrates aquas ex vtraque parte ſuſcipit, nec vno de monte, ſed de multis, ſicut in Armeniæ expoſitione demonſtrauimus, adiecta fluminis longitudine: quantum in magna percurrit Armenia, & in Minore tantum: ex Armenia minore & Cappadocia per Taurum vſque Thapſacum erumpens labitur in inferiorem Syriam, & Meſopotamiam diſterminans, quantum reſtat vſque Babylonem, & illius eruptionem ſimul ſtadiorum triginta ſex millium.] Et poſt alia multa: Nomen autem ex accidenti ſortitã eſt Meſopotamia, ideſt, Interamnia, quoniam inter amnes Euphratem, & Tygrim iaceat. Tygris quidem Orientale tantum ipſius latus alluit: Euphrates autem Occidentale, ac Auſtrale. Ad Septentrionem Taurus porrigitur, Armenios à Meſopotamia ſeparans: maximum, quo inuicem abſiſtunt, interuallum eſt, quod in montanam vergit oram hoc illud idem eſt. Eratoſthenes retulit à Thapſaco vbi iunctus erat pons antiquitus ad Tygris tranſitum, quo eum traiecit Alexander, ſtadiorum duum millium, & quadringentum: minimum autem ducentum, aut paulo plus ad Seleuciam & Babylonem. Tygris per lacum Thopitem nomine, ad latitudinis medium perlabitur: cumque ad labrum tranſcurrit alterum, terram multo cum ſtrepitu, multisque reflatibus ingreditur: cumque occultus multum percurrerit, rurſum exoritur non procul à Gordianorum finibus: adeo autem vehementi celeritate lacum, vt ait Eratoſthenes, perlabitur, vt cum ille ſalſus, piſcibusq. carens ſit, dulcis ea ex parte, præcepsque reddatur, ac piſcoſiſſimus.] Hæc Strabo.

AD SELEVCIAM ET BABYLONEM FERVNTVR

Qui rurſus Lib. 15. Vt autem Polycletus ſcribit, Choaſpes, Acculeus, & Tygris lacum quendam intrant: deinde eum egreſſi pelagus irrumpunt.] Et poſt pauca: Alij referunt fluuios per Suſa labentes, vnum in fluentem cum Tygri coire: nec non interiectas Euphratis foſſas: idcirco propter

eruptio-

eruptiones Paſatygrim appellari. Nearchus Suſiani tractus annauigationẽ cœnoſam eſſe tradit, eam ad Euphratem fluuium finiri inquiens : ad cuius oſtium vicum eſſe frequenter habitatum, vbi delata ex Arabia onera excipiantur. Deinceps enim cõiungi littus Arabum ipſi Euphratis & Paſſatygris oſtio : interuallum autem totum, paludem continere quæ Tygrim excipit. Per paludem ipſam ad Tygris oſtium annauigatur ſtadijs ſexaginta: penes oſtium pagum habitari Suſinum, à Suſis diſtantem ſtadijs quingentis. Ab Euphratis oſtio vſq. Babylonem annauigatio eſt per frequentia habitacula, ſupra ſtadia duo millia. Oneſicritus aſſerit omnes in paludem erumpere Euphratem & Tygrim: egredientem vero rurſus Euphratem è palude, proprio ad pelagus oſtio miſceri. Hactenus Strabo de Tygri & Euphrate.

Plinius Lib.6.Cap.27. de Tygri hæc: Oritur in regione Armeniæ maioris fonte conſpicuo in planitie. Loco nomen Elongoſine eſt: ipſius quà tardior fluit, Diglito: vnde concitatur, à celeritate Tygris incipit vocari: ita appellant Medi ſagittam. Influit lacum Arethuſam, omnia illata pondera ſuſtinentem, & nitrum nebulis exhalantem. Vnum genus ei piſcium eſt, idq. tranſcurrentis non miſcetur alueo, ſicut nec è Tygri piſces in lacum tranſnatant. Fertur autem & curſu & colore diſſimilis; tranſuectuſq. occurrente Tauro monte, in ſpecu mergitur, ſubterq. lapſus à latere altero eius erumpit. Locus vocatur Zoroanda. Eundem eſſe manifeſtum eſt, quòd demerſa perfert. Alterum deinde tranſit lacum, qui Thoſpites appellatur: rurſumq. in cuniculos mergitur, & poſt vigintiquinque millia paſſuum circa Nymphæum redditur. Tam vicinum Arſaniæ fluere eum in regione Arrhene Claudius Cæſar auctor eſt, vt cum intumuere, confluant, nec tamen miſceantur: leuiorq. Arſanias innatat, quatuor millium ferme ſpatio: mox diuiſus, in Euphratem mergitur. Tygris autem ex Armenia acceptis fluminibus claris, Partheni, Agnice, Pharione, Arabas, Aroeos, Adiabenoſq. diſterminat: & quam diximus Meſopotamiam faciens, luſtratis montibus Gordyæorum, circa Apamiam Meſſenes oppidum, citra Seleuciam Babyloniam centum vigintiquinque millia paſſuum, diuiſus in alueos duos; altero Meridiem ac Seleuciam petit, Meſſenen perfundens: altero ad Septentrionem flexus, eiuſdem gentis tergo campos Cauchas ſecat. Vbi remeauere aquæ, Paſatygris appellatur. Poſtea recipit ex Media Choaſpem, atq. vt diximus inter Seleuciam, & Cteſiphontem vectus, in Lacus Chaldaicos ſe fundit, eoſq. ſeptuaginta millia paſſuum amplitudine implet. Mox vaſto alueo profuſus, dextra Characis oppidi infertur mari Perſico decem millium paſſuum ore. Inter duorum amnium oſtia vigintiquinque millia fuere, aut vt alij tradunt, ſeptem millia, vtroq. nauigabili: ſed longo tempore Euphratem præcluſere Orcheni, & accolæ agros rigantes; nec niſi per Tygrim defertur in mare.] Hæc Plinius.

IN PERSICVM SINVM EXONERANT.

Qui rurſum Lib.5.Cap.24. de Euphrate inquit: Oritur in Præfectura Armeniæ maioris Caranitide, vt prodidere ex his qui proxime viderunt, Domitius Corbulo in monte Aba, Licinius Mutianus ſub radicibus montis, quem Capotem appellant, ſupra Simyram duodecim millia paſſuum, initio Pyxirates nominatus. Fluit Derxenem primum, mox Anaetiam,

Arme-

Armeniæ regiones à Cappadocia excludens. Daſcuſa abeſt à Symira ſeptuaginta quinque millia paſſuum. Inde nauigatur Paſtonam quinquaginta millia paſſuum: Melitiuem Cappadociæ ſexaginta quatuor millia paſſuum: Elegiam Armeniæ decem millia paſſuum, acceptis fluminibus Lyco, Arſania, Arſano. Apud Elegiam occurrit ei Taurus mons, nec reſiſtit quamquam duodecim millia paſſuum latitudine præualens: Omirram vocant irrumpentem: mox vbi perfregit, Euphratem: vltra quoque ſaxoſum ac violentum: Arabiam inde læua Merorum dictam regionem triſchæna menſura; dexteraq. Comagenem diſterminat: pontis tamen etiam vbi Taurum expugnat, patiens. Apud Claudiopolim Cappadociæ curſum ad Occaſum Solis agit. Primum hunc illi impugnatus curſum Taurus aufert: victuſq. & abſciſſus ſibimet, alio modo vincit, ac fractum expellit in Meridiem. Ita naturæ dimicatio æquatur, hoc eunte quò vult; illo prohibente ire quà velit. A cataractis iterum nauigatur quadraginta millia paſſuum: inde Camogenes caput Samoſata: item Zeugma ſeptuaginta duobus millibus paſſuum à Samoſatis, tranſitu Euphratis nobile. Ex aduerſo Apamiam Seleucus idem vtriuſq. conditor ponte iunxerat. Ita fertur vſq. Vram locum, in quo conuerſus ad Orientem, relinquit Syriæ Palmyrenas ſolitudines.] Tantum ille.

Et Lib. 5. Cap. 26. addit: Scinditur Euphrates à Zeugmate octoginta tribus millibus paſſuum circa vicum Maſſicen. Et parte læua in Meſopotamiam vadit per ipſam Seleuciam, circa eam præterfluenti infuſus Tygri. Dexteriore autem alueo Babylonem quondam Chaldææ caput petit, mediamq. permeans, item quam Otrim vocant, diſtrahitur in paludes. Increſcit autem & ipſe Nili modo ſtatis diebus, paulum differens, ac Meſo-
EXVNDANT MORE NILI. potamiam inundat Sole obtinente viceſimam partem Cancri: minui incipit in Virgine, & Leone tranſgreſſo: in totum vero remeat in vigeſima nona parte Virginis.] Hæc Plinius. Et Lib. 18. Cap. 18. Laudata Aegypti fertilitate, ait: Similis ratio, ſed felicitas maior Babyloni ac Seleuciæ Euphrate atque Tygri reſtagnantibus, quoniam rigandi modus ibi manu temperatur.] Sed de vbertate ſoli quam Euphrates & Tygris terris inferunt, plura Plinius eodem Lib. Cap. 17. quæ nos Lib. 2. de Antichriſto Cap. 16. poſuimus. Vide infra Cap. 47.

Qui inſuper Lib. 6. Cap. 26. hæc refert: Sunt qui tradunt Euphratem Gobaris Præfecti opere diductum, vbi eum diximus findi, ne præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret. Ab Aſſyrijs vero vniuerſis appellatum Armalchar, quod ſignificat regium flumen. Quà deriuatur, oppidum fuit Agrani è maximis, quod diruere Perſæ.] Et inferius: Euphrate nauigari Babylonem è Perſico mari quatercentum duodecim millia paſſuum tradunt Nearchus & Oneſicritus. Qui vero poſtea ſcripſere, à Seleucia quatercentum nonaginta millia. Iuba à Babylone Characem centum ſeptuaginta quinque millia paſſuum. Fluere aliqui vltra Babylonem continuo alueo priuſquam diſtrahitur in irrigua, octoginta ſeptem millia: vniuerſo autem curſu vndecies centum millia paſſuum.] Ita Plinius.

Qui tandem Lib. 6. Cap. 9. ait: Armenia autem maior incipiens à Pariedris montibus, Euphrate amne, vt dictum eſt, aufertur Cappadociæ, &

quà

quà diſcedit Euphrates, Meſopotamiæ, haud minus claro amne Tygri: vtrumq. fundit ipſa, & initium Meſopotamiæ facit inter duos amnes ituræ.] Hactenus Plinij de Meſopotamiæ fluminibus Tygri & Euphrate tam multa & pulchra poſuimus.

Solinus in Polyhiſtore Cap.40. Euphratem maior fundit Armenia, ortum ſupra Zimaram ſub radicibus montis, quem Capoten accolæ nominãt, Scythis proximum. Hic receptis in ſe aliquot amnibus conualeſcit, & ſtipatus conuenis aquis, luctatur cum Tauri montis obiectu: quem apud Eligeam ſcindit, reſiſtat licet duodecim millibus paſſuum latitudine, longisq. excurſibus. Dextera Comagenem, Arabiam læua relinquit: deinde prælabens plurimas gentes, Babyloniam quondam Chaldæorum caput diuidit. Meſopotamiam opimat annuæ inundationis exceſſibus, ad inſtar Aegyptij amnis terris ſuperfuſus, inuecta ſoli fecunditate: ijſdem ferme temporibus quibus Nilus exit, ſole ſcilicet in parte Cancri viceſima conſtituto. Tenuatur cum iam Leone decurſo, ad extima Virginis curricula facit tranſitum. Quod Gnomonici ſimilibus pararellis accidere contendunt, quos pares & cæli & terrarum poſitione æqualitas normalis efficit lineæ. Vnde apparet iſta duo flumina ad modulum eiuſdem perpendiculi conſtituta, licet è diuerſis manent plagis, eaſdem incrementi cauſas habere. De Tygride quoq. hoc loco dicere par eſt: In Armeniæ maioris regione caput tollit, mire quàm lucido conſpicuoq. fonte in loco edito, qui Elongoſine nominatur. Nec tamen ab exordio ſtatim totus eſt: primum pigre fluit, non cum ſuo nomine. At cum fines Medorum inuectus eſt, Tygris ſtatim dicitur: ita enim Medi nominant ſagittam. Influit in Arethuſam lacum, omnia pondera ſuſtinentem. Cuius piſces numquam ſe alueo Tygridis immiſcent: ſicut nec amnici piſces in ſtagnum tranſeunt Arethuſæ: per quem diſſimilis colore, & volucri meat curſu. Mox Tauro reſiſtente in profundam ſpecum mergitur, quã ſubterlabens, in altero eius latere apud Zoroandam emicat, vluas & purgamenta plurima ſecum trahens. Deinde identidem abſconditur, rurſusq. redditur. Adiabenos, Arabaſq. præterfluit, Meſopotamiam amplectitur, amnem nobiliſſimum Choaſpem accipit, Euphratem defert in Sinum Perſicum.] Hucvſq. Solinus.

SOLE IN CANCRO

De Tygris & Euphratis fontibus & fluxu, aliorum Auctorum ſententiæ. Cap. XXVII.

QVINTVS Curtius Lib.5. Rerum Alexandri de eiſdem nobilibus fluuijs iſta narrat: Ipſi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, & magno deinde aquarum diuortio iter quod cepere, percurrunt. Duo millia & quingenta ſtadia emenſi ſunt qui ampliſſimum interuallum circa Armeniæ montes notauerunt. Iidem cum Mediæ & Gordienorum terras ſecare cœperunt, paulatim in arctius cocũt, & quo longius manant, hoc anguſtius interſe ſpatium terræ relinquunt. Vicini maxime ſunt his campis quos incolę Meſopotamiam vocant: mediã namq.

ab vtroq.

ab vtroq. latere concludunt. Ijdem per Babyloniorum fines in Rubrum mare prorumpunt.] Hæc Curtius.

Pomponius Mela Lib.3.Cap.8. agens de mari Perſico hæc ſcribit: In parte quæ pelagi oſtio aduerſa eſt, Babyloniorum fines Chaldæorumque ſunt, & duo clari amnes, Tygris Perſidi propior, vlterior Euphrates. Tygris vt natus eſt, ita deſcendens vſque ad littora permeat: Euphrates immani ore aperto, non exit tantum vnde oritur, ſed & vaſte quoque decidit: nec ſecat continuo agros, ſed late diffuſus in ſtagna diuq. ſedentibus aquis, & ſine alueo patulis piger; poſt vbi marginem rupit, vere fluuius eſt, acceptiſq. ripis celer & fremens, per Armenios & Cappadocas Occidentē petit, ni Taurus obſtet, in noſtra maria venturus. Inde ad Meridiem auertitur, & primum Syros, tum Arabas ingreſſus, non perdurat in pelagus, verum ingens modo & nauigabilis: inde tenuis riuus deſpectus emoritur, & numquam manifeſto exitu effluit, vt alij amnes, ſed deficit.] Hęc Mela.

Iuſtinus Trogi abbreuiator Lib.43. Hiſtoriarum, hæc de Tygri prodit: Ab Armeniæ montibus Tygris fluuius modicis primo incrementis naſcitur, interiecto deinde aliquanto ſpatio, ſub terras mergitur, atq. ita poſt vigintiquinque millia paſſuum grande iam flumen in regione Sophone emergit: ac ſic in paludes Euphratis recipitur.]

MESAPOTAMIA VNDE DICTA. Philoſtratus Lib.4. Vitæ Appollonij Cap.14. Hanc regionem, quæ propterea Meſopotamia dicitur, quòd media inter duo flumina poſita eſt, Tygris atq. Euphrates ex Armenia & Tauri radicibus diffluentes, cingunt. Sunt autem in ea regione ciuitates aliquot; maxima autem ex parte pagis ac vicis incolitur: populi vero partim Armenij, partim Arabes nuncupantur, quorum magna pars ſedibus incertis vagatur: tamquam inſula ſeſe clauſos arbitrantes. Flumina vero vbi eam quam diximus, continentis partem ambierunt, in idem mare decurrunt. Sunt qui dicunt in paludem quandam partem maximam Euphratis delabi, ita vt ad mare non perueniat: ſed in terra curſus ſui finem recipiat. Quidam & audacius de eo loquentes aſſerunt, cum diutius ſub terra fluxerit, rurſus in Aegypto apparere, & Nilo commiſceri.] Ita Philoſtratus.

Impius Philoſtorgius Arianus quænam de Tygri & Euphrate ex Theophilo æque Ariano protulerit, Nicephorus Lib.9. Hiſtor. Eccleſ. Cap.19. hiſce verbis refert: Sed enim quæ Deo inuiſus Philoſtorgius de ſententia Theophili quem diximus, memoriæ litteris mandauit, ea nunc paucis perſtringemus. Dicit enim in Sinum Perſici maris, quod ea parte Oceanus ſeſe effundens vaſtum, & circumcirca multas gentes complectens efficit, cum alios maximos fluuios, tum Tygrim ſe vndis ſuis inferre. Qui cum Apeliotē verſus ſub Hircano mari in Cordiæis manifeſto ſibi ipſi redditus emerſit, iuxta Syriam profluens, ſimulatq. Suſidem terram pertingit, Euphrate ibi ſe ei commiſcente, magnus iam & aquarum vi rapidus, ingenti & fragoſo ſonitu prouoluitur. Vnde illud Tigridis ferę cognomen accepiſſe ferunt. Priuſquam autem in mare delabitur, in duo ingentia flumina ſciſsus, oſtijs duobus longe interſe diſſitis, in Perſicum ſe mare conijcit, multū terræ in medio concludens, eamq. fluuialem ſimul, & maritimam inſulam efficiens, quā gens Meſſenorum incolit. Euphrates autem fluuius ex Armenijs manifeſto appa-

ARCAE NOE RELIQVIAE

apparens,exoritur vbi mons eſt Ararat,ab incolis ita appellatus; ad quem Arca Noe conſtitiſſe ſacræ produnt Litteræ: cuius etiã nunc ibi lignorum, & clauorum non paucæ ſeruantur reliquiæ. Inde primum exiguus profluēs Euphrates,quò longius fertur, eò maior exiſtit, plurima alia flumina in alueum ſimul & nomen ſuum excipiens. Maiore autem & minore Armenia emenſa,vltra progreditur, eam quæ peculiari nomine Euphrateſia dicta eſt,deinde etiam reliquam ſecans Syriam. Hac porro, & illa poſt ſe relicta, omnisq. generis qua fluxit helice diuulſa, vbi Arabiæ propinquaturus eſt, refringitur: ac oblique in circulum contra mare Rubrum prolabens, & regionem non paruam ſinuoſe claudens,ad Cæſiam ventum curſum conuertitur. Inde vbi inter Boream & Apeliotem medius conſtitit, & ad Tygridem flumen procurrit,non totum ſe ei immiſcet,ſed portionibus tantum quibuſdam medio interuallo amiſſis,parte reliqua, eaq. maxima & nauigabili in Tygrim eundē apud Suſas omnis incidit: ac nomine ſuo amiſſo, cum illo in Perſicũ deuoluitur Sinum. Id porro quod intra duo iſta flumina protēditur terrę,Meſopotamię nomen obtinet.]Hucvſq. Nicephorus ex Philoſtorgio.

Euſebius Cæſarienſis,& S. Hieronymus Libello de Locis Hebraicis,ſic habet: Euphrates fluuius Meſopotamiæ in Paradiſo oriens. Porro Salluſtius auctor certiſſimus tam Tygris,quàm Euphratis in Armenia fontes demonſtrari. Ex quo animaduertimus aliter de Paradiſo, & fluminibus eius intelligendum.] Ita illi.

Lucanus 3. Pharſaliæ indicaſſe videtur Tygrim & Euphratem eodem fonte profundi, cum ita canit:

Quaque caput rapido tollit cum Tygride magnus
Euphrates: quos non diuerſis fontibus edit
Perſis: & incertum tellus ſi miſceat amnes,
Quod potius ſit nomen aquæ. Sed ſparſus in agros
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur vndæ.
At Tygrem ſubito tellus abſorbet hiatu,
Occultosque tegit curſus, rurſus que renatum
Fonte nouo flumen pelagi non abnegat vndis.

Interpretes, *non diuerſis*, exponunt, *non diſtantibus*. Sed Diodorus, Strabo, Curtius,vti vidimus, diſtare fontes inter ſe ſtadia duo mille & quingenta tradunt. Et quod ait è Perſide vtrumq. amnem oriri, elucidant, ex Armenia,quæ quondam fuit Præfectura Perſarum. Eodem modo ſequentia verba Boetij cape, qui eundem eſſe fontem Tygris & Euphratis hiſce carminibus diſſeruit Lib. 5. de Conſolatione, Metro 1.

Rupis Achæmeniæ ſcopulis vbi verſa ſequentum
Pectoribus figit ſpicula pugna fugax;
Tygris & Euphrates vno ſe fonte reſoluunt,
Et mox abiunctis diſſociantur aquis.

Vides vt multa ex magnis Auctoribus de clariſſimis fluminibus Tygri & Euphrate prodidimus, haud ſatis quidem inter ſe conuenientia: nec mirum quòd fontes,alueos,oſtia amnium contingat ſæpe mutari: id quod poſtea opportune docebimus, vbi fontes iſtorum fluuiorum, curſumq. quem hac ætate habent, exacte pingemus.

De Geon ſecundo Paradiſi flumine. Cap. XXVIII.

VErba ſacra de iſto nobili fluuio ſunt Geneſ.2.13. *Et nomen fluuij ſecundi Gehon: ipſe eſt qui circumit omnem terram Aethiopiæ.* Steuchus, Pererius, Theologi Louanienſes, & alij, vt C.14. vidimus, arbitrantur Geon non eſſe Nilum: ſed aliud flumen nō longe à Meſopotamia, aut ab Orientali Arabia: quodnam autem fuerit, bifariam, ſed conſentanee tamen ſuæ de Paradiſo prope Meſopotamiam plantato, opinationi, exponunt. Primum, inquiunt, Tygris & Euphrates diuerſis alueis fluentes Meſopotamiã cingunt: hanc vbi cinxerint, in vnum commiſcent aquas, & vno feruntur alueo: ſic Paradiſum perlabebantur totum: quem vbi prælapſi fuiſſent; in ipſo ſtatim è Paradiſo egreſſu, in duo iterum flumina diffidebantur: non tamen prioribus Tygris & Euphratis receptis nominibus, ſed nouis factis: nempe Orientalis eruptio, ſeu flumen dicebatur Phiſon: Occidentalis verò fluuius vocabatur Geon.

Secundo addunt, Forſan illud flumen ex duobus Tygri & Euphrate conflatum, in egreſſu ex Paradiſo in quatuor flumina ſeu alueos vna ſimul diductione ſcindebatur, nempe in Geon, Phiſon, Tygrim & Euphratem. (ijs duobus anteriora nomina recipiẽtibus,) tempore Moſis: forſitan poſt illius fluminis iterum in Tygrim & Euphratem diuiſionẽ, Phiſon fuit ramus aliquis ſeu eruptio Tygris: & Geon brachium aliquod Euphratis: quæ tamen ſiue flumina, ſeu eruptiones, vocata Phiſon & Geon, etſi tempore Moſis viguerint, poſtea tamen exaruerint, vel aliò curſus auerterint, vt magnis etiã fluminibus aliquando contingit. Vide infra Cap.48. & 39.

Verum nimius conſenſus cum veterum, tum recentiorum habetur, Geon eſſe Nilum inclytum amnem, qui Æthiopiam & Aegyptum præterfluit. Ioſephus Lib.1. Antiq. C.1. inquit: Gehon autẽ Ægyptum mediam ſecat, id nobis ab Oriente exortũ ſignat, quem Græci Nilum appellare ſolent.] S. Theophilus Antiochenus Epiſcopus Lib.2. ad Autolycũ de Geone inquit: Hunc perhibent generare Nilũ flumen Aegypriacum.] S. Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, dum vrbis Alexãdriæ ſeditiones, cædes, peſtemq. commemorat, agens de Nilo, eum eſſe Geonem haud obſcure innuit in Epiſtola ad Hieracem, quam Euſebius Lib.7. Hiſt. C.16. inſeruit: ſunt eius verba: Quænam alia aqua, quæſo, (cum aqua ſit quæ ſordes cuiuſcumq. rei abluit) vſquam reperiri poterit, quæ aquam huius fluuij, *Nili*, penitus purgare valeat? Aut qua ratione ingens fluuius ex Eden egrediens, etiam ſi quattuor illa in quæ diuiditur, in vnũ caput, nẽpe in alueũ Geonis (qui eſt vnus ex illis quattuor) deriuarentur, iſtam tabem & colluuiem expurgare poſſit?] Ita S. Dionyſius.

GEON NILVS E PATRVM ASSERTIONE.

Euſebius Cæſarienſis, & S. Hieronymus Libello de Locis Hebraicis: Geon fluuius, qui apud Aegyptios Nilus vocatur, in Paradiſo oriens, & vniuerſam Aethiopiam circumiens.]

Sanctus Epiphanius in Anchorato hæc ait: Secundus fluuius eſt Geon, & ſenſibilem videmus hunc fluuium, & non allegorice accipi. Hic enim per Aethiopiam deſcendit, & paruam Aethiopiam penetrat, Anubitimq. ac

Blem-

Blemmeniam, & Ezómitim, & alluens partes Thebaidis & Aegypti, in mare hoc delabitur. Si vero quis non credat, audiat Ieremiam dicentem: Quid nobis cum terra Aegypti, vt bibamus aquã Geon turbatam?] Et in Epiſtola ad Ioannem Ieroſolymitanum Epiſcopum: Ego vidi aquas Geon, aquas quas his carneis oculis aſpexi. Iſte eſt Geon quem Ieremias demonſtrat, dicens: Quid vobis & viæ Aegypti, vt bibatis aquam Geon turbidam?] Hæc S. Epiphanius. Qui ſe in Aegypto iuuenem fuiſſe, & hæreſi Gnoſticorum periclitatum Hæreſ. 26. teſtatur,

S. Ambroſius Lib. de Paradiſo Cap. 3. inquit: Geon autem Nilus circuit terram Aegypti & Aethiopiam.] S. Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi ad Litteram, Cap. 7. hæc ait: Geon quippe eſt qui nunc dicitur Nilus.] Sic S. Auguſtinus. Claudius Marius Victor Lib. 1. Carminum in Geneſ. ita canit:

Nec minor inde Gehon placidis ſed mitior vndis,
Niliacas attollit aquas, arſuraque late
Diluuio tegit arua pio, cæloque repugnans
Temperat Aethiopum ſtagnis refluentibus vndas.]

Theodoretus Quæſt. 2. in Lib. Regum: Geon quidem nominatus eſt Nilus: eſt enim vnus ex quatuor fluuijs: idque Deus ipſe aperte docuit per Hieremiam, dicens: Et nunc quis in via Aegypti, vt bibat aquam Geon.] Hæc ille. S. Alcimus Auitus Lib. 1. in Geneſ. Cap. 9. ſic fatur:

Tertius inde Geon, Latio qui nomine Nilus
Dicitur, ignoto cunctis illuſtrior ortu:
Cuius in Aegypto lenis perlabitur vnda:
Nam quoties tumido perrumpit flumine ripas
Alueus, & nigris campos perfundit arenis,
Vbertas laxatur aqua, cæloque vacante,
Terreſtrem pluuiam diffuſus porrigit amnis.

S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 8. in Hexaemeron hæc habet: Et nomen ſecundo fluuio Geon. Iſte eſt qui circuit omnem terram Aethiopiæ. Traxit nos procedens oratio ad Nili fluentorum in Aegypto latitudinem, vt quæ nos deduxit ad Geon.] multis ſequitur demonſtrare Geon eſſe Nilum. Anaſtaſius Nicænus Quæſt. 24. in Scripturam: Secundus autem Geon, qui & Nilus, deſcendẽs in Aethiopiam, & tranſit paruam Aethiopiam, Anubitimq́. &c.] ponit eadẽ verba S. Epiphanij quæ nuper deſcripſimus: habes totam ſententiam Anaſtaſij à nobis poſitam Cap. 7. S. Iſidorus Lib. 13. Originum Cap. 21. Geon, fluuius de Paradiſo exiens, atque vniuerſam Aethiopiam cingens; hic apud Aegyptios Nilus vocatur.] S. Ioannes Damaſcenus Lib. 2. de Fide Orthodoxa Cap. 9. Nomen ſecundo Geon: ille eſt Nilus ab Aethiopia in Aegyptum deſcendens.] Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo C. 21. Secundi fluuij nomen eſt Geon: is peragrat vniuerſam terram Chus, ideſt, Aethiopiæ. Hic à nonnullis etiam Sichor appellatur, Græci Nilum vocant.] Hæc ipſe: eadẽ habet C. 28.

Philoſtorgius apud Nicephorum Lib. 9. C. 19. Nilus à Moſe Geon, à Græcis autẽ Aegyptus appellatur.] At ne immenſum citandis Auctoribus nobis fundatur oratio, Nilum eſſe Geon affirmant ex Hebræis Rab. Ioſeph pater Kimchij, ex noſtris S. Beda, Rabbanus, Rupertus, Lyranus, Toſtatus, Honcala, Sa, Yſtella & alij in S. Geneſ. Mercerus, Marinus, Alfonſus Camorẽſis, Au-

ctores Lexici Complutenſis, in Hebraicis Theſauris, Iauſenius in 24. Eccleſiaſtici, Genebrardus Lib. 1. Chronograph. Pap. 7. Ioannes Camers in Notis ad Dionyſium de Situ orbis, Ribera in 6. Amos, Num. 44. &, vt vno verbo dicā, omnes hoc ipſum affirmant, præter Steuchum, Pererium, & paucos ſi qui de nouo ſunt exorti; nā ipſi fatentur ſe conſenſu premi, cui obnitūtur. Vide C. 30.

Rationes quibus ſententiam tuentur, ſunt inualidæ. Prima, quòd fontes & oſtia, immenſis terrarum ſpatijs, Nili, Tygris & Euphratis diſiuncta ſint: nec videantur ex vno Paradiſi fonte prodire. At dicemus Cap. 30 quanam ratione Nilus ex Paradiſo profluere potuerit. Secūda, quia ſi Moſes Geon Nilum intellexiſſet, nominaſſet eum potius ab Aegypto quàm ab Aethiopia, cum illa notior Hebræis, quibus flumen narrabat. Sed cur non potius flumen occultare voluit, ne difficile acciperent Hebræi ex vno loco Paradiſi dimanare tam remota inter ſe flumina? Adde quòd Nilum rigare Aegyptum notius cunctis erat quàm vt edici opus eſſet: cum de Aethiopię curſu non ita omnes noſſent. Tertia, cur alibi Scriptura Nilum non appellat Geon? Nimirū, quia in rerum Geneſi Moſes vocauit eum natiuo nomine quo primum eſt appellatus, poſtea eo exoleto nomine, vel fluminis antonomaſtica appellatione, vt in Exodo, vel ter aut quater ſynonymice appellatiue, vt in Ioſue, Iſaia, Ieremia tantum nuncupatus reperitur. Quarto, aiunt idcirco Moſen tacuiſſe terras quas Euphrates præterfluit, quòd Euphrates notiſſimus eſſet Hebræis: atqui tempore Moſis notior multo erat ipſis Nilus; cur ergo terram Chus nominauit? Quia regiones quas Euphrates luſtrat peruagatæ nimium & cognitæ habebantur: non item illæ quas præterlabitur Nilus in Aethiopia, quòd vel ſub Zona præuſta, vel non longe iaceant, arenoſiſq. deſertis & ſiticuloſis ſint ferme impermeabiles. Sed piget iam in his diutius attineri. Sequamur Patres, ſequamur antiquitatē; nā ratiunculis ratiunculas dare prōptum.

Geon, & Nili etymon: de altero Geon ſacris in Libris celebrato. Cap. XXIX.

גיחון
גיח

HEBRAICE dicitur *Ghichon*, deducunt omnes à verbo *Ghauah*, erumpere, prorumpere cum impetu, erumpendo educere, protrudere. Noſter hoc verbum Hebraicum: Pſal. 21. 10. *extrahere* vertit: Ezechiel. 32. 2. *conculcare*: Michææ 4. 10. *ſatagere*: Iudic. 20. 33. *ſe aperire*: Iob 38. 8. *erumpere*: Cap. 40. 18. *influere*: Chaldaicum Daniel. 7. 2. *pugnare*. Sic igitur Geon, ideſt, Nilum appellatum docent, quòd creſcat, erumpat, influat, inundet, miramq. proluuiem Aegypti terris inferat: Vel ab eruptionibus cataractarum, ſeu catadouparum, vbi eluctatur, de quibus poſtea. Alienior eſt Marini etymon à *Nagach*, quòd mugiat valde, quemadmodum bos cum cornupetit.

GEON AB ERVMPENDO.

נגח

VARII EIVSDEM ETYMI.

Ioſephus Lib. 1. Antiq. Cap. 1. Geon, ab Oriente exortū, interpretatur: ſed num hæc notatio ſit Hebraica viderint alij. S. Ambroſius Lib. de Paradiſo C. 3. Significat, inquit, nomen hoc quendam terræ hiatum.] S. Hieronymus in vocum Hebraicum Interpretatione ait: Geon, pectus, vel præruptum.] Prior ſignificatus eſt *Ghachon*, ideſt, venter, vel pectus, Nilo quadret ob fecunditatē,

גחון

vel

vel quòd ſit Aegypti mamma. S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 8. in Hexaemeron inquit: Nam vt dicunt, qui pulchre & accurate linguam Hebraicam tranſtulerunt in Græcam, Geon interpretatur effuſor, aut exinanitor.] Moſes Bar-Cepha Lib de Paradiſo Cap. 18. ait: Ceterum nomen Gihonis obtinuit à fluendo cum inundatione: hac enim ripas ſuas ſupergrediens, irrigat terras ſibi circumiacentes.] Hæc ille. S. Iſidorus Græcum etymon illi videtur indere cum Lib. 13. Originum Cap. 21. ait: Geon vocatus hoc nomine, quòd incremento ſuæ inundationis terram Aegypti irriget: γῆ enim Græce, Latine terram ſignificat.] Ita ipſe.

Vide alias etymos apud Sanctem in Interpret. Nomin. Heb.

Alterius Ghichon fit mentio 3. Regum 1. ver. 33. in hiſtoria augurationis regni Salomonis, cū Dauid principes aulę alloquitur: *Imponite Salomonem filiū meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gibon: & vngat eū ibi Sadoc Sacerdos.* At hunc Geonē longe diuerſum à fluuio Paradiſi Geone, de quo nobis inſtituta diſputatio; fuiſſeq. fontem quendā prope muros Ieruſalem, vrbem extra, conſenſus eſt omnium; annotantibus ſeorſim R. Scelomoh, Lyrano, Caietano, Vatablo, Clario, Sà in 3. Reg. 1. Sanćte, Mercero, Marino in Theſauris, Pererio Lib. 3. in Geneſ. alijſque. Sed & Ioſephus præfatum locum ex Regibus in hunc modum Lib. 7. Antiqui. Cap. 11. reddit: Iubet Dauid vt aſſumpto Nathane Propheta, & cohorte Regia, impoſitoque filio ipſius Salomone in mulam regiam, extra vrbem illum deducerent ad fontem qui vocatur Geon; vnćtumque ſacro oleo Regem declararent.] Quin Euſebius & S. Hieronymus libello de Locis Hebraicis; diuerſos omnino ſtatuunt Geonem Paradiſi, & Geonem vbi vnćtus eſt Salomon. Credidere plerique ſecuti Paraphraſtem Chaldæum, Geonem Ieroſolymitanum eſſe ipſum Siloe fontem in Veteri Teſtamento, & in Euangelio celebratum. Chaldæus enim locum ex Regibus ita reddit: *Et ducite eum in Siloe.* Theodoretus etiam eundem locum enarrans Quæſt. 2. in 3. Reg. hæc ait: Cognominat Siloen Geon, vl tamquam valde paruum, ironice ſic eum vocans; vel quoniam ipſe quoque exit ex obſcuris ſub terra meatibus, ſicut Nilus.] S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 8. in Hexaemeron ait: Eſt enim quoque Geon fluuius Ieroſolymis, qui dicitur Siloe.] Aſſentiuntur Lyranus, Clarius, Sà, Marinus.

ALIVS GEHON PROPE IEROSOLYMAM.

Alij malunt fontem eſſe, ſeu riuulum extra muros alluentem montem Sion, cuius aquæ in fontem Siloe deriuarentur: quorum ſententiam Montanus in Antiquæ Ieruſalem ſitu ita expreſſit: Gihon fons, qui ad Occaſum vrbis non longe à Piſcium porta erumpit, atq. perpetuo riuo per vallem ſui nominis etiam Gihon dedućto, Piſcinam Superiorem dićtam implet: indeque in Natatoriam Siloe influit.] Hæc ipſe.

Docent omnes fontem Geon fuiſſe extra muros Ieruſalem ad Occidentem montis Sion & Ciuitatis Dauid. 2. Paralipom. 32. 30. *Ipſe eſt Ezechias qui obturauit ſuperiorem fontem aquarum Gibon, & auertit eas ſubter ad Occidentem Vrbis Dauid.* Nimirum riuum Geonem, qui foris vrbem ad Occidentem apertus ſuper terram fluebat, rupe perfoſſa, ſubterraneis cuniculis auertit in Ciuitatem Dauid, ne in obſidione vrbis populus aquarum penuria premeretur, vt ferme omnes exponunt è Verſu 4. eiuſdem Capitis. Et Cap. 33. 14. *Poſt hæc ædificauit Manaſſes murum extra ciuitatem*

Dauid ad Occidentem Gihon, in conualle ab introitu portæ piſcium per circuitum vſque ad Ophel. At qui de fonte Geon,& monte quoq. eiuſdem nominis vbi fons ille ſcaturiebat, ſcire plura velit, adeat Brocardum Itinerario 6. Terræ ſanctæ, Bartholomæum Saligniacum Deſcriptionis Terræ Sanctæ Tomo 6. Cap.5. Chriſtianum Adricomium in Theatro Terræ Sanctæ in Deſcriptione Ieruſalem, Numer. 232. 233. 236. 241. Hieronymum Pradum, & Ioannem Baptiſtam Villalpandum Tomo 3. Apparatus Vrbis ac Templi Ieroſolymitani. Ex his liquido conſtat erraſſe Aben-Ezra exiſtimantem Geonem Paradiſi & illum vbi inauguratus regno Salomon, vnum & eundem fuiſſe: ac peius lapſum Steuchum Coſmopœiæ Cap. 2. arbitrantem Salomonem perductum iuſſu Dauidis ad extremos fines Terræ promiſſæ, nempe ad illam Euphratis eruptionem, quam ipſe putat Geonem dictam, ibique ſacris regni cæremonijs initiatum. Sed hunc Pererius quoq. confutauit Lib.3. Commentariorum in Geneſ. Ad noſtrum Geonem Paradiſi, ideſt, Nilum iam oratio redeat.

Nilus antiquis dictus eſt Aegyptus, id Plinius Lib.5. Cap.9. Philoſtorgius apud Nicephorum Lib.9. Hiſt. Eccleſ. Cap.19. & alij tradunt. Vnde S. Ambroſius Lib.2. de Abraham Cap.10. inquit: Aegyptum veteres Nilum vocabant: ſiue quòd ipſe regioni nomen dediſſet, ſiue quòd regionis accepiſſet vocabulum. Denique & Poeta Græcus teſtificatur ita eſſe, dicens; *στῆσα δ' ἐν Αἰγύπτῳ ποταμῷ ἐντας ἀμφιελίσσας.*] Hæc S. Ambroſius. Sic quoq. Herodotus Lib.2. Aegyptum fluuij potius, quàm continentis Terræ rationem habuiſſe docet: tum quòd olim, vt tradit Homerus, tota aquis merſa maneret: tum ob Nili inundationes; vnde eam fluuialem inſulam appellat Strabo Lib.1.

NILVS VNDE DICTVS. Seneca Lib.6. Naturalium Quæſtionum, Cap.26. inquit: Aegyptum numquam tremuiſſe tradunt, quòd ex limo tota concreuerit. Tantum enim (ſi Homero fides eſt) aberat à continenti Pharos, quantum nauis diurno curſu metiri plenis lata velis poteſt; ſed continenti admota eſt. Turbidus enim defluens Nilus, multumque ſecum limum trahens, & eum ſubinde apponens prioribus terris, Aegyptum annuo incremento ſemper vltra tulit. Inde pinguis & limoſi ſoli eſt, nec vlla interualla in ſe habet; ſed creuit in ſolidum areſcente limo, quo preſſa erat & ſedens ſtructura, cum partes glutinarentur, nec quidquam inane interuenire poterat, cum ſolido liquidum ac molle ſemper accederet.] Hæc Seneca. Eadem ex Homero Plinius Lib. 2. Cap.85. De qua re tamen poſtea accuratius, Cap.35. Sed vnde Nilus nomen traxerit, videamus: Seruius enarrans carmen illud è 9. Aeneidos.

-aut pingui flumine Nilus:

ait: Nilus dictus eſt, quaſi *νέαν ἰλύν*, hoc eſt, nouum limum trahens: quod volens exprimere dixit, Pingui flumine: ideſt, fluore; quæ res fecundam efficit terram.] Ita ille. In eandem ferme ſententiam Euſtathius in Commentarijs Dionyſij de Situ orbis, concedens, ait: *νεῖλον*, ideſt, nouum, dictum, quòd nouam ſtercorationem quotannis inſerat terris. His aſſentitur S. Iſidorus Lib.13. Originum Cap. 21. Sic dicens: Nilus vocatur propter limum quem trahit, qui efficit fecunditatem: vnde, & Nilus dictus eſt, quaſi *νέαν ἰλύδα* trahens: nam ante Nilus, Latine Melo dicebatur.] Sic ille. Vnde Dionyſius:

Non

Non alias tantum fluuiorum ditat arenas,
Atque trahens limum complectitur vbere campos.
Huic ſimilis non ſit fluuius qui ſtercorat agros,
Atq. beat glebas fecundas diuite curſu.

Num שחור *Sichor in Scriptura ſit Nilus.* Cap. XXX.

VOX iſta Sichor aliquando in Vulgata Editione non habetur, ſed in Fonte dumtaxat Hebraico, Ioſue 13.3. *A flumine,* Sichor, *turbido, qui irrigat Aegyptum.* Ieremiæ 2. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Aegypti, vt bibas aquam,* Sichor, *turbidam? & quid tibi cum via Aſſyriorum, vt bibas aquam Fluminis?* ſcilicet Euphratis. Iſaiæ 23. 3. *In aquis multis ſemen,* Sichor, *Nili.* Interdum vero etiam ab ipſo Vulgato, vt eſt Hebraice, relinquitur. 1. Paralip. 13.5. *Congregauit ergo Dauid cunctum Iſrael à Sichor Aegypti vſq. dum ingrediaris Emath.* Omnes cum Hebræi, tum noſtri ſummo conſenſu præfatis locis Sichor, Nilum ſunt interpretati: & Noſter Vulgatus, cuius ſumma eſt auctoritas, aperte in Iſaia pro Sichor, Nilum dixit. Vnde S. Hieronymus in 2. Ierem. inquit: Pro Sichor nos, turbidam, interpretati ſumus, quòd verbum Hebraicum ſignificat, pro quo communis Editio habet, Gehon. Nulliq. dubium quin Nilus aquas turbidas habeat: & quòd fluuius Aſſyriorum Euphratem ſignificet.] Sic ille. Et Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo Cap. 21. Nilus, inquit, à nonnullis appellatur Sichor.] שחור

Conſtat Sichor dictum, hoc eſt, nigrum, fuſcum, turbidum, vt Noſter in Ioſue & in Ieremia expoſuit: vehit enim aquas multo limo nigras & turbidas: & poſt modum ex Plinio narrabimus fontem quendam Nili, Nigrin appellatum. Notant etiam Plutarchus in Libello de Fluminibus, Seruius in 9. Aeneidos, & alij Nilum olim Melan, ideſt, nigrum ab antiquis dictum. Et adijcit Euſtathius in Dionyſium, Aegyptum quoq. Melambolon appellatam, hoc eſt, nigr glebam. Vnde Maro Lib. 4. Georgicorum de Nilo: SICHOR TVRBIDVS.

Et viridem Aegyptum nigra fecundat arena.

Sed locum Ierem. 2. 18. Septuaginta ita reddiderunt: Et nunc quid tibi & viæ Aegypti, vt bibas aquam Geon?] aperte nimis pro Sichor, expoſuere Geon. At cum omnium conſenſu, vti prædiximus, Sichor ſit Nilus, & Septuaginta Sichor dixerint Geon; quis non videt, Septuaginta Geon ipſum Nilum perſpicue intellexiſſe? vt ex tantorum virorum auctoritate firmum quoque ſubſiſtat argumentum, Geon eſſe Nilum, vt Cap. 28. probabamus: vbi quoq. S. Epiphanij, & Theodoreti ſententias poſuimus, in Ieremia cum Septuaginta pro Sichor, Geon legentium. Quin & Abaſſinos Aethiopes, quorum terras perluit Nilus, ipſum etiam Geon proprio nomine appellare, Hebraico adhuc retento vocabulo, qui negant Geon eſſe Nilum, diffiteri nequeunt.[a] Viæ Aegypti meminit quoq. Iſaias 10. ver. 24. & 26. Deſcriptam eam habes ab Chriſtiano Adrichomio in Theatro Terræ ſanctæ, in Tabula deſerti Pharan: quæ ferme tota ab Aquilone in Meridiem non procul à littoribus maris Mediterranei à Iudæa in Aegyptum excurrit.

[a] Strucbus in Coſmograph. Cap. 2.

Vt vero

TORRENS AEGYPTI TERMINVS AVSTRALIS TERRAE SANCTAE.

Vt vero plenius quiſnam fluuius ſit Sichor cognoſci valeat, ſciendum Scripturam ſæpe ſæpius terminum Auſtralem Terræ ſanctæ præfigere Fluuium Aegypti, vel Torrentem Aegypti, varijs enim nominibus eum inſignire ſolet, vt Geneſ. 15.v.18. ait Dominus Abrææ *Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti vſq. ad flumen magnum Euphraten*. Numeror.34.5. *Ibitq. per gyrum terminus, meridionalis, ab Aſemona vſq. ad Torrentem Aegypti, & maris magni littore finietur*. Ioſue 15.4. *Atq. inde pertranſiens in Aſemona, & perueniens ad Torrentem Aegypti: eruntq., termini eius mare magnum: hic erit finis Meridianæ plagæ*. Idem v.47.3.Reg.8.v.65. *Ab introitu Emath vſque ad Riuum Aegypti*. Idem 2 Paralip.7.v.8. Iſaiæ 27.12. *In die illa percutiet Dominus ab alueo fluminis vſq. ad Torrentem Aegypti*. Amos 6.v.15. *Et conteret vos ab introitu Emath, vſq. ad Torrentem deſerti*. 4.Reg.24.v.7. *Tulerat enim Rex Babylonis à Riuo Aegypti vſq. ad fluuium Euphratem, omnia quæ fuerant Regis Aegypti*. Ezechielis 47..v.19. *Plaga autem Auſtralis meridiana à Thamar vſq. ad aquas contradictionis Cades: & torrens vſque ad mare magnum*.

QVIS TORRENS AEGYPTI.

Quidam Torrentem hunc, Auſtralem limitem Terræ ſanctæ, exiſtimant fuiſse Torrentem Beſor, de quo 1.Reg.30.v.9. & 10. appellatum quoque Maiomæ, quòd in nauale Gazæ dictum Maiuma, influeret. De Maiuma plura Euſebius in Vita Conſtantini Lib.4.Cap.37. & 38. Sozomenus Lib.2. Cap.4. & Lib.5.Cap.3. Nicephorus Lib.1.Cap 4. & Lib.8.Cap.33. S.Hieronymus in Vita Hilarionis, & alij. De fœdiſſimis feſtis actitari ibi ſolitis in honorem Veneris, extant Arcadij Imperatoris leges in Codice Iuſtinianeo Leg.11. & Leg.vnica de Maiuma, & in Codice Theodoſiano Leg.15. De turpiſſimo ſimulacro Veneris in eadem Palæſtinæ vrbe Maiuma, virtute ſanctæ Crucis à S.Porphyrio Gazenſi Epiſcopo exturbato hiſtoriam refert Marcus Diaconus apud Metaphaſten 26. Februarij.

Num Maiuma quoq. feſtũ eſſet Romanis apud Oſtia Tiberina menſe 26. Maio celebrari ſolitum, Suidæ, & Alciato aſſerentibus refragatur Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum 26.Decembris: ſed eos tuetur Lipſius inſigni eruditione in Commentarijs ad 11. Annal. Cornelij Taciti: cui magis aſſentimur: ipſum adi. Ad rem.

Torrentem igitur Boſor, ſeu Maiumæ terminum Auſtralem promiſſę Terræ præfatis locis Scripturæ nonnulli intellexere, eo potiſſimum argumento, quòd ſæpius ſacrę Litteræ fines Meridionales Palæſtinæ, Beerſabe præſtituãt, à qua non procul Torrens Maiumæ perlabitur. Habes eum deſcriptum ab Chriſtiano Adrichomio in Tabula Tribus Simeon. Sed cur dictus Torrens Aegypti? Forſan quia erat viam Aegypti pergentibus tranſeundus? Verum reijcitur à multis hæc de Torrente Maiuma ſententia, vt noua & nullo fundamento nixa: nam quod de Beerſabe fine Auſtrali obtendebat; etiam Dan in Scriptura ponitur terminus Aquilonaris Terræ ſanctæ, cum tamen Emath laxior, & magis in Boream ſemotus multis Scripturæ locis, vt etiã nuper vidimus, diſcribatur. Terra enim promiſſa varijs limitibus nũc amplioribus, nunc ſtrictioribus definitur, vt C.25. notabamus. At de Emath diximus in Antichriſto Lib.3.C.11.& plura Pererius Lib.15.in Geneſ. Diſput.9. Adricomius in Tabula Nephtali Num.45. Dã & Berſabe erãt arctiores & poſſeſſi termini: Introitus vero Emath, & Torrens Aegypti latiores & promiſſi.

Dixe-

Dixerunt alij Torrentem Aegypti eſſe Sichor, de quo initio Capitis dicebamus, ſed hunc nolunt intelligi Nilum, ſed alium paruum fluuium ſeu Torrentem qui Aegyptum à Chananæa diſterminet: aiunt enim Sichor eſſe amnem, qui Petram Arabiæ præterfluens, in Sirboniam paludem influit, communis limes Aegypti & Palæſtinæ: & hunc eſſe illum nobilem Torrentem, vel fluuium Aegypti toties in Scriptura pro Auſtrali termino Sanctæ Terræ præſcriptum. At de Sirbonis Lacu Ptolemæus Lib. 4. Cap. 5. Strabo Lib. 16. Sed & Plinius Lib. 5. Cap. 13. hæc habet: Idumæa incipit & Palæſtina ab emerſu Sirbonis lacus, quem quidam centum quinquaginta millia paſſuum circuitu tradidere: Herodotus Caſſio monti applicuit; nunc eſt palus modica. Oppida Rhinocolura, & intus Raphea &c.] Hæc ipſe. Verba Herodoti Lib. 2. ſunt hæc: Nos Aegyptum diſtinguimus à Sinu Plinthine, ideſt, lateritio vſque ad ſtagnum Sirbonidis, ad quod mons Caſius vſque pertingit.]

Verum ridenda ſententia, quæ Nouatoribus Poſtello, Iunio & Tremellio placuit, cum tanto conſenſu initio Capitis docuerimus Sichor eſſe ipſum Nilum, non torrentem Arabiæ: & nullus Auctorum, nullæ Geographiæ Tabulæ in Sirbonicam paludem vllum fluuium influere tradant.

S. Hieronymus, quem ſunt innumeri ſectati, famoſum hunc Aegypti Torrentem, riuum quendam eſſe aſſeruit ex Nilo deriuatum, qui inter Aegyptū & Rhinocoluram in mare Mediterraneum intrat, Chananæam ab Aegypto abiungens: ſic enim S. Hieronymus Epiſt. 129. ad Dardanum ſcribit: Vſque ad Torrentem Aegypti, qui iuxta Rhinocoluram mari magno influit.] Et in 6. Amos enarrans illud: *Ab introitu Emath vſque ad Torrentem deſerti*: ita ait: Ideſt, ab Emath vſque ad Rhinocoluram; inter quam & Peluſium, riuus Nili ſiue Torrens de eremo veniens mare ingreditur.] Tantum ille.

Secutus eſt haud dubie hac in re S. Pater Septuaginta Interpretes, qui Iſaiæ 27. 12. pro eo quod Noſter habet, *Vſque ad Torrentem Aegypti*. ipſi dixerunt, *vſque ad Rhinocoluram*. non quòd Rhinocoluram illi putauerint eſſe Torrentem Aegypti, cum potius ſit nomen vrbis, ſed quòd cum Torrens ille non procul ab ea vrbe fluxerit, terminum Auſtralem Chananææ notam vrbem, magis quàm Torrentem obſcurum dicere voluerint. De Rhinocolura Euſebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis hæc: Rhinocolura eſt ciuitas Aegypti, cuius meminit Iſaias Cap. 27. Sciendum autem quòd hoc vocabulum in Libris Hebraicis non habetur; ſed à Septuaginta Interpretibus propter notitiam loci additum eſt.] ſic illi. De eadem vrbe pauca hæc ex Auctoribus accipe: Strabo Lib. 16. ſic ait: Rhinocolura ab his dicta, qui Rhinas habitauere; nam Aethiopum quidam Aegyptum inuadens, non interitu ſed naſi mutilatione maleficia coercens; vt propter oris deformitatem peccare deinceps non auderent.] DE RHINOCOLVRA.

Diodorus Siculus Lib. 2. inquit: Actiſanes Aethiopum Rex Aegypto occupata, partim vi, partim Aegyptiorum voluntate, latrocinia nouo more compeſcuit; ſontes neque morte plectens, neque dimittens impunitos: eorumq. conſtituto iudicio, omnes qui conuicti ſunt, in vnum coactos miti ſupplicio affecit. Amputatis enim naribus, in vltima deſerti ire compulit; ibiq. ciuitatem condidit, ab exciſis naribus Rhinocoluram appellatã. Hæc vrbs in

Aegypti, Arabiæq. finibus non procul mari ſita, omnibus vitæ commodis caret. Nam omnis vicina regio ſalſa eſt: & intra mœnia vnicus eſt puteus, atque is inutilis, vtpote aqua guſtu amara.] Hæc Diodorus.

Verum aliter rem geſtam narrat Seneca Lib. 3. de Ira Cap. 20. hiſce verbis: Rex Perſarum totius populi nares recidit in Syria, inde Rhinocolura loci nomen eſt. Peperciſſe illum iudicas, quòd non tota capita præcidit. Nouo genere pœnæ delectatus eſt.] Ita Seneca. Hanc vrbem nunc Pharamicam vocari, Marius Niger, & Ortelius teſtantur. Sed ad noſtra.

Satis diſerte S. Hieronymus Torrentem illum Aegypti, riuũ ex Nilo fluentem aſſeruit. Id quod Iſidorus Clarius in 13. Ioſue, Ribera in Amos 6. Numero 44. Pererius in 15. Cap. Geneſ. Diſputatione 9. Yſtella in 15. Geneſ. & multi, ac ferme omnes ſequuntur. Deſcripſit eum poſt alios Adricomius influentem in Mediterraneum mare inter Faleidiam à Meridie, (vicũ cuius meminit S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis,) & Rhinocoluram ab Aquilone; diſſitum ſatis ab Oſtio Nili Peluſiaco, à lacu Sirbonis, & monte Caſio; propiorẽ Oſtracinæ, de qua Ptolemæus Lib. 4. Cap. 5. qui ab Aegypto verſus Iudæam, hoc ordine ſitus terrarum deſcribit: Peluſium, Gerrum, Caſiotis, Caſius mons, Eruptio Sirbonidis Paludis, Oſtracine, Rhinocolura, Anthedon &c. Eundem ferme notant Strabo Lib 16 Plinius Lib. 5. Cap. 12. & 13. & alij; At nulla ſpecies aut mentio apud Adricomium, quòd Torrens ille deriuetur è Nilo; vt neque apud Montanum in Tabula Terræ ſanctæ.

Maſius in 13. Ioſue verſu 3. elucidans verba illa: *A fluuio turbido, qui irrigat Aegyptum*, affirmat quoque Torrentem Aegypti, riuum eſſe Nili, ita ſcribens: Equidem non ſum neſcius eam pleroſque habere opinionem vt putent, alium quemdam fluuiolum diſcernere Aegyptiorum ditionem à Chananæa, quàm Nilum. Id enim etiam Hieronymus prodidit. Verum quandò apud probatos, quod ego ſciam Coſmographos, nulla vſquam eius fluuij

Strabo lib. 16. mentio eſt: Strabo autem in ea arte omnium diligentiſſimus, ſupra magnum Peluſiacum Nili oſtium aliud paruum facit apud montem Caſium, à quo ad magnum vſque ſtadiorum tercentum ſit interuallum: idemque auctor Iudæam ad Caſium vſque montem profert, à quo monte prope adinodũ abeſt Rhinocolura, vrbs à præciſis ciuium naribus ſic dicta; apud quam Hieronymus illum ſuum fluuiolum in mare deducit: Plinius etiam Rhinocoluram, Iudææ extimam vrbem eſſe conſtituit; plane exiſtimo non alium eſſe fluuiolum illum à Nilo, ſed ab eo deriuatum: atque ideo Nili hoc nomen retinere.

D. Iodocus à Ghistella. Nam à noſtræ etiam memoriæ Scriptoribus proditum eſt, qui loca ea ipſi peragrarunt, itinere circiter dierum quinque à Gaza verſus Aegyptum, citimum Nili brachium à mari excipi: vulgoq. Charabum vocari. Et ab eo ad Damiatam vſque, hoc eſt, Peluſium, vix tantum intercedere, quantum horis viginti pedes queat conficere. Quod ſane Strabonis dictis conſentaneũ eſſe mihi videtur. Quin Rabbini Salomon & Kimchi nihil dubitantes dicunt eundem vnum eſſe terminum qui Ioſue 13. 3. per Nilum, & qui Cap. 10. 41. per Gazan deſignatus eſt. Verum putant illi hyperbolem eſſe, cum ad Nilum vſque fines Iudææ extenduntur.] Hactenus Maſius. Qui omnia ſcitæ, nec tamen ait Hieronymum negaſſe Torrentem Aegypti eſſe Nili riuum, ſed eſſe Nilum.

Nos

Nos equidem vt S. Hieronymi & aliorum de fluuio Rhinocoluræ ſententiam haud abnuimus cumprimis eſſe probabilē, ita cum loca Scripturæ ſuperius poſita, aſſerentia Torrentem Aegypti eſſe terminum Auſtralem Chanææ, cum illo Ioſue 13. verſ. 3. & alijs conferimus, vbi dicitur, Fluuium turbidum ſeu Sichor, qui irrigat Aegyptum, limitem Meridianum eſſe Terræ promiſſæ; aliud vix ſentire poſſumus, quàm Torrentem, ſeu Fluuium ſeu Riuum Aegypti ipſum eſſe Sichor qui irrigat Aegyptum. Plane eodem tenore verborum dicitur 3. Reg. 8. verſ. 65. *Ab introitu Emath, vſque ad Riuum Aegypti.* & 2. Paralip. 7. verſ. 8. *Ab introitu Emath, vſque ad Torrentem Aegypti.* & Amos 6. verſ. 15. *Ab introitu Emath, vſque ad Torrentem deſerti.* ſicuti 1. Paralip. 13. 5. *Congregauit Dauid cunctum Iſrael à Sichor Aegypti, vſque dum ingrediaris Emath.* Rogo quanto conſenſu & ratione initio huius Capitis demonſtrauimus Sichor, ſeu fluuium Turbidum Nilum eſſe? hunc ergo, Torrentem Aegypti & Terminum Auſtralem Iſraeliticæ hæreditatis cogimur intelligere. TORRENS AEGYPTI NILVS.

Eſto, dicent, Nilum ſtatui terminum: ſed vel per hyperbolem cum Hebræis: vel quia ille riuus ex Nilo deductus, qui Nili nomen ferat, ſit proprie limes. At hæreo, ob multa I. quia illud, *Qui irrigat Aegyptum*, de fluuio prope Rhinocoluram ex eremo fluente non niſi aliene & ſynecdochice capi queat. II. quia Scriptura terminos Terræ ſanctæ, non niſi loca illuſtria, & ſatis nota præfigere ſolet: fluuiolus autem ille Rhinocoluræ obſcurus, nulli vel Geographo, vt Hiſtorico cognitus, niſi S. Hieronymo, & eum ſecutis. III. Quia Ptolemæus Lib. 5. Cap. 16. ſcribit Iudæam terminari parte Aegypti: & Plinius Lib. 5. Cap. 13. Palæſtinam ait incipere ab emerſu Sirbonis lacus: & Strabo Lib. 16. & Solinus Cap. 37. Iudæam & Idumæam ad montem vſque Caſium protendunt: quæ cuncta loca vltra Rhinocoluram iacent. IV. His adde, quòd in 1. Paral 13. 5. pro *à Sichor Aegypti.* Septuaginta habent, *à finibus Aegypti.* illuc ergo ditio Iſraelitica pertingebat.

Abſurdum non fuerit citimum Nili brachium, vel oſtium verſus Palæſtinam, limitem Terræ promiſſæ, nomine Sichor, vel Torrentis Aegypti conſtituere. Vidimus ex Strabone Oſtium aliquod Nili ad montem Caſium: & Seneca Natural. Quæſt. Lib. 4. Cap. 2. de Nili oſtijs hæc: Nilus per ſeptena oſtia in mare emittitur: multos nihilominus ignobiles ramos in aliud atq. aliud littus porrigit.] ergo ex his Chananææ propior, Torrens Aegypti, ac nomine Nili famoſus intelligi queat. Nec aliud forſan per ſuum illum riuum S. Hieronymus accepit: nam illum fluere dixit inter Peluſiū & Rhinocolurā.

Et mirum non eſt quòd Torrens vocetur, cum & fluuij quoque nomen nō ſemel ferat: & Nachal, id eſt, torrens etiam de perenni fluuio, conſenſu omniū; multis in Scriptura exemplis, interdum dicatur. Diſplicet quod Montanus Torrentem hunc ab Amos, Deſerti vocatū, illum eſſe exiſtimet quem Iſaias 15. 7. Salicum appellat; cum ille fuerit in terra Moab, vt ex Iſaia liquet. Sed cur eum Torrentem deſerti Amos nuncupat? Septuaginta, Occidentis; Aquila, Planitiei; Theodotion, Arabiæ; vox *Arbah*, omnia iſta fert, ſed propius deſertum: nempe quòd ex eremo per planitiem decurrens, in Mare mediterraneum ad Occidentem influat: Arabiamque Petream etiam ab Aegypto diſterminet. נחל ערבה

 Porro

שיחור לבנת SICHOR VRBS TRIBVS ASSER.

Porro Sichor vrbs quoque fuit Tribus Aſſer Ioſue 19 verſ. 26. longe diſſita à flumine Sichor, ac Hebraice dicta Sichor Labnath: Maſius & Montanus veroſimilius putãt, duo iſta vocabula vnius vrbis dumtaxat eſſe nomen: cum quòd Hebraice non ſit interiecta coniunctio, vt in alijs vrbibus: tum quòd ſumma viginti duarum ciuitatum Tribus Aſſer Verſu 30 præfixa non conſtaret ſi Sichor, & Labnath duæ eſſent vrbes, cũ ſic vigintitres eſſent numerandæ. At iſti parum meminiſſe videntur ſe poſt Concilium Tridentinum ſcripſiſſe. Conuulſa Vulgata Editione, reiectis Septuaginta Interpretibus; qui habent: *Et Sichor, & Labanath*: poteſtne aliquid eſſe probabile?

VITRI PRIMA ORIGO.

Sed videamus quam vrbem eſſe velint Sichor Labnath; multi putant eſſe Ptolemaida, quæ & vulgo, & Hebraice Iudicum 1. v. 31. Acho appellatur: à Strabone vero Lib. 16. & Plinio Lib. 5. Cap. 19. Ace. Maſius vero potius exiſtimat eſſe nomen vallis, vel fluuij quem veteres Belum, ſeu Pagida vacarũt, vitri fertiles arenas paruo littori miſcentem: vnde vitri nobilem originem ortam tradunt. De quo fluuio plura Strabo Lib. 16. Ioſephus Lib. 2. Belli C. 9. Plinius Lib. 5. Cap. 19. Cornelius Tacitus Lib. 5. Hiſtoriar. & alij: ſed hæc pauca accipe ex Plinio Lib. 36. Cap. 26. Belus amnis quinque millia paſſuum ſpatio in mare perfluens iuxta Ptolemaidam coloniam. Lentus hic currit, inſalubris potu, ſed cæremonijs ſacer, limoſus, vado profundus. Non niſi retuſo mari arenas fatetur. Fluctibus enim volutatæ niteſcunt detritis ſordibus. Nunc & à marino creduntur aſtringi morſu, non prius vtiles. Quingentorum eſt paſſuum non amplius littoris ſpatium, idque tantum multa per ſæcula gignendo fuit vitro. Fama eſt, appulſa naue mercatorum nitri, cum ſparſi per littus epulas pararent, nec eſſet cortinis attollendis lapidum occaſio, glebas nitri è naue ſubdidiſſe: quibus accenſis permiſta arena littoris, tranſlucentes nobilis liquoris fluxiſſe riuos, & hanc fuiſſe originem vitri.] Hæc Plinius.

Ergo hunc fluuium Belum exiſtimat Maſius eſſe Sichor Labnath, ſic enim ait: Is enim quia ſupramodum laxo fluit alueo, pro aquarum exigua altitudine: quippe cuius latitudinem centum circiter cubitorum eſſe ſcripſit Ioſephus; vt vallis potius quàm fluuioli inſtar habere videatur, mirifice Nilum refert, qui ab Hebræis Sichor nominatur: quia vero vitri fertiles arenas

לבנת trahit, non potuit aptiori vocabulo nuncupari, quam ſi *Libnath*, diceretur: nam cryſtallum ſic appellant Hebræi: fuerit igitur Sihor Labnath, Nilus cryſtallinus, aut cryſtallifer, ſi non eſt inepta mea coniectura.] Tantum Maſius.

At nimis aliena, ne dixerim inepta eſt illa Nili notatio: propenſior eſt; Turbidus cryſtallifer, cum Plinius nos docuerit Belum limoſum fluere: cryſtalliferum vero propter arenas vitro nobiles. Montanus vero Sichor Lebana, Lunam obſcuram, ſeu nigram aut turbidam interpretatur. Si in Hebraico etymo ludere placet, poſſis exponere Sichor candidam, vel Lateritiam, vel Populeti à frequentia forte iſtarum arborum, vel Thuriferam, vel Lunatam: omnia enim iſta ſubſunt Hebraico Themati *Laban*. לבן

At ceſſant omnia, cum auctoritate Vulgati & Septuaginta duas diſtinctas vrbes Sichor & Labnath accipere neceſſe eſt. Adrichomius eas diuerſas quoque pingit in Tabula Tribus Aſſer, medio inter vtramque prælabente fluuio

ſluuio Belo: idem ferme Montanus in Geographia Palæſtinæ, & alij complures adſtruunt. Nec Maſij & Montani argumentum quidquam efficit: quoties enim Hebraicæ ſunt aſyntheta? & dempto Carmelo qui mons, non vrbs: & Zabulon & Valle Iephthael, Bethemec, & Nehiel, & Cabul, quæ ſunt Tribus Zabulon; iuſte diſſultat numerus viginti duarum vrbium. Verum in eâ vrbium ſerie, multa ſunt incerta, & explicatu difficilia; inde vt velle argumentum ſumere ſit prorſus leuiſſimum.

De Nili ortu ſententia veterum, ac Recentiorum.
Cap. XXXI.

INCLYTI amnis fontes, ac primarium ortum antiquis quamuis acri cura perueſtigatos, numquam tamen plane repertos, norunt omnes. Sunt de his innumeræ priſcorum Auctorum ſententiæ; nunc aliquas retuliſſe contenti, diffuſiorem huiuſce rei tractationem ablegabimus. Cæſar Dictator in Aegypto res gerens, miro noſcendi Nili fontes deſiderio incenſus, Achoreum Sacerdotem ita allocutus eſt apud Lucanum Lib 10. Pharſaliæ: ORTVM NILI INCOGNITVM.

Sed cum tanta meo viuat ſub pectore virtus,
Tantus amor veri, nihil eſt quod nocere malim MIRA DE ILLO VETERES.
Quam fluuij cauſas per ſæcula tanta latentes:
Ignotumque caput. Spes ſit mihi certa videndi
Niliacos fontes, bellum ciuile relinquam.

Achoreus vero Cæſari in hæc verba reſponſum tuliſſe fertur:

Quæ tibi noſcendi Nilum Romane cupido eſt,
Et Pharijs, Perſisque fuit, Macedumq. Tyrannis:
Nullaque non ætas voluit conferre futuris
Notitiam, ſed vincit adhuc natura latendi.
Summus Alexander Regum, quem Memphis adorat,
Inuidit Nilo; miſitque per vltima terræ
Aethiopum lectos: illos rubicunda peruſti
Zona poli tenuit, Nilum videre calentem.
Venit ad Occaſum, mundique extrema Seſoſtris,
Et Pharios currus Regum ceruicibus egit:
Ante tamen veſtros amnes Rhodanumque Padumque
Quàm Nilum de fonte bibit. Veſanus in Ortus
Cambyſes longi populos peruenit ad æui;
Defunctuſque epulis, & paſtus cæde ſuorum,
Ignoto te, Nile, redijt. Non fabula mendax
Auſa loqui de fonte tuo eſt: vbicumque videris,
Quæreris, & nulli contingit gloria genti
Vt Nilo ſit læta ſuo-

Et poſt alia ſubdit:

Et te terrarum neſcit cui debeat orbis,

Arca-

Arcanum natura caput non prodidit vlli:
Nec licuit populis paruum te, Nile, videre:
Amouitque ſinus, & gentes maluit ortus
Mirari, quam noſſe tuos ---.

Herodotus Lib. 2. inquit: Nili fontes nemo neq. Aegyptiorum, neq. Græcorum, neq. Afrorum, cum quibus in colloquium veni, ſe noſſe profeſſus eſt, præter ſcribam ſacrarum Mineruæ pecuniarum apud Aegyptum in vrbe Sai: qui mihi iocari videbatur, affirmans ſe proculdubio id noſſe. Sic autem dicebat: Eſſe geminos montes acuminibus in acutum tendentibus, inter Sienem poſitos vrbem Thebaidis, & Elephantinam: quorum vni nomen eſſet Crophi, alteri Mophi; ex eo medio Nili fontes abyſſos, hoc eſt, immenſæ altitudinis emanare: cuius aquæ dimidium Aegyptum verſus, & verſus Aquilonem flueret: reliquum dimidium Aethiopiam verſus atq. Auſtrum. Quòd autem abyſſi forent fontes, aiebat Pſammeticum Aegypti regem periculum huius rei feciſſe, qui funibus multorum millium paſſuum connexis, & in fontes demiſſis, tamen ad fundum non deueniſſet.] Hæc Herodotus.

Diodorus Siculus Lib. 2. Nili fontes, locaque ex quibus fluit, nullus ad hoc tempus ſcriptor, neq. vidiſſe ſe dicit, neque audiuiſſe ab alijs qui ſe aſſerant aſpexiſſe. Ex quo res ad opiniones & coniecturas peruenit. Aegyptij Sacerdotes ab Oceano, qui orbem circuit, Nilum habere principium ferunt: nihil aſſerentes certi. Troglodytæ aiunt loca eſſe ex quibus conijciunt propter plurimos eius regionis fontes in vnum confluentes, Nilum effici. Meroen vero inſulam habitantibus, quorum opinio, cum ſint eis locis propinquiores, veriſimilior deberet videri, adeo Nili ortus eſt incertus, vt ipſum Aſtopon, hoc eſt, ortam ex tenebris aquam vocent. Herodotus ſcribit Naſamones, qui diligentius Nili ortum ſunt ſcrutati, tradere ex ſtagno quodam oriri, perq. Aethiopiam ferri.] Sic ille. Habes Naſamonum ſententiam fuſius ab Herodoto deſcriptam loco citato.

Seneca Lib. 6. Natural. Quæſt. C. 8. Ego quidem Centuriones duos quos Nero Cæſar vt aliarum virtutum, ita veritatis inprimis amantiſſimus, ad inueſtigandum caput Nili miſerat, audiui narrantes, longum illos iter peregiſſe, cum à rege Aethiopiæ inſtructi auxilio, commendatique proximis Regibus, penetraſſent. Ad vlteriora quidem, aiebant, peruenimus, ad immenſas paludes, quarum exitum nec incolæ nouerant, nec ſperare quiſquam poteſt: ita implicitæ aquis herbæ ſunt, & aquæ nec pediti eluctabiles, nec nauigio, quod niſi paruum & vnius capax, limoſa & obſita palus non ferat. Ibi, inquiunt, vidimus duas petras, ex quibus ingens vis fluminis excidebat: ſiue caput illa, ſiue acceſſio eſt Nili, ſiue tunc naſcitur, ſiue in terras ex priore recepta curſu redit.] Hæc Seneca. Sed & de Neronis exploratoribus hæc Plinius Lib. 6. C. 29. Cetera, Aethiopiæ ſolitudines, nuper renuntiauere Neroni Principi miſſi ab eo milites Prætoriani cum Tribuno ad explorandum, inter reliqua bella & Aethiopicum cogitanti.] Sed de ortu Nili idem

NERO EXPLORAT ORTVM NILI.

Plinius Lib. 5. C. 9. Nilus incertis ortus fontibus, it per deſerta & ardentia, & immenſo longitudinis ſpatio ambulans, famaq. tantum inermi quæſitu cognitus ſine bellis, quæ ceteras omnes terras inuenere. Originem, vt

Iuba

Iuba Rex potuit exquirere, in monte inferioris Mauritaniæ, non procul Oceano habet, lacu protinus ſtagnante, quem vocant Nilidem. Ibi piſces reperiuntur alabatæ, coracini, ſiluri, crocodilus quoque: inde ob argumentum hoc Nili ortus creditus, Cæſaraæ in Iſio dicatus ab eo ſpectatur hodie. Præterea obſeruatum eſt, prout in Mauritania niues imbreſue ſatiauerint, ita Nilum increſcere. &c.]

Solinus Cap. 35. Nilus incerto pene fonte decurrens proditur, vt loquemur. Originem habet à monte inferioris Mauritaniæ, qui Oceano propinquat. Hoc affirmant Punici Libri, hoc Iubam Regem accepimus tradidiſſe. Igitur protinus lacum efficit, quem Nilidem dicunt. Nilum autem iam inde eſſe coniectant, quòd hoc ſtagnum herbas, piſces, beſtias, nihilominus procreet, quàm in Nilo videmus. Ac ſi quando Mauritania, vnde & origo eſt, aut niuibus denſioribus, aut imbribus largioribus irrigatur, inde incrementa exundationis in Aegypto augeantur.] Sic Solinus.

Pomponius Mela Lib. 3. C. 10. agens de Aethiopibus Heſperijs hæc ſcribit: In horum finibus fons eſt, quem Nili eſſe aliqua parte credibile eſt: Nachul ab incolis dicitur, & videri poteſt non alio nomine appellari, ſed à Barbaro ore corruptius. Alit & flumen & minora quidem, eiuſdem tamen generis animalia gignens. Alijs omnibus in Oceanum vergentibus, ſolus in mediam regionem ad Orientem abit, & quonam exeat, incertum eſt. Inde colligitur, Nilum hoc fonte conceptum, actumq. aliquandiu per inuia, & ideo ignotum, iterum ſe, vbi ad Eoa proceſſerit, oſtendere: ceterum ſpatio quod abſconditur, effici vt hic alio cedere, ille aliunde videatur exurgere.] Hæc Mela. Strabo quidem Lib. 17. Nilum ab inferioribus Aethiopiæ oriri autumat: Ptolemæus Lib. 4. C. 9. in Lunæ montibus oſtendi paludes quæ niues ſuſcipiant, vnde Nilus naſcitur. Iam Recentiores inducamus. ET RECENTIORES.

Compertiora quæ de ortu Nili auorum memoria, fideli multorum relatione, ſed cumprimis Franciſci Aluareſij Luſitani, & Petri Abaiſini Legatorum Imperatoris Abaſſinorum ad Clementem VII. Roman. Pontif. ſunt accepta, Iouius in 18. Hiſtoriarum Libro hiſce verbis reddidit: De ortu vero Nili longa percunctatione reperiebamus, in regno Gogiano, quod à Sceuano ad Antarcticum extenditur, eſſe immenſam altiſſimorum montium congeriem Caucaſo & Atlante, hiſq. noſtris Europæ Alpibus multo celſiorem. Iuga eius perpetuis obſeſſa niuibus, geluq: rigentia, nubibus ſe ſe inſerere, & cælum fulcire videntur. Harum immanium rupium media atq. infima denſiſſimis ſiluis procerrimarum arborum veſtiri conſtat. Quæ loca inacceſſa homini, luſtra cubiliaq. ſunt ferarum & belluarum omnis generis.] Et poſt alia ſubdit:

Ab his aſperrimis, immenſiſq. rupibus, quæ à Corographis Lunæ montes vocantur, frequenti & copioſa ſcaturigine Nili fontes erumpunt in loco vehementer abſtruſo, qui Beth, hoc eſt, deſertum Abyſſina lingua dicitur. Ex his fontibus innumerabiles amniculi per Gogiani regni ſpatia modo diſſipati, modo coeuntes in longe maximam toto orbe aquæ dulcis paludem effunduntur. Huic Siphe nomen eſt, ſpatioſiſq. littoribus tria attingit regna, eaq. affatim opima piſcatione fecundat & replet, Gogianum ſcilicet & Beghemedrum, quod eſt ab Ortu ſolis, & ab Occaſu Dambaium. In hac pa-

lude amplius viginti inſulæ numerantur incolis frequentes, & multis cultæ ædificijs, in quibus turrita Templa, & luculenta ſacratorum hominum cœnobia eminent. Multi enim religionis & tranquilli otij cauſa, ab humanarum rerum commercio, & veſtigijs profanæ multitudinis in eas Inſulas ſe ſubducunt. Vna præ ceteris maior atq. munitior à Rege pro carcere ſeruatur, in quam noxios & rebelles relegare conſueuit.] Hactenus Iouius.

Et Oſorius Lib. 9. de Rebus Emanuelis: A Lunæ montibus Nilus exoritur, qui inde varios lacus & inſulas efficiens, Aegyptum interfluit, vſq. eo dum per Alexandriam in noſtrum mare influat.]

Chorographi omnes ſummo conſeſu iam in regno Aethiopiæ Gogiano ingentem illam paludem eſſe deſcribunt, quam Zambren appellant, vnde ortus Nili proculdubio certus habetur. Id Ortelius, Ananias, & innumeri alij, & Tabulæ omnes Geographicæ profitentur.

Gentilis noſter Oliuarius in Notis ad Cap. 10. lib. 3. Melæ, eiuſdem Melæ ſententiæ nuper à nobis poſitæ aſſentitur, fontem Nili in finibus Occidentalium Aethiopum aperiens, hiſce verbis: Fons ille nunc palus nigra, & fluuius inde procedens Niger fluuius à Luſitanis dictus. Hunc eundem fontem nos in Charta noſtra Africana Nili fontem fecimus, ſecuti non modo Melam, ſed eos qui noſtro ſæculo regionem illam viderunt. Luſitani primi ex noſtris per fluuium Aſenagam, & fluuium Gambre vecti illuc venerunt, & cum ſciſcitarentur ex eis qui ad mercatum Hodeni venirent, de progreſſu fluuij, reſponderunt Arabes hunc eundem eſſe Nilum.] Hæc ille. Quibus alij, vti prædiximus, diuerſa produnt, & ſane certiora. Verum, de Nili ortu iam ſatis.

Nili decurſus. *Cap.* XXXII.

CVRSVM Nili Herodotus Lib. 2. & Diodorus Siculus Lib. 2. & Strabo Lib. 17. accurate deſcripſerunt: ſed nos ex Recentioribus qui & vetera reddunt, & noua addiderunt, illum exponemus. Seneca Lib. 4. Naturalium Quæſtionum Cap. 2. ſic orditur: Nilus magnas ſolitudines peruagatus, & in paludes diffuſus, gentibus ſparſus, circa Philas primum ex vago & errante colligitur. Phile inſula eſt aſpera & vndequaque prærupta: duobus in vnum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur & eius nomen ferunt. Vrbem totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis quàm violentus, egreſſus, Aethiopiam, arenaſque per quas iter ad commercia Indici maris eſt, prælabitur. Excipiunt autem Cataractæ, nobilis inſigni ſpectaculo locus. Ibi per arduas exciſaſque pluribus locis rupes Nilus inſurgit, & vires ſuas concitat. Frangitur enim occurrentibus ſaxis, & per anguſtias eluctatur: vbicumque vincit aut vincitur, fluctuat: & illic excitatis primum aquis, quas ſine tumultu leni alueo duxerat, violentus & torrens per malignos tranſitus proſilit diſſimilis ſibi. Quippe ad id lutoſus & turbidus fluit. At vbi in ſcopulos arctius intrauit, ſpumat: & illi non ex natura ſua, ſed ex iniuria loci color eſt. Tandem eluctatus obſtantia, in vaſtam

NILI CATARACTAE.

vaſtam altitudinem ſubito deſtitutus cadit cum ingenti circumiacentium regionum ſtrepitu. Quē perferre gens ibi à Perſis collocata non potuit, obtuſis aſſiduo fragore auribus, & ob hoc ſedibus ad quietiora tranſlatis. Inter miracula fluminis incredibilem incolarum audaciam accepi. Bini paruula nauigia conſcendunt; quorum alter nauem regit, alter exhaurit. Deinde multum inter rapidam inſaniam Nili, & reciprocos fluctus volutati, tandē tenuiſſimos canales tenent, per quos anguſta rupium effugiunt: & cum toto flumine effuſi, nauigium ruens manu temperant, magnoq. ſpectantium metu in caput miſſi, cum iam adploraueris, merſoſq. atq. obrutos tanta mole credideris, longe ab eo, in quem ceciderant, loco nauigant, tormenti modo miſſi. Nec mergit cadens vnda, ſe planis aquis tradit.

Primum incrementum Nili circa inſulam quam modo retuli, Philas, noſcitur. Exiguo ab hac ſpatio petra diuiditur, Abaton Græci vocant: nec illam vlli niſi antiſtites calcant: illa primum ſaxa auctum fluminis ſentiunt. Poſt magnum deinde ſpatium duo eminent ſcopuli, Nili venas vocant incolæ: ex quibus magna vis funditur, non tamen quanta operire poſſet Aegyptum. In hæc ora ſtipem Sacerdotes, & aurea dona Præfecti, cum ſolemne venit ſacrum, iaciunt. Hinc iam manifeſtus nouarum virium Nilus, alto ac profundo alueo fertur, ne in latitudinem excedat, obiectu montium preſſus. Circa Memphim demum liber, & per campeſtria vagus, in plura ſcinditur flumina, manuq. canalibus factis, vt ſit modus in deriuantium poteſtate, per totam diſcurrit Aegyptum. Initio diducitur, deinde continuatis aquis in faciem laci ac turbidi maris ſtagnat. Curſum illi violentiamque eripit latitudo regionum, in quas extenditur, dextra læuaq. totam complexus Aegyptum. Quantum creuit Nilus, tantum ſpei in annum eſt: nec computatio fallit agricolam: adeo ad menſuram fluminis reſpondet, quàm fertilem facit Nilus. Is arenoſo & ſitienti ſolo & aquam inducit & terram: nam cum turbulentus fluat, omnem in ſiccis atq. hiantibus locis fæcem relinquit: & quidquid pingue ſecum tulit, arentibus locis allinit: iuuatq. agros duabus ex cauſis, & quòd inundat, & quòd oblimat. Ita quidquid non adijt, ſterile ac ſqualidum iacet. Si creuit ſuper debitum, nocuit. Mira itaque natura fluminis, quòd cum ceteri amnes abluant terras & euiſcerent, Nilus tanto ceteris maior, adeo nihil exedit, nec abradit, vt contra adijciat vires, minimumq. in eo ſit quod ſolum temperet: illato enim limo arenas ſaturat ac inungit: debetq. illi Aegyptus non tantum fertilitatem terrarum, ſed ipſas. Illa facies pulcherrima eſt, cum iam ſe in agros Nilus ingeſſit. Latent campi, opertæq. ſunt valles, oppida inſularum modo extant. Nullum in mediterraneis niſi per nauigia commercium eſt. Maiorque eſt lætitia Gentibus, quo minus terrarum ſuarum vident. Sic quoque cum ſe ripis continet Nilus, per ſeptena oſtia in mare emittitur.] Hactenus Seneca.

NILI INVNDATIO CAVSA FERTILITATIS AEGYPTI.

Plinius Lib. 5. Cap. 9. poſtquam dixerat ex lacu Nilide Nilum primum caput attollere, ſubdit: Ex hoc lacu profuſus, indignatur fluere per arenoſa & ſqualentia: conditq. ſe aliquod dierum itinere. Mox alio lacu maiore, in Cæſarienſis Mauritaniæ gente Maſſæſylum erumpit, & hominum cœtus veluti circumſpicit, iiſdem animalium argumentis: iterum

arenis receptus, conditur rurſus viginti dierum deſertis ad proximos Aethiopas: atque vbi iterum ſenſerit hominem, poſilit fonte, vt veriſimile eſt, illo, quem Nigrin vocauere. Inde Africam ab Aethiopia diſpeſcens, etiamſi non protinus populis, feris tamen ac belluis frequens, ſiluarumque opifex, medios Aethiopas ſecat, cognominatus Aſtapus, quod illarum gentium lingua ſignificat aquam è tenebris profluentem. Inſulas ita innumeras ſpargit, quaſdamque tam vaſtæ magnitudinis, vt quamquam rapida celeritate, tamen dierum quinque curſu non breuiore tranſuolet: circa clariſſimam earum Meroen, Aſtabores læuo alueo dictus, hoc eſt, ramus aquæ venientis è tenebris: dextro vero Aſtuſapes, quod latentis ſignificationem adijcit: nec ante Nilus, quàm ſe totum aquis concordibus rurſus iunxit: ſic quoque etiam num Siris, vt ante, nominatus per aliquot millia, & in totum Homero Aegyptus, alijſque Triton: ſubinde inſulis impactus, totidem incitatus irritamentis, poſtremo incluſus montibus, nec alibi torrentior vectus aquis properantibus ad locum Aethiopum, qui Catadupi vocantur, nouiſſimo cataracte inter occurſantes ſcopulos non fluere immenſo fragore creditur, ſed ruere. Poſtea lenis & confractis aquis, domitaque violentia, aliquid & ſpatio feſſus, multis quamuis faucibus in Aegyptium mare ſe euomit.] Hactenus Plinius: habet eadem totidem ferme verbis Solinus Cap. 35.

NILI BRACHIA.

Mela Lib. 1. Cap. 9. Nilus ex deſertis Africæ miſſus, nec ſtatim nauigari facilis, nec ſtatim Nilus eſt: & cum diu ſimplex ſæuuſq; deſcendit, circa Meroen late patentem inſulam, in Aethiopiam diffunditur: alteraque ex parte Aſtaboras, altera Aſtapus dictus eſt: vbi rurſum coit, ibi nomen hoc capit. Inde partim aſper, partim nauigia patiens, in immanem lacum deuenit: ex quo præcipiti impetu egreſſus, & Thachempſo alteram inſulam amplexus, vſque ad Elephantidem Aegyptiam vrbem atrox adhuc, feruenſque decurrit. Tum demũ placidior, & iam pene nauigabilis, primum iuxta Cercaſorum oppidũ triplex eſſe incipit. Deinde ſemel iterumq. diuiſus, ac Delta, & ad Metilin it per omnem Aegyptum vagus atque diſperſus, ſeptemque in ora ſe ſcindens, ſingulis tamen grandis euoluitur.] Hæc Mela.

Sed iam Recentiores Auctores audiamus: Iouius Lib. 8. Hiſtoriarum, ortum Nili ex magna illa palude in regno Gogiano deſcribens, vt ſuperiori vidimus Capite, hæc ſubijcit: Ex hac tanta palude Nilus primo lenis, mox rapidus, & præceps ſeſe effundit: varijſq. meandris & gyris Nigritarũ fines lambens, Gogianum regnum, & mox Amaranum inſolenti curſu proſcindit: nec vſquam ripis cohibetur, donec ad Cataractas, quæ ſunt antiquis Catadupæ, arctis rupium anguſtijs ſtrangulatus ac iratus erumpat. Inde latiore laxatus exceptuſq. alueo, lenior fit atq. diffuſior: & per magnos flexus, vadoſoſq. ſinus nauigiorum impatiens, ad Meroem inſulam defertur. Hæc Britannia maior eſt; treſq. in ea Reges diſtincti finibus dominãtur: ſæpe interſe bellum gerentibus. Eorum, potentia maximus Mahometanus eſt, & Maurorum ſtirpis. Secundus Aethiopici ſanguinis genus, idolorum cultum, moribus, & colore fatetur. Vltimus Abiſſinorum gentis eſt, Chriſtianæ Religionis cultor, qui Dauidi paret.] Et poſt alia ſubdit idem Iouius:

MEROE INSVLA.

In Meroe, quæ incolarum lingua Naulababe, ideſt, optimorum portuum,

parens

parens vocatur, præſto ſunt magnorum lintrium claſſes, quæ peregrinos & aduenas à terreſtri itinere diſcedētes, Memphim & Alexandriam ſecundo amne deuehunt. A Meroe quindecim fere dierum nauigatione deſcendentibus occurrit vrbs Siene obeliſcorum lapidicinis clara, Poetarum carminibus celebrata, qui in ea Solares radios ad perpendiculū incidentes, in neutrā partem vmbras flectere tradunt. Hæc eſt initium Aegypti regni, vocaturq. hodie [a] Guaghera. 'A Siene demum Nilus tutiſſime nauigatur; & vtramq. ripam Aegyptij & Arabes incolunt, qui prærernauigantibus varij commeatus copias præbent. Nilus ipſe ab his Gentibus Abbahuis, ideſt, amnium pater appellatur. Nam poſt longum & tortuoſum curſum, in multa cornua totam aquarum molem diffundit; quæ Memphim & Alexandriam perducunt, & Canopico ac Peluſiaco oſtijs continentur.] Hactenus Iouius ex Abiſſinorum relatione. Sed de Nili Cataractis Cicero in Somnio Scipionis cum agit de ſono cælorum, ait: Hoc ſonitu oppletæ aures obduruerunt: nec vllus hebetior ſenſus in vobis ſicut in illis, vbi Nilus ad illa quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altiſſimis montibus: ea gens quæ illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret.]

[a] Chinam dici Marius Niger ait: at Ioannes Leo, Zieglerus, & Ortelius Aſnam potius nūc appellari docēt

De Nili auctu. Cap. XXXIII.

INcrementum Nili, quo ſingulis annis, ſtato tempore, ingenti aquarum agmine alueo egreſſus, terris ſuperfunditur, ac eas multo limo obrutas fecundat, plurimi & magni Auctores deſcripſere. Herodotus quidem Lib. 2. & Diodorus Siculus Lib. 1. multa de his tra didere: ſed nos Recentiores ſua, & priſca dicentes inducamus. Plinius Lib. 5. Cap. 9. Nilus certis tamen diebus auctu magno per totam ſpatiatus Aegyptum fecundus innatat terræ.] & poſt alia: Incipit creſcere luna noua, quæcumque poſt Solſtitium eſt: ſenſim, modiceque Cancrum Sole tranſgreſſo; abundantiſſime autem Leonem. Et reſidit in Virgine, iiſdem quibus accreuit modis: in totum autem reuocatur intra ripas in Libra, vt tradit Herodotus, centeſimo die. Cum creſcit, Reges aut Præfectos nauigare eo nefas iudicatum eſt: Auctus eius per puteos, menſuræ notis deprehenduntur. Iuſtum incrementum eſt cubitorum XVI. Minores aquæ non omnia rigant: ampliores detinent, tardius recedendo. Hæ ſerendi tempora abſumunt ſolo madente: illæ non dant ſitiente. Vtrumque reputat Prouincia. In duodecim cubitis famen ſentit, in tredecim etiamnum eſurit: quatordecim cubita hilaritatē afferunt: quindecim ſecuritatem: ſexdecim delitias. Maximum incrementum ad hoc æui fuit cubitorum decem & octo, Claudio principe: minimum quinque Pharſalico bello, veluti necem Magni prodigio quodam flumine auerſante. Cum ſtetere aquæ, apertis molibus emittuntur, vt quæque liberata eſt terra, ſeritur. Idem amnis vnus omnium nullas expirat auras.] Hæc Plinius, qui eadem ferme repetit Lib. 18. Cap. 18. At quod ait Nilum nullas expirare auras, tradiderunt hoc ipſum Herodotus Lib. 2. Strabo Lib. 17. Solinus Cap. 35. & alij.

PRO MODO AVCTVS NILI INFERRI VBERTATEM AEGYPTO.

Solinus vero Plinio in omnibus accinens, hæc refert: Primam exultantiam tumoris concipi, cum per Cancrum Sol vehatur: poſtmodum triginta eius partibus euolutis, vbi ingreſſus Leonem, ortus Syrios excitauerit, propulſo omni fluore tantam vim amnis erumpere. Quod tempus Sacerdotes natalem mundi indicarunt, ideſt, in tertiumdecimum Kalendas Auguſtas, & vndecimum diē. Deinde reuocari exitus vniuerſos, cum in Virginē tranſeat, penitusq intra ſuas ripas capere, cum Libram ſit ingreſſus. Hoc etiam addunt, pariter eum nocere, ſi abundantius exæſtuet, ſiue parcius; quandoquidem exiguitas minimum fecunditatis apperret, propenſior copia diuturno humore culturam moretur. Maximos eius exitus cubitos duodeuiginti conſurgere, iuſtiſſimos ſedecim temperari; nec in quindecim abeſſe prouentus fructuarios: ſed quidquid intra ſit, famen facere. Dant illi etiā hoc maieſtatis, vt portendat futura, argumentantes, quandoquidem Pharſalico bello non fuerit egreſſus quinque vlnas. Iam illud palam eſt, quòd ſolus ex amnibus vniuerſis nullas expiret auras.] Tantum Solinus.

Verum à Plinio & Solino diſſentit Strabo in cubitorum numero, niſi mendum inſit: ſic enim ait: Ante Petronij tempora maxima fuit abundantia, & aquarum augmentum: quo tempore ad cubitos quatuordecim Nilus aſcendit. Cum vero ad octo, fames obuenit. In illius Præfectura cum Nilus duodecim dumtaxat cubitorum menſuram impleſſet, ingens corruptio extitit: cumque octo tantum expleſſet, nullus famen ſenſit.] Hæc Strabo.

QVOT CVBITOS NILVS CRESCAT.

Mela Lib. 1. Cap. 9. Non pererrat autem Nilus tantum Aegyptum, ſed æſtiuo ſidere exundans, etiam irrigat: adeo efficacibus aquis ad generandum alendumque, vt præter id, quòd ſcatet piſcibus, quòd hippopotamos, crocodillosque vaſtas belluas gignit, glebis etiam infundat animas, ex ipſaque humo vitalia effingat. Hoc eo manifeſtum eſt, quòd vbi ſedauit diluuia, ac ſe ſibi reddidit, per humentes campos quædam nondum perfecta animalia, ſed tum primum accipientia ſpiritum, & ex parte iam formata, ex parte adhuc terrea viſuntur.] Hæc Mela.

De quibus etiam Plinius Lib. 9. C. 58. ſic refert: Verum omnibus his fidem Nili inundatio affert, omnia excedentem miracula: quippe detegente ea, muſculi reperiuntur inchoato opere genitalis aquæ, terræq. iam parte corporis viuentes, nouiſſima effigie etiamnum terrena.]

Seneca Quæſtion. Naturalium Lib. 4. C. 2. Nilum aliquando marinam aquam detuliſſe, Theophraſtus eſt auctor: biennio continuo, regnante Cleopatra, non aſcendiſſe decimo regni anno & vndecimo conſtat. Significatam aiunt duobus rerum potientibus defectionem: Antonij enim Cleopatræq. defecit Imperium. Per nouem annos non aſcendiſſe Nilum ſuperioribus ſæculis, Callimachus eſt auctor.]

Peruagatum nimis eſt, Gentiles olim inter alia publicæ calamitatis mala cenſuiſſe ſi Nilus non excreſceret, pariter vt ſi Tiberis inundaret: quocirca cum Chriſtiani initijs naſcentis Eccleſiæ tamquam dijs & hominibus inuiſi, ad pœnas peterentur; ille potiſſimum prætextus obtendebatur, quòd ob eorum impietatē numinibus iratis, Nilus non aſcenderet, & Tiberis terras deuaſtaret. Hinc illæ Tertulliani voces Apologet. C. 40. Si Nilus

non

non aſcendit in arua, ſi Tiberis aſcendit in mænia, ſtatim clamant, Chriſtianos ad Leonem.] quaſi illis proiectis ad beſtias, fieret publicarum ærumnarum expiatio, mactatis malorum auctoribus.

Oſtia Nili, per quæ in mare ſe euomit, Auctorum omnium fide, ſeptem celebrantur. Vnde illud Maronis, OSTIA NILI.

Et ſeptemgemini turbant trepida oſtia Nili.

Et alibi:

...ſeptemplicis oſtia Nili.

Plinius Lib.5. Cap.10. Nili oſtia vndecim reperiuntur, ſed celeberrimis ſeptem, proximo Alexandriæ Canopico, deinde Bolbitino, Sebenniticо, Phatnitico, Mendeſico, Tanitico, vltimoq. Peluſiaco.] Vide Strabonē Lib.17. & Ammianum Lib.22. Vuilhelmus Tyrius Lib.19. Belli ſacri, Cap. 33. ſtudioſe ſibi inueſtiganti, non niſi quatuor oſtia comperta prodit. Sed dicemus poſtea fluuiorum oſtia ſæpe mutata, vel occluſa. Pleniora de Nili oſtijs habet Ortelius in Synonymia.

Cauſæ incrementi Nili. *Cap. XXXIV.*

SENECA Lib.4. Quæſtionum Naturalium, Cap.2. ea de re tanta diſputationem exorſus, ita præfatur: At Nilus ante ortũ Caniculæ augetur medijs æſtibus, vltra Aequinoctiũ. Hunc nobiliſſimum amnem natura extulit ante humani generis oculos, & ita diſpoſuit, vt eo tempore inundaret Aegyptum, quo maxime uſta feruoribus terra, vndam altius traheret, tantum hauſura quantum ſiccitati annuæ ſufficere poſſit. Nam in ea parte, qua in Aethiopiam vergit, aut nulli imbres ſunt, aut rari, & qui inſuetam aquis cæleſtibus terram non adijuuent. Vnã, vt ſcis, Aegyptus in hoc ſpem ſuã habet. Proinde ſterilis annus, aut fertilis eſt, prout ille magnus influxit, aut parcior. Nemo aratorum aſpicit cælum.] Hæc ille.

Iouius Lib.18. Hiſtoriarum, iſta opportune: Ceterum de Nili incremētis ad ſubtilium ſtudiorum oſtentationem differere, & proferre cauſas audere, plane ambitioſum eſſe putauerim, quando hæc illuſtrium Græcorum, pariter & noſtrorum ingenia inani, vt arbitror, labore iam pridem exercuerint. Quis enim vel naturæ, vel cæli, vel terrarum Opificis arcana iure quodam curioſis mortalibus abſcondita rimatus eſt? Quis ingentes illas in ipſis terrarum viſceribus cauernas, vel maxime vaſti ingenij luminibus introſpexit? quæ cuncta maria per tantum æui ſpatium, tot incurſu fluminum nuſquam creſcentia, perpetuo, hauriunt & abſorbent? Quis deniq. ſubterraneorum anfractuum menſuras certa ratione deprehendit? quibus repletis vniuerſa exuberantis aquæ moles in apertum cælum, per gibboſa montium euomatur, & ea quidam optima naturæ fide, quantum acceperit, irrequieta diſpenſatione rependentis. Imbecillitatis noſtræ profecto non meminimus, cum hæc ſuperba ingeniorum vanitate perſcrutamur. Vnde iam hoc totum rerum ſciētiæ nomen, tot vigilijs & ſumptibus partum profiteri diſpudeat, poſtquam adeo pauca ſcire, & de ſingulis ambigere diſputando cõfitemur.] Hæc ille. CAVSAE AVCTVS NILI OCCVLTAE.

Sed & S. Irenæus Lib.2. aduerſ. Hæreſ. Cap.47. pulchre: Quid enim ſi tentemus exponere cauſam aſcenſionis Nili? Multa quidem dicimus, & ſor-

& fortaſſis ſuaſoria, fortaſſis autem non ſuaſoria: quod autem verum eſt, & certum, & firmum, adiacet Deo.] Sic ille.

Cauſas incrementi Nili perſcrutati ſunt Herodotus Lib. 2. Diodorus Siculus Lib. 1. Strabo Lib. 17. Philo Lib. 1. de Vita Moſis, Lucanus Lib. 10. Pharſaliæ, Seneca Natural. Quæſt. Lib. 4. Cap. 2. Plinius Lib. 5. Cap. 9. Solinus Cap. 35. Mela Lib. 1. Cap. 9. Plutarchus de Placitis Philoſophorum Lib. 4. Cap. 1. Ammianus Marcellinus Lib. 22. ex Recentioribus innumeri. Sed ceteris curioſius de his agentem eruditiſſimum Senecam audire iuuat: Lector, ſi libuerit, alios tu inſpice. Ait ergo: Sed nunc ad inſpiciendas cauſas,

PLVRES REFERT SENECA.

propter quas æſtate Nilus creſcat, accedam, & ab antiquiſſimis incipiam. Anaxagoras ait, ex Aethiopiæ iugis ſolutas niues ad Nilum vſq. decurrere. In eadem opinione omnis vetuſtas fuit. Hoc Aeſchylus, Sophocles, Euripides trãdebant. Sed falſum eſſe, argumentis plurimis patet. Primo Aethiopiam feruentiſſimam eſſe, indicat hominum aduſtus color, & Troglodytæ, quibus ſubterraneæ domus ſunt. Saxa velut igni ferueſcunt, non tantum medio, ſed inclinato quoq. die: ardens puluis, nec humani veſtigij patiens: argentum replumbatur: ſignorum coagmenta ſoluuntur: nullum materiæ ſuper adornatæ manet operimentum. Auſter quoq. qui ex illo tractu venit, ventus calidiſſimus eſt. Nullum ex his animalibus quæ latent bruma, vmquã reconditur: etiam per hiemem in ſummo & aperto ſerpens eſt. Alexandriæ quoq. quæ longe ab huiuſmodi immodicis caloribus eſt poſita, niues nõ cadunt: ſuperiora etiam pluuia carent. Quemadmodum ergo regio tantis ſubiecta feruoribus duraturas per totam æſtatem niues recipit? Quas ſane aliqui montes illic quoq. excipiant, nũquam tamen magis quã Thraciæ iuga aut Caucaſus. Atqui horum montium flumina vere & prima æſtate intumeſcunt, deinde hibernis minora ſunt. Quippe vernis temporibus imbres niuem diluunt: reliquias eius primus calor diſſipat. Nec Rhenus, nec Rhodanus, nec Iſter, nec Cayſtrus ſubiacent malo æſtate. Altiſſimæ ſunt & in illis Septentrionalibus iugis niues. Phaſis quoque per id tempus eas oras tenens creſceret, ſi niues flumina poſſent contra æſtatem magna producere. Præterea ſi hæc cauſa attolleret Nilum, æſtate prima pleniſſimus flueret. Tunc enim maximæ & integræ niues, ex molliſſimoq. tabes eſt. Nilus autem per menſes quatuor liquitur, & illi æqualis acceſſio eſt.

Si Thaleti credis, Eteſiæ deſcendenti Nilo reſiſtunt, & curſus eius, acto contra oſtia mari, ſuſtinent: ita reuerberatus in ſe recurrit, non creſcit, ſed exitu prohibitus reſiſtit, & quacumque mox potuit, inconceſſus erumpit. Euthymenes Maſſilienſis teſtimonium dicit: Nauigaui, inquit, Atlanticum mare: inde Nilus fluit maior, quamdiu Eteſiæ tempus obſeruant: tunc enim eijcitur mare inſtantibus ventis. Cum reſederint, & pelagus conquieſcit: minorque diſcedenti inde vis Nilo eſt. Ceterum dulcis maris ſapor eſt, & ſimiles Niloticis belluæ. Quare ergo ſi Nilum Eteſiæ prouocant, & ante illos incipit incrementum eius, & poſt eos durat? Præterea non fit maior quo illi flauere vehementius? Nec remittitur incitaturque prout illis impetus fuit: quod fieret, ſi illorum viribus creſceret. Quid quòd Eteſiæ littus Aegypti verberant, & contra illos Nilus deſcendit, inde venturus vnde illi, ſi origo ab illis eſſet. Præterea ex mari purus ac ceruleus efflueret, non

vt nunc

vt nunc turbidus venit. Adde quòd teſtimonium eius, teſtium turba coarguitur. Tunc erat mẽdacio locus,cum ignota eſſent externa littora. Libebat illis fabulas mittere. Nunc vero tota exteri maris ora mercatorum nauibus ſtringitur:quorum nemo narrat nunc ceruleum Nilum,aut mare ſaporis alterius: quod & natura credi vetat;quia dulciſſimum quodq. & leuiſſimum ſol trahit. Præterea quare hieme non creſcit: & tunc poteſt ventis concitari mare, aliquando quidem maioribus. Nam Eteſiæ temperati ſunt. Quod ſi e mari ferretur Atlantico,ſemel oppleret Aegyptũ:at nunc per gradus creſcit.

Oenipodes Chius ait, hieme calorem ſub terris contineri: ideo & ſpecus calidos eſſe,& tepidiorem puteis aquã:itaq. venas interno calore ſiccari. Sed in alijs terris augẽtur imbribus flumina; Nilum,quia nullo imbre adiuuetur, tenuari, deinde creſcere per æſtatem:quo tempore frigent interiora terrarũ, & redit rigor fontibus. Quod ſic verum eſſet,æſtate flumina creſcerent, omneſq. putei æſtate abundarent. Deinde non calorem hieme ſub terris eſſe maiorem;aqua,& ſpecus,& putei tepent,quia aera rigentem extrinſecus non recipiũt.Ita non calorem habent,ſed frigus excludunt. Ex eadem cauſa æſtate frigeſcunt,quia illò remotus ſeductuſq. aer calefactus non peruenit.

Diogenes Apolloniates ait:Sol humorem ad ſe rapit;hunc exiccata tellus tum ex mari ducit,tum ex ceteris aquis. Fieri autem non poteſt,vt vna ſicca ſit tellus,alia humeat.Sunt enim perforata omnia,& inuicem peruia.Sicca ab humidis ſumunt aliquãdo:niſi aliquid terra acciperet,exaruiſſet.Ergo vndas Sol trahit:ſed ex his quę premunt,maxime hęc meridiana ſunt. Terra cũ exaruit,plus ad ſe humoris adducit: vt in lucernis oleũ illò fluit,vbi exuritur: ſic aqua illò incumbit,quò vis caloris & terræ æſtuantis arceſſit.Vnde ergo trahitur?ex illis ſcilicet partibus ſemper hibernis Septẽtrionalibus vnde exũdar. Ob hoc Pontus in inferum mare aſſidue fluit rapidus,non vt cetera maria alternatis vltro citroque æſtibus, in vnam partem ſemper pronus & torrens. Quod niſi faceret, hiſq. itineribus, quod cuiq. deeſt,redderetur:quod cuique ſupereſt,emitteretur; iam aut ſiccata eſſent omnia,aut inundata. Interrogare Diogenem libet, quare cum Pontus & amnes cuncti inuicem commeent, non omnibus locis æſtate maiora ſunt flumina? Aegyptum Sol magis percoquit; itaque Nilus magis creſcit. Sed in ceteris quoq. terris aliqua fluminibus fiat adiectio. Deinde quare vlla pars terræ ſine humore eſt, cum omnis ad ſe ex alijs regionibus trahit:eoque magis, quo calidior eſt. Deinde quare Nilus dulcis eſt,ſi illi è mari vnda eſt? Nec enim vlli flumini dulcior guſtus.] Hactenus Seneca acute philoſophatus. Toſtatus in 2.Geneſ.Quæſt.17.refert Ariſtotelem in Libello de inundatione Nili, quem ait inter parua naturalia eiuſdem Auctoris haberi, dixiſſe, in alueo Nili eſſe plures fontes latentes, qui hieme clauſi ſunt, in æſtate autem aperiantur, & faciant intumeſcere Nilum. Plutarchus Lib.4. de Placitis Philoſophorum Cap. 1. ad hunc modum diſſerit: Thales Eteſias arbitratur Aegypto aduerſus flantes, Nilum inflare oſtijs eius impetu obijcientis ſe pelagi oppilatis. Maſſilienſis Euthymenes ex Oceano & exteriore mari ſuapte natura intumere opinatur amnẽ Nilum. Ex niuibus Anaxagoras Aethiopicis, quæ liqueſcunt æſtate, & bruma ex frigore cohærent. Democritus niue in plagis Borealibus ſub Solſtitium æſtiuũ ſoluta diffuſaq. cogi ex eius anhelitu nubila. Quibus ad Meridiẽ

IN ALVEO NILI FONTES.

& Aegy-

& Aegyptum ſummotis,procelloſos imbres ab Eteſijs cieri: ijſq. redundare paludes & amnem Nilum. Herodotus hiſtoricus parem quidem eum à fontibus vehere vndam, verum apparere hieme tenuiorem: quòd ea tempeſtate viciniore Sol ad Aegyptum appulſu latices eius exhauriat. Ephorus hiſtoriographus æſtate tradit Aegyptum totam reſolui, & vim vndarum quaſi exudare. Accommodat autem ei Arabia quoq. & Africa ob ſolum earum ſpongioſum, & ſabuloſum. Eudoxus Sacerdotes memorat aſſignare huius cauſam aquis pluuijs,articulorumq. anni diuerſæ viciſſitudini, ideſt,antiperiſtaſi,quando nobis æſtas eſt,qui ſub Solſtitio æſtiuo incolimus,tum illis,qui ſub Solſtitio brumali nobis ex aduerſo colunt, hiems eſt, propterea vndæ inflatæ torrenti curſu deferantur.] Hucuſq. Plutarchus.

Plinius,Pompeius, Solinus,illam inter probabiles adijciunt cauſam, quòd per ea tempora flantes Eteſiæ actas à Septentrione in Meridiem nubes ſuper principia Nili in Aethiopia imbre præcipitant;tantumq. inundare quantum aquæ deciderit. Recentiores ferme omnes cauſam eiuſmodi ſatis conſtanter afferunt, quòd in Solſtitio æſtiuo cum Sol Tropicum Cancri attingit apud nos;in altero Capricorni Tropico ſit hiems, imbreſq. ac niues magna copia ruant, quæ ingentem illam paludem Zambrem, vbi Nilus oritur, impleant: inde Nilum intumeſcere; & vt fuerint magni vel parui hiberni imbres; plus, minuſue Nilum exundare. Simile incrementum, nec abſimiles eius cauſas maximi fluminis Paraguaij, quod noſtri Argenteum vocant, in America, à peritis rerum obſeruatas nouimus. Conſule Ioſephum Acoſtam Indicæ Hiſtoriæ Lib.2. Cap.4.

VERIOR RECIPITVR. Nec ab his multum abludit Eudoxi ratio, quam ſe à Sacerdotibus Aegyptijs accepiſſe ait, vt nuper ex Plutarcho vidimus, nec Mela Lib.1. Cap.9. cum inquit: Siue quòd Sol hieme, *noſtro*, terris, *vbi Nilus exoritur*, propior,& ob id fontem eius minuens, in æſtate,*noſtra, cum in Aethiopia hiems*, tunc altius abit, ſinitq. integrum, vt eſt pleniſſimus, ſurgere.] Et poſt pauca: Quod ſi eſt alter orbis,ſuntque oppoſiti nobis à Meridie Antichthones, ne illud quidem à vero nimium abſceſſerit, in illis terris ortum amnem, vbi ſubter maria cæco alueo penetrauerit, in noſtris rurſum emergere; & hac re Solſtitio accreſcere, quòd tum hiems ſit, vnde oritur.] Hæc ipſe. In quibus illud tantum excipio de cæco meatu Nili ſubter maria, de quo tamen poſtea: nam reliqua ſunt veriſſima. Quibus mirifice accinuit Theodoretus de Materia & mundo, Sermone 4. Nilum aiunt non eodem tempore quo ceteri ſolent fluuij, extra alueum inundare: ſed media æſtate aquis exuberantibus Aegyptum perſundere, Sole tunc ad Borealem Circulum accedente, ac ceteris quidem fluuijs radijs ardentioribus incubante;ab ipſo autem Nilo magnis ſane ſpatijs abſcendente.] Tantum ille. Quam cauſam ſolam laudat Herodotus Lib.2. pluribus eam ediſſerens.

Bernardus Breidembachius in Peregrinatione Ieroſolymitana,ait,Dei diſpoſitione fieri vt cumulis arenarum obſtruſis oſtijs Nili, retroactus intumeat, Aegyptumque perfundat: mox diſiectis arenis liberum relabi. Id iam Mela prædixerat hiſce verbis: Aut arenis, quas cum fluctibus littori applicant Eteſiæ,oſtia obducunt,fitque maior.] Reſſellit iſtam ſententiam Toſtatus in 2. Geneſ. Quæſt. 18. Verum qui de Nilo, eiuſq. ortu, auctuq. pernoſcere

ſcere cupit vberiora, adeat Ioannem Leonem in Deſcriptione Africæ, Ludouicum Nugarolam in Dialogo de Nilo, Ioannem Goropium Becanum in Niloſcopio: & his antiquiorem Toſtatum in 2. Geneſ. Quæſt. 16. 17. & 18. & Cap. 26. Quæſt. 2.

Peculiaria quædam de Nilo. Cap. XXXV.

SYNONYMA NILI.

DE Nilo hæc annotat Ortelius in Synonymia: Nilus antea Aegyptus, Oceanus, Siris, Triton, Aſtapus, Aſtaboras, dictus fuit, Plinio auctore. Item Aetus, ideſt, Aquila, Diodoro & Lycophroni. A Vitruuio vocatur Dyris, vbi ex Atlante oritur: deinde Nigis: Melam nonnullis dici, ſcribit Euſtathius, & Plutarchus de Fluminibus: Melo habet Feſtus. Chryſorrhoas, quaſi aurifluus à Cedreno & Epiphanio appellatur. Plinius non antea Nilum dici, quàm ſe totum aquis concordibus iunxerit, inquit: idem Vitruuius: Heliodorus quoq. idem velle videtur Lib. 10. Hiſtoriæ ſuæ Aethiopicæ: vbi Meroën eius inſulam depingit.] Hæc ille. Ioannes Barrius, & Laurentius Ananias docent Nilum olim ab Aethiopibus vocitatum Tacuin, nunc vero ab Abyſſinis, dici Abbahuis; ideſt, Pater fluminum: id quod Iouius etiam teſtatur. Aluareſius tamen ab Abyſſinis appellari Geon, auctor eſt. Andreas Theuetus ait, Aethiopibus nuncupari Geon, Iudæis Sichor, Arabibus Aloadexton, Georgianis Mahara, alijs Bahar-ennil. Vide Ortelium in Teathro in Tabula Aegypti.

FECVNDITAS NILI.

II. Aquam Nili incredibilem fecunditatem mulieribus Aegyptijs indere, Plinius Lib. 7. C. 3. cum de prodigioſis partubus diſſerit, ita refert: Tergeminos naſci certum eſt, Horatiorum, Curiatiorumq. exemplo: ſuprà, inter oſtenta ducitur, præterquam in Aegypto, vbi fœtifer potu Nilus. In Aegypto ſeptenos vno vtero ſimul gigni, auctor eſt Trogus.] Hæc ipſe. Ariſtoteles vero Lib. 7. de Animal. Hiſt. Cap. 4. ad quinos tantum partus Aegyptiarum extendit, ſic dicens: Pariunt enim in Aegypto & tres & quatuor: idq. locis nonnullis ſæpe fit: ſed cum plurimum, quinq. naſcuntur: iam enim hoc pluribus eueniſſe conſpectum eſt: & quædam quatuor partubus viginti edidit, quinos ſingulis partubus enixa.] Hæc ille.

III. Aegyptij quòd Nilus abundantiſſime terris perfunderetur Sole obtinente Leonem, vnde illis anni vbertas, ſignum gratitudinis erga Leonem cæleſtem, ad fontium & aquarum omnium principia caput Leonis affingebant: vnde ortum morẽ per orbem Leonina capita in fontibus aquã vomentia conformandi, ſcribit Pierius Valerianus Lib. 1. Hieroglyphicorum: quin & Nili incrementum Aegyptios Leonis Hieroglyphico deuotaſſe, idẽ refert.

IV. Sinum Arabicum foſſa cum Nilo iungere, Reges tentaſſe, Plinius ita ſcribit Lib. 6. C. 29. Ex Daneo portu maris Rubri, nauigabilẽ alueũ perducere in Nilũ, qua parte ad Delta dictũ decurrit ſexaginta millia paſſuũ interuallo, (quod inter flumẽ & Rubrũ mare intereſt,) primus omniũ Seſoſtris Aegypti rex cogitauit: mox Darius Perſarũ: deinde Ptolemæus ſequẽs: qui & duxit foſſam latitudine pedum centum, altitudine triginta, in longitudinem triginta

ſeptem millia quingentorum paſſuum vſque ad fontes amaros. Vltra deterruit inundationis metus, excelſiore tribus cubitis Rubro mari comperto, quàm terra Aegypti. Aliqui non eam afferunt cauſam, ſed, ne immiſſo mari corrumperetur aqua Nili, quæ ſola potus præbet.] Sic Plinius.

[illegible] RVM MARE RVBRVM AEGYPTO ALTIVS.

Nos priorem illam cauſam probare viſi ſumus in Antichriſto Lib. 5. Cap. 7. ſecuti quoq. S. Baſilium Homilia 4. in Hexaemeron, S. Ambroſium Lib. 3. in Hexaemeron Cap. 2. Procopium in 1. Geneſ. S. Thomam 1. Parte Quæſt. 69. Art. 1. ad 2. qui Rubrum mare, Aegypti terra altius tradunt. At Strabo negat, qui Lib. 17. ait: Foſſa primum à Seſoſtri inciſa eſt ante res Troianas: nonnulli eam à Pſammetico puero, morte intercipiente, ſolum inchoatam putant. Poſtea à Dario primo eius rei ſucceſſore, falſa opinione perſuaſo, pene perfectum opus derelictum eſſe: perſuaſus eſt enim Rubrũ mare Aegyptio ſublimius; vnde ſi intermedius iſthmus incideretur, Aegyptum à mari obrutum iri. Ptolemaici quidem Reges eum incidentes euripum, clauſum fecerunt, vt cum vellent, in exterius mare nauigarent: ac rurſum ſine periculo reuerterentur. Foſſa latitudinem habet cubitorum centum: profundum quantum nauigio ſatis ſit decem millia ferenti.] Hæc Strabo.

Euripum hauddubie clauſum Cleopatra ab Auguſto victa, recludere parabat, cum de ea Plutarchus in Antonio hæc prodit: Delatus Antonius Alexandriam ex Lybia, offendit Cleopatram opus magnum & inopinatum aggreſſam. Inter Rubrum enim & Aegyptium mare, quà maxime vtrimque premitur, arctiorque eſt tellus, trecentorum ferme ſtadiorum latitudo eſt: videturque Aſiæ, Libyæque eſſe terminus. Per hunc locum Cleopatra trasferre claſſem inſtituit, *nimirum reſerata foſſa*, in Arabicum Sinum: & cum auro, argento, & magna ſuorum manũ in ignotas ſedes commigrare: fugiens bellum ac ſeruitutem.] Ita Plutarchus.

Herodotus Lib. 2. ait: Nechos, *ſeu Nechao Rex Aegypti, qui Ioſiam pium regẽ interfecit,* foſſam ad Rubrum mare ferentem primus aggreſſus eſt: in qua centum viginti millia Aegyptiorum perierunt.]

ALBVCHERCIVS CONATVS AVERTERE NILVM.

Clariſſimum Imperatorem Alfonſum Albuchercium opera Abiſſinorum conatum foſſa auertere Nilum in Arabicum Sinum, vt fame ſitiq. extingueret Aegyptum, Turcarum regno parentem, diximus in Antichriſto Lib. 2. Cap. 5. Hinc Laurentius Ananias in Tractu 3. Fabricæ Mundi auctor eſt, Turcarum Sultanum Abyſſinis peregrinis religionis ergo in Terram Sanctam venientibus leuiora imperare tributa, quàm Chriſtianis alijs, quòd illi facili & breuiori alueo poſſint in Rubrum mare Nilum deriuare, ne in Aegyptum deſcendat.

VI. Arenã è Nilo olim palæſtris in pretio habitã Plinius Lib. 35. Cap. 13. hiſce verbis ait: Non multum à puluere Puteolano diſtat è Nilo arena tenuiſſima ſui parte, non ad ſuſtinenda maria, fluctuſq. frangendos, ſed ad debellanda corpora palæſtræ ſtudijs. Inde certe Patrobio Neronis Principis liberto aduehebatur. Quin & Leonato & Cratero ac Meleagro Alexandri Magni ducibus ſabulum hoc portari cum reliquis militaribus commercijs reperio.]

De

De arena Nilotica, Neroni ex Aegypto pro luctatoribus aulicis apportari ſolita meminit quoq. Suetonius.

VII. Alexander Dierum Genialium Lib.4.C.17.ex vetuſtis Auctoribus hæc profert: Aegyptij tanti Nili aquam fecere, vt cum hydria ad templum humeris ferebatur, omnes procumberent, & ſublatis manibus dijs gratias agerent. Feruntque Babylonios reges ex Nilo & Iſtro aquas inter gazas condere conſueuiſſe, velut hoc argumentum ſuæ magnitudinis oſtenderent, cum per tot ſpatia terrarum, totque inuias regiones aduectæ fuerint.]

VIII. Illam Aegypti inferiorem partem inter Peluſiacum & Canopicum oſtium, vſq. ad Thebaidem, quæ Delta vocatur, cum antea tota aquis tegeretur, Nilo annuis incrementis, prioribus terris nouum limum aggerente, in ſolidam tellurem excreuiſſe: ſicq. Aegyptum acceſſionem terræ, & fluminis donum eſſe, Herodotus Lib.2. ex Aegyptiorum Sacerdotum relatu, Seneca Lib.6. Quæſt. Natural. Cap. 26. Plinius Lib. 2. Cap. 85. & Lib. 25. Cap. 2. atq. alij, tradunt. Homerus quidem Lib.4. Odyſſeæ, Pharum, vbi eſt Alexandria, tempore belli Troiani, à continenti Aegypti tantum abfuiſſe, quantum nauis velis plenis diurno curſu metiri poteſt, hiſce carminibus cecinit. NVM AEGYPTVS OLIM AQVIS MER

Cano iacet inſula ponto
Aegyptum contra, Pharij tenuere coloni,
Quam dixere Pharon: ſed circa immurmurat vnda,
Multiſoniſq. vadis circumnatat æquore celſo,
A terra diſtans quantum per cærula puppis
Curritater tota ſparſas tentata per vndas,
Luce meras, donec Phœbus ſe condit Ibero,
Cum lenes auræ flantes à naue ſequuntur,
Carbaſaq. implentur ſinnoſa voluimina circum.

Hæc Menelaus apud Homerum.

Pater Pererius in Cap. 12. Geneſ. Diſputatione 4. aduerſus iſtos Auctores ex profeſſo oſtendit, Aegypti hanc partem ante Homeri, & belli Troiani tempora, nedum cultam & habitatam, ſed etiam nobilium gentium, & vrbium frequentia celebrem fuiſſe. Nam certum eſt ex ſacris Litteris illam inferiorem Aegypti partem viciniorem Palæſtinæ, fuiſſe frugibus fertiliſſimam, amœniſſimam, hominibus cultam, & tempore Abraham, Geneſ. 12. ver.10. & ſeqq. & Cap.13. ver.10. & tempore Iſraelitarum manentium in Aegypto, in terra Geſſen, Geneſ. 47. ver.6. & initio Exodi: & Pſal.77. ver. 43.& 12. Vbi dicitur ingentia illa prodigia in Aegypto à Deo pro Iſraelitis patrata, in Campo Taneos edita fuiſſe: at Tanis vrbs, à qua Oſtium Nili Taniticum Straboni & Plinio, inſignis, & ſeptem tantum annis Hebrone poſterior aſſeritur à Moſe Numer. 13. ver. 23. Et Deuteron. 11. verſu 10. inquit Dominus: *Terra enim ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Aegypti, de qua exiſti: vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ.* Quæ omnia tempora [a] Troianum bellum anteceſſere.

[a] *vt oſtēdit Euſebius in Chronico, & Lib. 10. Præpar. Euãg. Cap. 3.*

IX. Illuſtria quædam miracula, quæ Deus pro confirmanda Chriſtiana Religione in Nilo deſignauerit, pretium fit recenſere. Euſebius Cæſarienſis de Vita Conſtantini Lib. 4. Cap. 25. de lege agens qua imperator ille MIRACVLA IN NILO.

ſacra quædam neſaria Nilo Ab Aegyptijs dicata vetuerat, hæc refert: Noua lex Alexandriam, immo in Aegyptum omnem miſſa, quia Nilum per vtriuſq. ſexus, vna mole, neſcio quos homines, obſequio delinirent. Adulterinum genus è vita reſecandum penitus, illumq. libidinis atq. intemperantiæ morbum nuſquam patiendum eſſe. Verum cum ſuperſtitioſa natio Fluuium de more terras adhuc inundare deſperaret, huius edicti columen Deus omnium expectationum fefellit. Etenim iam auerſæ erant illæ vrbium peſtes, & Nili fluenta vberrima, quaſi ſibi factum eo loci luſtram eſſet, omne verua ctum, vt ante numquam, irrigabant, ac auerſandā nequitiam eiuſmodi hominum reapſe declarabant, omniaque accepta referenda largitori bonorum conclamabant.] Ita Euſebius. Eadem Socrates Lib. 1. Hiſtor. Cap. 14.

Aliud eiuſmodi inſigne miraculum de Nili aſcenſu tempore maioris Theodoſij, Rufinus Lib. 2. Hiſt. C. 30. narrat his verbis: Sane quoniam mos erat in Aegypto, vt mēſura aſcendentis Nili fluminis ad Templū Serapis deferretur, velut ad incrementi aquarū & inundationis auctorē, ſubuerſo eius ſimulacro, ignique conſumpto, omnes ſimul negabant, Serapim iniuriæ memorem, aquas vltra, ac affluentia ſolita, largiturum. Sed vt oſtenderet Deus, non Serapin, qui multo erat Nilo poſterior: ſed ſe eſſe qui aquas fluminis temporibus ſuis iuberet excreſcere, tanta ex eo & deinceps fuit inundatio, quantam fuiſſe prius ætas nulla meminerat. Et ideo vlna ipſa, ideſt, aquæ menſura, quam πῆχυν vocant, ad aquarum Dominum in Eccleſiam cœpta deferri. Sed vbi hæc geſta religioſo Principi nunciata ſunt, extentis ad cælum palmis, cum ingenti fertur exultatione dixiſſe: Gratias tibi Chriſte, quòd abſq. vrbis illius, *Alexandria*, pernicie tam vetuſtus error extinctus eſt.] Hæc Rufinus: eadem quoque Sozomenus Lib. 7. Cap. 20. & Nicephorus Lib. 12. C. 37.

Expenditur locus Iob 28. V. 4. Diuidit torrens à populo peregrinante, eos, quos oblitus eſt pes egentis hominis, & inuios. *qui de de Nilo putatur eſſe conſcriptus.* Cap. XXXVI.

VERBA ſunt ardua, & difficultatis ægre ſuperandæ: in quorum explanatione multorū ingenia pependere: quin & Vulgati Interpretis auctoritas temeritate criticorū pene violatur. Ergo ſtrenue & hunc à calumnia, & Iobum ab obſcuritate vindicemus. Primū Hebræa, mox Græca, poſtremo Latina inſpiciamus. Hebræa: פרץ נחל מעם-גר הנשכחים מני-רגל דלו מאנוש נען *Paraz nachal meim gar baniſcachim mini raguel dallu mi enos nahu.* Quantum ex verbo exprimi poteſt, ita reddimus: *Erupit torrens de cum*, vel à cum, vel de
גור iuxta, *accola*, vel peregrino, vel *fluxu*, hoc eſt, riuo, vel alueo: nā ſi *gar* eſt à *gur*,
נגר accolam, habitatorem, ſeu peregrinum: ſi vero à *nagar*, fluxum notat: *Obli-*

uioni

uioni traditi ſunt à, vel, de pede: attenuati ſunt, vel aruerunt, vel eleuati ſunt *de*, vel à, vel, *præ homine moti ſunt*, vel vagati ſunt. Vt ſentias loci ſalebras, varias tibi interpretationes ex Recentioribus proponemus. I. Sanctes paraphraſtice ita reddidit: *Creſcere fecit torrentem apud eum, qui peregrinatur*, aut habitat, *iuxta illum*: & ſiccato torrento aquæ *oblinioni traduntur à pede*: *eleuatæ ſunt*, vel attenuatæ ſunt, aut aruerunt, *præ homine*: & è loco ſuo *motæ ſunt*.

LOCI DIFFICVLTAS.

RECENTIORVM INTERPRETATIONES.

II. Caietanus: *Erupit torrens à cum habitatione*, quòd *obliti ſunt à pede: depauperatæ ſunt ab homine, vagatæ ſunt*: hoc eſt, inundant quandoque erumpentes aquæ à loco in quo erat habitatio, fitque tunc terra paluſtris; adeo quòd longo tempore aquis merſa obliuioni tradatur à pedibus, ideſt, non ſit in memoria hominum quòd aliquando pedibus ſit calcata: induſtria autem hominum aquæ depauperantur, hoc eſt, imminuuntur, exiccantur, & diuergijs, emiſſionibusque per canales vagantur & abſcedunt, vt terra commode ſeri queat. Eiuſmodi fuit memorabilis lacus Fucini emiſſio à Claudio Imperatore facta, de qua Plinius Lib. 36. Cap. 15. Eiuſdem Claudij inter maxime memoranda equidem duxerim, quamuis deſtitutum ſucceſſoris odio, montem perfoſſum ad lacum Fucinum emittendum, in inenarrabili profecto impendio, & operarum multitudine per tot annos: cum aut corriuatio aquarum, quà terrenus mons erat, egereretur in vertice machinis, aut ſilex cæderetur; omniaque intus in tenebris fierent, quæ neque concipi animo, niſi ab his qui videre, neque humano ſermone enarrari poſſunt.] At de numero operarum & annorum iſta Euſebius in Chronico Anno Chriſti 47. Claudius circa hæc tempora Fucinum lacum exiccauit, vndecim annos triginta hominum millibus ſine intermiſſione operantibus.] Sic ille. Agunt de emiſſione Fucini Suetonius in Claudio, & Tacitus 12. Annal.

LACVS FVCINVS EMISSVS A CLAVDIO.

III. Steuchus: *Diuidit torrens à peregrino, quæ ſunt in obliuione à pede, exaruerunt, ab homine diſceſſerunt*. hoc eſt, Quandoque rapidus torrens tumeſcens, diuidit, diſiungit ſemitam à peregrinante viatore: procul viatores ſummouet à ripis ſtagnans, & inundans torrens: parte alia aquæ, quas pes humanus neſciret, obliuioni hominibus eſſent, auolarunt, abierunt, exaruerunt. Vel, Rapidus torrens aut fluuius, qui pleno alueo fluens ſubmouet viatores, cuius aquæ obliuioni ſunt à pede, ideſt, qui veſtigia non ſentit, nec vadum patitur; ita interdum exareſcit, ita profundæ illæ aquæ abeunt, vt deinceps calcetur, nempe,

Vidi ego quod fuerat quondam ſolidiſſima tellus,
Eſſe fretum, vidi factas ex æquore terras.

IIII. Vatablus: *Erumpit fluuius iuxta accolam*, vel habitatorem: magna abundantia erumpit fluuius in locum habitabilem. hoc eſt, locus habitabilis ſtatim fit inhabitabilis propter abundantiam aquarum: aquæ *traditæ obliuioni à pede, & quæ altiores erant homine, abſcedunt*. euaneſcunt. ideſt, aquæ per quas nullo tempore pes vllus ambulauerat, quæ tranſiri non poterant, quòd homine altiores eſſent, abſcedunt & exareſcunt.]

V. Iſidorus Clarius: *Facit vt inualeſcat torrens iuxta habitatorem*: *obliuioni*

obliuioni dentur aquæ à pede : exaltatæ ſunt, ſupra hominem motæ ſunt . Hoc eſt, ipſe exiccat in vno loco fluuium , & facit vt in alio loco arido fluuius profundus incipiat currere : & tunc aquæ obliuioni datæ ſunt à pede , hoc eſt, vadabiles ſunt , & ob ſiccitatem tranſiri poſſunt pede non tincto: tunc iterùm extolluntur vltra quàm vt ab homine poſſint tranſiri : qua viciſſitudine multa reuelari contingit .

VI. Marinus : *Fregit torrentem ab cum incola* , ne poſſit manere illic. vel, *Fregit torrentem à cum fluxu* ; ne fluat : vel, *Rupit fluuium cum incola* : vel *Erupit torrens de cum incola : obliuioni traditi ſunt à pede : attenuati* , hoc eſt, exaruerunt , *ab homine moti ſunt* . ſcilicet fluuij , vel torrentes .

VII. Stunica: *Erumpit torrens iuxta incolam , obliuioni traditi à pede: eleuatæ ſunt, præ homine motæ ſunt* . Vel, *eleuati ſunt , præ homine moti ſunt* . vt vel in genere ſit ambiguitas .

VIII. Montanus: *Erupit torrens à cum accola: obliuioni traditæ ſunt à pede: eleuata ſunt præ homine, motæ ſunt* .

IX. Pineda : *Erupit torrens à cum habitatore : obliuioni traditæ ſunt à pede: eleuatæ ſunt præ homine* , vel depauperatæ ſunt , *motæ*, vel vagatæ *ſunt* .

AVCTORIS EXPOSITIO.
נחל

X. Nos non prorſus aliene hunc ſubolfecimus ſenſum: *Rupit*, vel fregit , *vallis*, nam *nachal* , etiam vallem , ſeu conuallem ſignificare noſtro Vulgato, Deuteron. 21. 4. & Cantic. 6. 10. liquet: *de cum incola: obliti ſunt*, paſſiue , *à pede : exhauſti ſunt, de homine moti ſunt.* vt miretur Iobus illud naturę portentum, cum interdum ingenti hiatu rumpit ſe vallis, ac dehiſcit horrende, habitatoribus hauſtis, & abſorptis : ſicuti ſequenti Verſu iuxta ſinceriorem explanationem , deſcribit ſubitas eruptiones ignium è terris alioquin frugiferis, vt è Veſuuio monte Campaniæ, & alijs: *Terra de qua oriebatur panis , igni ſubuerſa eſt* . Vnde pulchre Plinius miracula terrarum ſtupens Lib. 2. Cap. 80. inquit : Varie itaque quatitur, & mira eduntur opera, alibi proſtratis mænibus , alibi hiatu profundo hauſtis , alibi egeſtis molibus , alibi emiſſis amnibus, nonnumquam etiã ignibus, calidiſq; fontibus, alibi auerſo fluminũ curſu.]Sic ille. Suppetunt eiuſmodi terræ hiatuum complura in Hiſtorijs exempla , & nos quædam notauimus in Antichriſto Lib. 7. Cap. 14.

Ait ergo Iobus , *Rupit* aliquando vallis ingenti hiatu diſrumpente ſe terra *de cum accola*, ideſt , è de loco vbi erant habitatores : abſorti accolæ *obliuioni traditi ſunt à pede* : non amplius ille locus humanis pedibus manſit calcabilis : vel , ſic abſorti ſunt, vt ne veſtigium vllum humanæ habitationis illic ſit relictum : exhauſti ſunt, hoc eſt, hauſti à tera, vt Dathan & Abiron : *de homine moti ſunt* , Hebraiſmus, ablati ſunt ne eſſent homines, deſierunt eſſe homines , ac inter homines verſari .

HEBRAEORVM EXPLANATIONES.

XI. Iam Hebræorum explanationes inuiſamus, Aben-Ezra: *Creſcet locus torrentis , qui eſt effuſus , adeo vt obliuioni tradendus ſit , adeo ipſum calcabunt filij hominum, &c.*

XII. Rabbi Moſch : *Deus creſcere faciet torrentem à loco ex quo defluit, qui eſt abſconditus ſub terra : vnde & loca torrentis obliuioni traduntur à pede , & non tranſibunt , quia aquæ excreuerunt , & roboratæ ſunt ſuper homines: & mouentur, & eleuant fluctus.* Senſus eſt: Fit interdum, vt erumpat torrens ex abſtruſis terræ viſceribus, (id nuper dixit Plinius , *alibi emiſſis amnibus* ,)

bus,) qui loca inundet, adeo vt obliuioni tradantur humanis pedibus, nec poſſint hominum veſtigijs vadari, nec pertranſiri, ob altitudinem ſcilicet aquarum.

XIII. Rabbi Abraham Perutſol: *Aliquando Deus creſcere fecit torrentem, quà ſpectat homines iuxta illum commorantes: & rurſum poſtea ſiccare fecit il lum vt eſſet terra ipſa. Et ſic loca obliuioni tradita à pede nunc: quia quondam tranſierunt illac per aridam à diebus antiquis, nunc autem eleuatæ ſunt ibi aquæ ſupra hominem: at poſtea moti ſunt, (mouentur) pedes hominis illac tranſeundo. Ac ſi dicat: Nunc torrentes vertuntur in aridam, nunc arida in torrentes aquarum.*

XIV. Chaldæus Paraphraſtes: *Præualuit torrens loco exculto, fiſtulis obliuioni traditis, quòd pedibus pertranſirentur; eleuatæ enim ſunt præ filijs hominum, vagatæ ſunt.* Sic intelligo: In locis excultis, vbi ſolent quædam diuergia, ſeu canales conſtitui, per quæ torrentis prope tranſeuntis aquæ, ne locum ornatum ambedant aut corrumpant, aliò detorqueantur: his parum curatis, aut refectis, quòd pedibus tranſeuntium calcentur, & oppleantur, vel obturentur, eoque pacto in obliuionem datis; interdum torrens de repente intumeſcens, nec habens canales quibus auertatur aliò, præualet in locum excultum, & cuncta amœna rapit, proterit, deijcit; ob rapidos aquarum vortices ferociter vagantes; quorum vis, euerſis canelibus, humana iam tunc induſtria reprimi nequit.

XV. Nec pigeat paucis audire Nouantes: in quibus nihil ſolidi niſi quod è Catholicis furati: Munſterus. *Facit vt inualeſcat torrens iuxta habitatorem: obliuioni dentur* loca *à pede: eleuantur aquæ ſupra hominem, & mouentur:* Q.d. Interdum inualeſcit torrens, vt loca inundans, impermeabilia & humanis pedibus obliuioni tradita reddat: aquæ enim excreſcunt & agitantur ſupra hominum altitudinem. HAERETICIS NIHIL SOLIDI NISI QVOD AB ECCLESIA FVRANTVR.

XVI. Leo Iudas: *Erumpit alicubi torrens, qui accolas non fert: rurſum exareſcunt torrentes, vt à pede non ſentiantur: ſuperant etiam hominis ſtaturam, & qui poterant vadari.*

XVII. Iunius, & Emmanuel: *Cum erumperit torrens dimiſſo accola, quæ obliuioni traditæ à pede, exhauriuntur, mortalis opera,* vel à mortali, *abſcedunt.* Ideſt, cum repente ſtagnat ſpecus metallica, & cuniculi erumpentibus aquis inundantur, ea eſt ars & ſapientia hominis, vt etiam profundiſſimas aquas exhauriat: irrumpentes obturet, & ſpecus areſaciat. *dimiſſo accola.* ideſt, ab alueo ſuo ordinario qui accolebatur, præceps in cuniculos metallicos exundet. *obliuioni traditæ à pede.* ideſt, quas pes vllus, vt Hebræi loquuntur, non nouit, ſiue expertus eſt vmquam: quæ à pede non poſſunt tranſiri præ profunditate. At de aquis in metallicis ſcrobibus erumpentibus res eſt comperta, & ampliorem lucem inferunt verba Plinij qui Lib. 33. Cap. 6. agens de argenti fodinis Hiſpaniæ, inquit: Mirum, adhuc per Hiſpanias ab Annibale inchoatos puteos durare, ſua ab inuentoribus nomina habentes. Ex queis Bebelo appellatur hodieque qui trecenta pondo Annibali ſubminiſtrauit in dies, ad mille quingentos iam paſſus cauato monte: per quod ſpatium Aquitani ſtantes diebus, noctibuſque egerunt aquas, lucernatum menſura, amnemq. faciunt.] Sic ille.

XVIII.

XVIII. Mercerus: *Erupit, pro erumpit, torrens ex tractu, ideſt, riuo vnde trahitur, vel ex fluxu ſuo & alueo &c.*

XIX. Hiſpanica Tranſlatio: *Sale el rio de iunto al morador, vel, al poblado: las aguas ſin pie, mas altas que el hombre, ſe fueron.* vel, *ſe ſecaron.*

הנשכחים דלו נעו טים Notabis in prædicta, Heb. *Haniſcachim*, obliuioni traditi ſunt, eſſe omnino maſculeum; nec vmquam femineum: *dalu* vero attenuati ſunt, & *nabu* moti ſunt, communia ad vtrumq. genus: nam & feminea & maſculea eſſe poſſe. Quidam ſemper aquas ſubaudiunt, quod *Maim*, ideſt, aquæ ſint maſculei generis; alij, torrentes; alij, homines; alij, loca, vti vidimus.

Deinde, Hebraiſmum illum, *Obliuioni traditi ſunt à pede:* de aquis, à pleriſq. intellectum, bifariam elucidari: vel de iam ſiccatis, & exhauſtis, quas pes omnino non ſentiat, non tangat, neſciat, obliuiſcatur: ita Sanctes & Clarius: vel de nimium profundis & altis, quas pes non nouit, non ſentiat earum fundum, ſine vado, ignotæ veſtigijs humanis: ita alij ferme omnes: ſed prior ſenſus tametſi pauciorum, videtur ſimplicior.

GRAECORVM SENSVS. Iam tranſeamus ad Græcos: Septuaginta habent: *Deciſio torrentis à puluere:* Alij, ab arena; Alij, à calce; S. Auguſtinus, à cinere, quod præſtat: pro *gar*, גר legerunt proculdubio *gbir*, quod calcem, puluerem, cinerem etiam noſtro Vulgato ſignificat Iſaiæ 27.9. *Cum poſuerit omnes lapides altaris ſicut lapides cineris alliſos.* Septuag. *ſicut cinerem minutum.* Daniel.5.v.5. dixit, *ſuperficiem parietis*, ſed intelligit calcem quo paries tamquam ſuperficie oblinitur. Septuag. tectorium parietis verterunt. Sed pergunt Septuaginta in Iob: *& qui obliuiſcuntur viam iuſtam, infirmati ſunt; ex hominibus commoti ſunt.* Participium Niphal *Niſcachim*, actiue ſumpſerunt: ad verbum, Obliuiſcentes de pede. ideſt, obliti recto pede incedere: quod ipſi expreſſerunt: *Et qui obliuiſcuntur viam iuſtam.* reliqua recte cum Fonte aptantur: hinc diſce non culpare Interpretes: quid magis in ſpeciem ab Hebraico diſſonum, quàm iſta Septuaginta Tranſlatio? tetigiſti quàm paruo negotio in concordiam reduxerimus, quod alij Explanatores facere neglexerunt. Nunc de ſenſu.

Hunc ex Olympiodoro pluribus reddidit & illuſtrare conatus eſt Pineda, ſed an ſatis apte ac feliciter? Breuius, Nobilius in hæc verba: Inquiunt Græci vel quòd materia metallica ſub torrente & glarea ſita ſit, aut ſæpe inueniatur ſub aquis, & arena quædã deciſa à torrente ferrum nutriat: vel quòd lapides pretioſi qui in profundo latent, & quaſi radicẽ miſerunt; impetus torrẽtis in apertum educat, ſubiectã terram decidens, & labilẽ illam glaream ſecũ trahens. Aut coniungenda cũ ſequentibus, vt intelligatur, quemadmodũ à torrente puluis deciditur, & trahitur; ita impios è felicitate detorqueri, & auferri ex hominibus.] Hæc Nobilius. Sed quid opus eſt in iſtas Græcorum expoſitiones deriuare corrugos Plinij, de quibus nos in Antichriſto Lib.6. C.12. plenius; cum illi ad lauandum aurum in ruinis montium humana manu inducti, hi vero à natura fluentes, gemmas detegant? Erunt forſitan vſui, cũ Vulgatum interpretabimur poſtea: interim à Græcorum mente alieni.

ASSERITVR VVLGATVS. מעם Latinam modo interpretationem tueamur, mox elucidemus. Parum ſapiunt qui Interpretem vellicant: primum, quis eum alligauit Maſſoritarum punctaturæ, vt non aptius multo legerit *Me am*, à populo? Quis

neſcit

neſcit & Biblia Hebraica ſine punctis, & accentibus conſtitiſſe: & Maſſoretas punctatores nulli potuiſſe præſcribere: minus Sancto Hieronymo, qui eos anteceſſit? Deinde cur non facili vnius litterulæ mutatione, & traiectione legere potuit, *Mini dal baenos venahu*, vt tota ſententia ad verbum ita reddatur? *Diuiſit*, ſeu diuidit, *torrens à populo peregrino, obliuioni traditos à pede pauperis hominis, & moti ſunt*. ſeu vagati ſunt. Ex quibus verbis conceptam ſententiam ita expreſſerit: *Diuidit torrens à populo peregrinante, eos, quos oblitus eſt pes egentis hominis, & inuios*. ideſt, eos qui moti ſunt & vagati à conſortio hominum, vel diſceſſerunt ab hominum conuictu. מיני-דל האנוש ונעו

Ne cauſemur Fontis corruptelas, cur ad verbum omiſſis accentibus non potuit concipere? *Diuiſit torrens à populo peregrino*, vel peregrinante, *obliuioni traditos à pede*, eorum qui, *attenuati ſunt de homine*. ideſt, à pede hominum egentium, & eos qui *moti ſunt*, ſeu vagati ſunt. ideſt, inuios. Eclipſes enim Relatiuorum frequentes in Hebraiſmo, nemo non nouit. Pſal. 118. v. 1. *Beati immaculati in via*: qui *ambulant in lege Domini*. & alibi ſæpius. Nec vllus opponat Athnac affixum voci *raguel*: nam iſte accentus non ſemper disiungit ſententiam, præſertim in Iob, Pſalmis, & Prouerbijs, vt ipſi notant Hebræi, nempe metri cauſa, quòd ſint Libri Poetici. Ergo cum hanc Vulgati interpretationem nedum ferant Hebræa, ſed etiam optime complectantur; nihil eſt quòd eius ſenſum ad alias ex Hebræo expreſſiones quas ſupra poſuimus, aut ad Septuaginta Interpretum mentem adſtringamus; cum Fons ſit vberrimus & opulentus, & illas, & hanc Vulgati Tranſlationes, & forſan alias nouas nobis incompertas recte parturiat. Mens igitur Vulgatæ verſionis à multis variæ explicatur. רגל

I. Ob torrentem aliquem vel fluuium interiectum, qui arcet aditum, ſunt aliqui homines, vel montes, vel loca in orbe imperuia, & obliuioni tradita veſtigijs humanis, quæ nullus vmquam etiam ex peregrinis, & vagis mendicabulis, qui omnia luſtrant & peruagantur, adijt aut penetrauit. Ita S. Thomas, Stunica, & alij. VVLGATI MENS.

II. Inundat interdum torrens, campoſque implet: qui campi ſic aquis merſi, ob profunditatem aquarum ſummouent peregrinantes, nec poſſunt humanis viatorum pedibus calcari, manentq. loca illa inuia, & nemo illac poteſt pertranſire. Sicque torrens ille ſeparat à peregrinantibus loca illa inuia, & ſine vado. Ita Pineda.

III. Forſan reſpexit S. Iob ad incredibilem illam hominum temeritatem, qua immani impendio, poſtquam integros montes perfregerint ad eruendum aurum, flumina & torrentes per loca inuia & penitus ardua ducunt, ad lauandas fractorum montium ruinas; deque re miranda nos in Antichriſto Lib. 6. Cap. 12. ex Plinio, alijſque docuimus. Plinij verba Lib. 33. Cap. 4. ſunt: Alius par eſt labor, vel hoc maioris impendij, flumina ad lauandum hanc ruinam iugis montium ducere obiter à centeſimo plerumque lapide. Corrugos vocant, à corriuatione, credo: nimirum & hic labor eſt. Præcepiſſe libramento oportet, vt fruaris quando influat: itaque altiſſimis partibus ducitur. Conuallis & interualla ſubſtructis canalibus iunguntur. Alibi rupes inuiæ cæduntur, ſedemque trabibus MIRA IN LAVANDO AVRO EFFOSO INDVSTRIA.

O cauatæ

cauatæ præbere coguntur. Is qui cædit, funibus pendet, vt procul intuentibus ſpecies nefaria quidem, ſed alitum fiat. Pendentes maiore ex parte librant, & lineas itineri præfigunt. Itaque inſiſtentis veſtigijs hominis locus non eſt. Ad capita deiectus in ſupercilijs montium piſcinæ cauantur ducenos pedes in quaſq. partes, & in altitudinem denos. Emiſſaria in his quina pedum quadratorum ternum fere linquuntur: & repleto ſtagno excuſſis obturamentis erumpit torrens tanta vi vt ſaxa perauoluat. Alius etiamnum in plano labor. Foſſæ, in quas profluat, cauantur: agogas vocant: eæ ſternuntur gradatim. Frutex eſt vlex, roris marini ſimilis, aſper, aurumque retinens. Latera clauduntur tabulis, ac per prærupta ſuſpenduntur, canali ita profluente de terra in mare.] Hactenus Plinius. Ait ergo Iob: *Torrens* ille humanis manibus in præruptis montium cauatus ad lauandum aurum, *diuidit à populo peregrinante*, ſeu viatoribus, *eos*, qui funibus pendentes, rupes cædunt: *quos oblitus eſt pes egentis hominis*, nempe, vt ait Plinius, Inſiſtentis veſtigijs hominis locus non eſt: ſpeciem alitum in aere pendentium reddunt, in loco conſiſtunt, quem numquam pes humanus, nec etiam inopum, qui omnia tentant & peruadunt, contigit: *& inuios.* quid magis inuium, quàm nefaria illa ſpecie in aere pendere, & è rupibus abruptis & inuijs?

IV. Conemur adhuc. Quid ſi reſpiciat mirandum illud naturæ opus, quod Seneca Lib. 5. Natural. Quæſt. Cap. 15. hiſce verbis refert: Aſclepiodotus auctor eſt, demiſſos quamplurimos à Philippo in metallum antiquum olim deſtitutum, vt explorarent, quæ vbertas eius eſſet, quis ſtatus, an aliquid futuris reliquiſſet vetus auaritia. Deſcendiſſe illos cum multo lumine, & multos duraſſe dies: deinde longa via fatigatos, vidiſſe flumina ingentia, & conceptus aquarum inertium vaſtos, pares noſtris, nec compreſſos quidem terra ſupereminente, ſed liberę laxitatis, non ſine horrore viſos.] Et Lib. 3. Cap. 19. Accipe argumentum, magnam vim aquarum in ſubterraneis occuli fertilem fœdo ſitu piſcium. Si quando erupit, affert ſecum immenſam animalium turbam, horridam aſpici, & turpem ac noxiam guſtu. Certe cum in Caria circa Myndum vrbem, *Muretus emendat, circa Lorumam vrbem, è veteris codicis veſtigijs. Loruma vrbis Cariæ mentio apud Strabonem Lib. 14. Plinium, Melam, & Stephanum.* talis exiliſſet vnda, periere quicumq. illos ederant piſces, quos ignoto ante eum diem cælo nouus amnis oſtendit. Nec id mirum. Erant enim pinguia & differta, vt ex longo otio, corpora, ceterum inexercitata, & in tenebris ſaginata, & lucis expertia, ex qua ſalubritas ducitur. Habet ergo non tantum venas aquarum terra, ex quibus corriuatis flumina effici poſſunt, ſed & amnes magnitudinis vaſtæ.] Hæc Seneca. vide M. Antonium Muretum Variarum lectionum Lib. 12. Cap. 7.

FLVMINA ET PISCES SVB TERRA: SED PISCES LETALES.

Videtur dicere Iobus: Amnes illi ſeu torrentes terræ viſceribus incluſi, diuidunt ac ſeparant à populo peregrinante, ideſt, ſuper terram incolente, eos piſces ſeu animalia in ſubterraneis occluſa, quæ oblitus eſt pes egentis hominis: nam iſtiuſmodi plerumque è piſcatu vitam tolerant, ſed ijs piſces illi obliuioni traditi ſunt, quos adire nequeunt, ſuntque ipſis prorſus inuij. Nemo hanc interpretationem deſpuet, qui Scripturæ amplitudinem & maieſtatem conſideret.

V. Coniectatur Pineda vir eruditus, & nobis notus, ſermonem feciſſe

Iobum

Iobum de aliquo peculiariter torrente, vel flumine, videlicet Nilo, qui ab Huſitarum Prouincia non longe diſtat: quòd is citimo alueo ad montem Caſium, varijs nouiſque excreſcentijs quaſdam locorum, terrarumque mutationes efficiat: adeo vt interdum loca antea peruia, quæ viatorum pedibus calcarentur, mutet & operiat, prorſuſque inuia & humanis veſtigijs ignota & intentata relinquat: ſicque diuidit à populo peregrinante, ſeu viatore, eos, ideſt, ea loca, quæ cum prius eſſent peruia, pedibuſque iter agentium tererentur; nunc ipſis pauperibus tranſeuntibus ſint prorſus ignorata, obliuioni tradita, veſtigijs humanis inacceſſa, & inuia. Nam de hiſce Nili mutationibus Strabo Lib. 16. ita prodit: Talia circa Caſium apud Aegyptum contingunt, vbi terra contractu quodam celeri, atque ſimplici in alteram partem transfertur, & decidit, vt pars eius in ſublime eleuata mare impellat, pars deorſum ſubſidat: qua conuerſa, rurſum locus priſtinam ſedem accipiat, atque nonnumquam permutatio quædam fiat, nonnumquam vero minime: qui motus quibuſdam fortaſſe circuitibus innexi continentur, homini incogniti. Hæc de Nili excreſcentijs incertum ordinem habentibus.] Tantum Strabo. DE NILO INTERPRETATIO.

VI. Addimus & nos, forſitan inter alia occulta & abſtruſa de quibus Iobus diſſeruit, commemoraſſe etiam iter illud quod eſt à Mari Aegyptio, ad Arabicum per arenas, quod ſane cæcum eſt, & nullum ſeruat humanum veſtigium, de quo hæc Plinius Lib. 6. Cap. 29. Vnum iter à Peluſio per arenas, in quo niſi calami defixi regant, via non reperitur, ſubinde aura veſtigia operiēte. Alterum vero duo millia paſſuum vltra Caſium montem, quod à ſexaginta millibus paſſum redit in Peluſiacam viam.] Sic ille.

Dicet itaque Iobus: Nilus diuidit ſeparatque à populo peragrinante, ſeu incolente Aegyptum, à frequentia incolentium Aegyptum, eos qui deſerta illa arenoſa incolunt raris vicis, quos oblitus eſt pes egentis hominis, ad quos nulla veſtigijs humanis trita via aperitur, arena veſtigia operiente: ſuntque inuij. Vel aliter: Interiacet brachium aliquod Nili inter viatores, & eos ad quos inuium eſt iter per arenas, verſus Mare Rubrum.

Pernotum illud à cunctis obſeruatum, poſitum hic pedem egentis hominis: quòd pauperes ſint qui frequentius peregrinantur, & pedibus ob inopiam itinera conficiunt: ſunt enim mendicabula circumforanea quæ nullibi conſiſtunt, ſed omnes regiones circumeunt & peruagantur. Alia minutiora ab Interpretibus pete.

Elucidauimus locum impendio difficilem: Fons opulentus omnia fundit, Vulgatus cunctis præferendus, eius ſenſus allatos non reſpuerim, ſed primum alijs prætulerim, ſuus honos alijs, quòd ſint è recondita eruditione: quàm rite omnes, & illi etiam Hebraici, ac Græci cum inſtituto Iobi, verborum antecedentium & ſequentium, nectantur, longum eſſet oſtendere, & induendæ partes Interpretis: conſcientia veri non dubitem aſſerere. Non piguit in iſta à curſu Nili abripi, de quo iam alia. IVDICIVM DE INTERPRETATIONIBVS.

Explicantur verba Moſis de Nilo, Geneſ. 2.v. 13. Ipſe eſt qui circumit omnem terram Aethiopiæ. *Cap. XXXVII.*

כוש

DVPLEX AETHIOPIA AFRICANA, ET ASIANA.

PRO Aethiopia Hebraice eſt *Cus.* Egimus in Antichriſto Lib. 5. Cap. 9. de duplici Aethiopia, altera Aſiana ſeu Arabica, & Orientali: Altera vero Africana ſub Aegypto ſeu Occidentali, quas Sinus Arabicus diſpeſcit: multiſque claris argumentis oſtendimus Arabes Madianitas, & Scenitas Nomades, & Orientalis littoris Sinus Arabici incolas, Aethiopas in Scriptura ſacra uocari. Et quia vbertim omnia illic præſtita præter duas rationes, eas nunc ſolas accuratius expendamus:

Prior erat, quòd Sephora vxor Moſis, cum eſſet Madiantes, nempe filia Iethronis Sacerdotis aut Principis Madian Exodi 4. dicitur nihilominus Aethiopiſſa Numeror. 12. 1. *Locutaque eſt Maria & Aaron contra Moſen propter vxorem eius Aethiopiſſam*. Hunc ergo locum breuiter excutiamus: Hebræa ad verbum: *Et locuta eſt Miriam, & Aharon in Moſeh ſuper occaſionibus*, cauſis, negotijs, *mulieris Chuſitis, quam accepit: quia mulierem Chuſitem accepit.* Primum, quænam hæc vxor Moſis Chuſitis ſeu Aethiopiſſa fuerit, & cur ſic appellata: deinde de cauſis iurgij paucis diſſeremus.

VXOR MOSIS AETHIOPISSA QVAE, ET CVR SIC DICTA.

I. Exiſtimarunt aliqui hanc vxorem Moſis Sephoram fuiſſe, dictam Aethiopiſſam per antiphraſim, quòd eſſet pulcherrima, cum è contra Aethiopes ſoleant eſſe hominum turpiſſimi & deformiſſimi: ſic vulgo matres puellos ſuos pulchros & candidos ſolent Aetiopiculos vocitare. Ita Rab. Sclomoh, & Lyranus: ſed & Chaldæus Interpres Onkelos ita hunc locum reddidit: *Et locuta eſt Maria & Aaron contra Moſen propter vxorem pulchram quam acceperat: quia vxorem pulchram quam accepit, repulit.* Et Thargum Ieroſolymitanum hæc habet: *Quemadmodum Aethiops differt cute & colore ab omnibus alijs hominibus; ita etiam Ziporah vxor Moſis; forma, pulchritudine, & bonis operibus mirabiliter ſuperabat reliquas omnes mulieres.*

ARABES DICTI AETHIOPES.

II. Alij intelligunt Sephoram dictam Aethiopiſſam, quòd eſſet Madianites: porro Madianitarum terram, ſeu Arabiam totam, dictam eſſe Aethiopiam Orientalem ſeu Aſianam: forſan quòd hi populi nigredine referent Aethiopes, & colore ſubflauo ac fuſco: aut ſaltem quòd Madianitæ vicini eſſent alijs Arabiæ deſertæ populis, qui dicti ſunt Aethiopes, in Antichriſto abunde firmauimus. Alij malunt Madianitas dictos Chuſæos, non quòd ex Chus progeniti eſſent, ſed quòd obtinerent partem regionis Chus. S. Auguſtinus Quæſtionib. in Lib. Numèr. Quæſt. 20. hæc ait: De vxore Moſis Aethiopiſſa quæri ſolet, vtrum ipſa erat filia Iethro; an alteram duxerit, vel ſuperduxerit. Sed ipſam fuiſſe credibile eſt: de Madianitis quippe erat, qui repeſriuntur in Libris Paralipomenon Aethiopes dici, quando contra eos pugnàuit Ioſaphath: etenim in his locis dicuntur eos perſecuti Hebræi, in quibus Madianitæ habitabant, qui nunc Saraceni appellantur. Sed nunc eos nemo fere appellat Aethiopes, ſicut ſolent locorum & gentium nomina plerumq. vetuſtate mutari.] Hæc S. Auguſtinus: qui hiſtoriam è 2. Paralip.

14. ci-

14. citauit,ſed vel ipſius,vel ſcribentis lapſu pro Aſa, poſitus Ioſaphat:nam ille, non hic Aethiopes fudit. Eſtque præclarum argumentum Sancti Auguſtini ex iſto loco Paralipom. Arabes dici Aethiopes: nam cum Aſa percuſſerit Zara Aethiopum regem, & omnem exercitum eius, cunctaſque vrbes Aethiopum circum Geraram: conſtat omnes iſtas ciuitates eſſe in Arabia, vbi erat Gerara, de qua S.Hieronymus in Locis Hebraicis iſta:Gerara, ex cuius nomine nunc Geraritica vocatur regio trans Daroma procul ab Eleutheropoli viginti millibus, & quinque ad Meridiem.Erat autem olim terminus Chananæorum ad Auſtralem plagam, & ciuitas metropolis Palæſtinæ. Scriptura commemorat fuiſſe eam inter Cades & Sur, hoc eſt, inter duas ſolitudines,quarum vna Aegypto iungitur: ad quam populus trans fretum Rubri maris peruenit; altera vero Cades vſque ad Saracenorum eremum extenditur.] Hæc S.Hieronymus. Sic igitur Zara videtur Rex Arabum fuiſſe, & Aethiopes Arabes.

Diſplicet quod Vatablus, Sà, & alij notant Zara fuiſſe Aegypti Regem, dictum Aethiopem ob nigredinem: vel quod alij, fuiſſe Regem Aethiopum ſub Aegypto; vrbes verò circum Geraram percuſſas, quamuis Arabum, non Aethiopum eſſent, vel quòd fœderatæ Aethiopum, vel quòd in eas Aethiopes è prælio fugientes ſe recepiſſent: nam veriſimilius eſt vrbes illas Aethiopum fuiſſe, Aethiopeſque dictos Arabes: ſiquidem quod Noſter Vulgatus ait Verſ. 14. *Et percuſſerunt ciuitates per circuitum Geraræ*. Septuaginta habent: *Et exciderunt pagos eorum in circuitu Geraræ*. *Eorum*, nempe Aethiopum, neque enim de alijs ante locutus fuerat. Vnde recte Theodoretus in Quæſt. Paralipomenon: Aſa fudit & fugauit Aethiopes, & perſequens omnes conſumpſit. Dicit autem eos fuiſſe ipſorum finitimos. Multa enim, inquit, cepit ſpolia, & excidit eorum pagos in circuitu Gerar. Quòd autem Gerara ſint Palæſtinæ, neminem puto contradicturum. Nam circa Eleutheropolim quæ vocatur, Geraron Saton in præſentem vſque diem eſt nominatum. Eſt ergo veriſimile illos colonia ab Aethiopibus deducta illam habitaſſe regionem.] Hæc Theodoretus.

Sed & Zara Arabum fuiſſe regem, aſſentitur Genebrardus Lib. 1. Chronographiæ, Pag. 122. & Burgenſis in 12. Numerorum, ad Sephoram redeamus.

Theodoretus Quæſt. 22. in Numeros Sancti Auguſtini ſententiæ ſubſcribens,hæc ait: Sephoram igitur appellauit Aethiopiſſam: ſiquidem Saba gens eſt Aethiopica. In Euangelio enim appellatur regina Aethiopum, quæ in Regnorum Hiſtoria nuncupatur Regina Saba. Porro Saba gens Homeritarum appellatur, quibus vicini ſunt Madianitæ.] Ita ille. Ergo hanc Aethiopiſſam Moſis vxorem non aliam fuiſſe, quàm Sephoram; Aethiopiſſam dictam eò quòd eſſet Madianites, quæ regio vel ob viciniam, vel ob nigredinem, vel ob aliam cauſam dicta ſit Aethiopia, præter S.Auguſtinum, & Theodoretum,aſſerunt quoque Strabus Monachus, Lyranus, Burgenſis,Steuchus,Vatablus,Oleaſtrius,Sà in 12. Numeror. Petrus Comeſtor in Hiſtoria Numerorum. Cap. 16. Toſtatus Quæſt. 6. in 12. Numerorum. ixtus Lib. 5. Biblioth.Annot. 123.Marinus in Arca Noe,Pererius in 2. Exodi, Di-

SEPHORA AETHIOPISSA.

di, Diſput. 13. Pineda in Iob 28. verſ. 19. Yſtella in 2. Geneſ. Sanctes in Theſauro, Auctor Lexici Complutenſis, Genebrardus Lib. 1. Chronograph. Pag. 7. Ex Hebræis Aben-Ezra, Kimchius in Lib. Radicum, & alij.

III. Nonnulli ſunt arbitrati hanc vxorem Moſis Aethiopiſſam longe aliam fuiſſe à Sephora filia Iethronis Madianitæ: putant enim hanc eſſe illam Tharbim filiam Regis Aethiopum, quam Moſes cum adhuc gratia Pharaonis pollens, antequam fugeret in Madian ad Iethronem, delectus aduerſus Aethiopes belli dux, mirabili caſu duxit vxorem. Rem geſtam, quia noſſe & expendere iuuat, à Ioſepho Lib. 2. Antiq. Cap. 5. fuſe deſcriptam, reddamus in medium. Is enim poſtquam Moſis in aula Pharaonis educationem, cura Thermutidis Regis filiæ, narraſſet, ſic orditur: Itaque ſic natus & ſic educatus Moſes, poſtquam adoleuit, breui ſuæ virtutis ſpecimen edidit: & quantum momenti vel ſuis vel Aegyptijs eſſet allaturus, occaſionem nactus talem. Aethiopes qui ſupra Aegyptum incolunt, agebant & ferebant facultates Aegyptiorum: illi moti indignatione ducūt in eos exercitum, contumeliam cum iniuria coniunctam vlturi: mox prælio commiſſo, partim in acie ceciderunt, partim in fugam turpiter compulſi retro ad ſuos ſe receperunt. Quo ſucceſſu elati Aethiopes fugientibus inſtabant, & ignauum rati ſi fortuna non vterentur, concepta ſpe ſubiugandæ Aegypti, latè eam populabantur: deguſtataque prædæ dulcedine, non temperantes ſibi, ad maiora audenda accendebantur. Cumque vicinas regiones peruagantibus nemo cum armis obuiam iret, pergebant vlterius Memphim vſque & mare, nulla ciuitate reſiſtere valente. Quibus calamitatibus Aegyptij preſſi, mittunt qui remedium ab oraculis petant. Cumque reſponſum eſſet, Hebræum in auxilium aduocandum; Rex à filia poſtulat Moſen, qui vniuerſis copijs cum imperio præſit. Paruit illa, ſed prius Rege iureiurando adſtricto, nihil in perniciem iuuenis machinaturum, pro magno hoc auxilium imputans, & Sacerdotibus probro dans, quòd non puderet nunc eius opem implorare, quem prius vt hoſtem occidendum eſſe monuerint ac iuſſerint. Moſes vero Thermuthidis ſimul ac Regis rogatu libenter hoc negotium ſuſcipit: quod factum gentis vtriuſque vatibus lætitiam attulit. Aegyptij poſt partam eius virtute de Aethiopibus victoriam, occaſionem ſibi per dolum tollendi non defore ſperabant: contra Hebræi, Moſe copijs præpoſito, adfore ſibi facultatem euadendi ex Aegyptia ſeruitute. Ille vero volens hoſtem opprimere priuſquam de aduentu ſuo cognoſceret, non per fluminis ripam, ſed per interiora terræ expeditionem fecit: qua in re ſatis declarauit quantum ingenio polleret ac prudentia. Cum enim hoc iter difficile eſſet præ multitudine ſerpentum, (nam hic tractus plurimos gignit, aliquot etiam genera quæ nuſquam alibi reperiuntur, noxios omnes & ipſo aſpectu horrendos, & in his quoſdam volucres, vt non ſolum humi latentes inſidientur, ſed & ſublimes ex improuiſo noceant) commentus eſt ad ſecurum iter exercitus ſtratagema dignum admiratione: Vaſa enim plexilia non pauca è papyro in arcæ formam fieri curauit, quæ completa ibibus ſecum deferebat. Eſt autem hoc animal infeſtiſſimum ſerpentum generi: qua propter fugitant earum inſectationem, & inter fugiendum ſicut à ceruis retracti deuorantur. Sunt autem manſuetæ alites, & contra ſolos ſerpentes feroces: de quibus nunc

HISTORIA IOSEPHI DE VXORE MOSIS, AETHIOPVM REGIS FILIA, MIRA.

nunc deſino plura, vtpote apud Græcos non incognitis. Poſtquã igitur ventũ eſt in terram venenoſis beſtiolis ſcatentem, ibes illis immiſit: quarum bonâ opera vſus, itinere impune peracto, nec opinos Aethiopes inuaſit: commiſſoq. prælio fuſos ac fugatos, & ſpe occupandæ Aegypti fruſtratos, retro in ſuam regionem compulit. Nec hoc contentus oppida illorum euertebat, & vbique magna cædes hoſtium patrabatur: quo factum eſt vt poſt hæc auſpicijs Moſis feliciter geſta, tantam alacritatem exercitus præſe ferret, vt nihil non laboris toleraturus videretur: iamq. aut excidium aut captiuitas Aethiopibus immineret. Ad vltimum compulſi in Saba regiam eius gentis, quam poſtea Cambyſes Perſarum Rex de ſororis ſuæ nomine Meroen appellauit, obſidione ſunt cincti: erat autem pene inexpugnabilis, vtpote Nilo circumquaque cincta, accedentibus ad eius munitionem & alijs fluuijs Aſtapo & Aſtoborra, qui obiectu ſuo difficiliorem traiectum facerent. Itaque ſita in inſula, & muro valido incluſa, non fluminibus tantum arcebat hoſtem, ſed & aggeribus, qui mœnia inter & flumina ad eorum inundationes prohibendas extructi; ad hoc quoque tum proderant quòd hoſti etiam poſt ſuperata flumina aditum ad vrbem oppugnandam negabant. Hic cum Moſes deſidere exercitum otioſum ægrè ferret, hoſte non audente manus conſerere, interim tale quiddam accidit: Erat Aethiopum Regi filia nomine Tharbis: hæc Moſen mœnibus exercitum admouentem & egregie dimicantem conſpicata, virtutemq. viri admirata, qui & Aegyptiorum fortunã labantem in integrum reſtituiſſet, & Aethiopes modo victores in extremũ periculorum adduxiſſet, vehementi eius amore eſt correpta: quo in dies creſcente, mittit ad eum è ſeruis fidiſſimos, coniugium ſuum offerens. Aſſenſit ille hac conditione iureiurando firmata, poſt vrbem ſibi traditam, ducturũ ſe eam vxorem: ac mox dicta factum ſequitur. Sæuitum eſt nihilominus in hoſtem, & actis Deo gratijs, nuptijsq. celebratis, Aegyptiorum exercitus victor domum eſt reductus.] Hactenus Ioſephus. Hanc igitur Tharbim Regis Aethiopum filiam à Moſe in matrimonium ductam, illam quidam volunt eſſe Aethiopiſſam vxorem Moſis, quæ rixarum Mariæ & Aaronis cum Moſe cauſam vel occaſionem præbuerit.

Meroe inſula prius Saba.

Verum ſunt plerique qui totius huius hiſtoriæ à Ioſepho de victoria Moſis Aethiopica deſcriptæ fidem eleuent, velintq. Iudæorum eſſe figmentum. Theodoretus Quæſt. 22. in Numer. hæc ait: Ioſephus quidem ait Moyſen, cum in Regia educaretur, in bello contra Aethiopes ducem creatum eſſe, partaq. victoria Regis illius filiam duxiſſe. Apollinarius autem fabulam finxit hac longe fabuloſiorem. Inquit enim poſt Sephoram illum duxiſſe Aethiopiſſam, vt eſſet figura Chriſti Domini, qui poſt Iſraeliticam, Gentium Eccleſiam deſponſauit. Atqui Sephora etiam erat extranea. Non eſt ergo diuini Spiritus fabulas fingere, ſed contrarij. Tantam enim habuit curam ingenuitatis Legiſlator poſt vocationem ſuam, vt ingreſſurus Aegyptum, eam domi reliquerit. Nam poſteaquam illinc egreſſus eſt, acceſſit ad eum ſocer adducens eam vnà cum liberis. Et addidit, quòd poſt dimiſſionem adduxit eam. Sephoram igitur appellauit Aethiopiſſam.] Hæc Theodoretus.

Narratio illa Ioſephi multis fabuloſa.

Eandem quoque Ioſephi narrationem pro fabula ducunt Steuchus, & Oleaſtrius in 12. Numeror. Sixtus Lib. 5. Annot. 123. Pererius Diſputatione 13. in

13. in 2. Cap.Exodi,& nos in Antichriſto. Yſtella vero in Scholijs Exodi 2. in incerto relinquit. Caietanus in 12. Numeror. Ioſephi Hiſtoriam non videtur reſpuere,ſed ambigit num Aethiopiſſa illo loco Numer.ſit Sephora, an illa quam narrat Ioſephus. Vehementior eſt Pererius in refutanda narratione illa Ioſephi: Nam quale, inquit, obſecro eſt vt rem adeo inſignem ac memorabilem ignorauerit Philo, qui tres libros de vita Moſis conſcripſit, & Ioſepho ſenior fuit? Certe tempore Philonis vel hoc figmentum nondum exortum, vel ſi natum, à Philone vt futile contemptum.

O quàm parum momenti ferunt iſtiuſmodi à negatione ducta argumenta? cum interim magni Auctores res inſignes memorare omittant,vel quia ſibi incompertas,vel ob alias cauſas. Quid ſi dicamus Philonem illa ſiluiſſe, quòd eiuſmodi Moſis cum externa & Aethiopiſſa connubium nō ſatis è decoro tanti Legiſlatoris crediderit? Nobis modo re diligentius perlibrata, durum videtur Ioſephum mendacij reum agere: nam qui tanta cura rem geſtam deſcripſit, non niſi conſtanti fide traditam & acceptam exiſtimare par eſt.

DEFENDITVR

Equidem Artapanus Gentilis auctor vetuſtiſſimus eandem de victoria Moſis aduerſus Aethiopes hiſtoriam litterarum monumentis conſignauit, niſi quòd coniugij cum Tharbi non meminit. Verba Artapani apud Euſebium Lib.9.De Præpar.Euang.Cap.4. ponuntur: ſic enim Euſebius inquit: [Artapanus autem Mœrin Chenephris Regis Aegyptiorum filiam ait,puerū, quoniam ipſa non pareret,Iudæū adoptaſſe,quem Iudæi Moſem,inquit,Græci Muſæum appellant,cuius doctrina multa Orpheus didicit. Hunc Moſem inſtrumenta bellica inueniſſe affirmat, litteras quoque, quas Sacerdotibus tradidit,Aegyptiorumq. vrbem in ſexdecim partes diuiſiſſe,ac ſingulis Præfectos inſtituiſſe. Quæ omnia videlicet fecerat, ne populi, vt ſolebant,conſpirantes, modo hunc, modo illum regno expellerent. Vnde factum eſſe,ait, vt quaſi Deus ab Aegyptijs coleretur, & propter litterarum inuentionem Mercurium appellatum. Quibus rebus Chenephrim inuidia commotum, cauſam interficiendi Moſi quæſiuiſſe: & ſic aduerſus Aethiopas in Aegyptū irruentes, cum imperio ipſum miſiſſe, exercitumq. ſibi è Iudæis maxime conſcripſiſſe,vt propter imperitiam militum vnà cum eis periret.Quod bellum, vt ab Heliopolitanis accepiſſe aſſerit,decennio geſtum fuit: & propter diuturnitatem eius ciuitatem in eo loco conditam,vbi ſedentes Aethiopum impetum ſuſtinebant,quam Hermopolim,inquit,ideſt,Mercurij ciuitatem appellant. Ibim conſecratam ibi primo fuiſſe, quoniam nocentes interficeret ſerpentes. Aethiopas autem admiratione virtutis ita Moſem coluiſſe, vt etiam circumciſionem ab eo didicerint.] Hactenus Artapanus.

AVCTORITATE ARTAPANI,

Hiſtoria igitur hæc fuit celebris, Heliopolitarum Annalibus & traditione conſignata: ſed plenius à Ioſepho quàm ab Artapano deſcripta; nam ille coniugium Moſis cum Regis Aethiopum filia,quod iſte ſiluit, ſed intellexit, ex Heliopolitis acceptum memoriæ tradidit. Credunt Ioſepho Petrus Comeſtor in Scholaſtica Exodi Hiſtoria, C.6. Pierius in Hieroglyph. Comment. de Ibi:& plures Expoſitores Catholici teſte Lyrano.Et Toſtatus Q.4. in Exodum, ait: Non eſt dubium quin Moſes habuerit in vxorem Tharbim filiam Regis Aethiopum: quia in his quæ ſunt pure hiſtorica, & non repu-

ET ALIORVM.

gnant

gnant ſacræ Scripturæ, credendum eſt Ioſepho, qui fuit vir harum rerum peritiſſimus. Etiam Doctores noſtri, vt Iſidorus & quidam alij dicunt, Moyſen habuiſſe filiam Regis Aethiopum in vxorem.] Hæc ille. Si res geſta conſtat, quid inerit abſurdi Aethiopiſſam in 12. Numer. Tharbim illam putare? Validas alias rationes in Antichriſto firmauimus pro Aſiana & Arabica Aethiopia, illa de Sephora Madianite & Aethiopiſſa careat loco.

Si obnitantur, communé ferme Hebræorum & Chriſtianorum Explanatorum conſenſum eſſe, Aethiopiſſam illam in Numeris eſſe Sephoram; eſto, locus non de Tharbi, ſed de Sephora Madianite ac propterea Aethiopiſſa intelligatur: ſtet argumentum Madian dici Aethiopiam; num proinde euertitur hiſtoria Tharbis? Nihil nos terret, quòd ab externa Moſes digamus: Nam polygamiam priſcis Patribus, & ante Moſaycam Legem, & poſt illam, diſpenſatione Diuina conceſſam, Theologi docent: de qua re videndi, S. Thomas in Additionibus ad 3. P. Q. 65. Art. 2. Sotus in 4. Sent. Diſt. 3. Q. 1. Art. 2. Bellarminus Lib. de Matrimonio, Cap. 11. Petrus Ledeſma Tractatu de Matrimonio Q. 65. Art. 2. Dubio 1. Gregorius de Valentia Tomo 3. Diſput. 10. Quæſt. 1. Puncto 3. Thomas Sanches de Matrimonio, & alij. Quòd ad externã vero vxorem attinet, fuit etiam externum connubium ipſi Moſi cum Sephora. Quid actum de Tharbi? num ex ea ſublati liberi? Forſan mortua, vel mox ipſam cepit ſatietas Moſis, vt eſt muliebre ingenium varium & mutabile, & cum patre in Aethiopia manſit, nullis è Moſe liberis editis. Ridemus fabulam à Petro Comeſtore in Hiſtoria Exodi relatam Cap. 6. At hæc ſatis: Iam cauſas oblocutionis Mariæ aduerſus Moſen perquiramus.

CVR MARIA MOSI OBLOCVTA.

I. Plures oblocutam aiunt, quòd tantus vir Moſes alienigenam duxiſſet vxorem cõtra Iſraeliticum morem, ſiue illa Sephora ſiue Tharbis fuerit. Vnde Theodoretus Quæſt. 22. in Numeros ait: Cum ergo Aaron Iſraelitidem duxiſſet, Moyſes autem alienigenam, exorta puſillanimitate quadam, hoc illi exprobrauit.] Hanc cauſam reddunt Aben-Ezra, Kimchius, Sanctes, Vatablus, Oleaſtrius, Sà, & alij. Putantq. firmari ex Fonte, vbi videtur expreſſa: *Et locuta eſt Maria & Aaron in Moſeh ſuper occaſionibus vxoris Aethiopiſſæ, quam accepit, quia vxorem Aethiopiſſam accepit*. Eodem quoq. modo Septuaginta verterunt. Vbi illud, *Quia vxorem &c.* cauſam oblocutionis haud obſcure indicat. Sed hanc cauſam minimè vmquam probauerim, cum à multo retro tempore Moſes Sephoram duxiſſet, nec tamen hoc ei fratres exprobrauerint: ſi cum alienigena coniugium, ſolum cauſa fuit obloquendi, cur tanto tempore ſiluerunt? noua igitur oblocutionis occaſio interceſſiſſe videtur. Nec Hebræa iuuant; nam illud, *Quia vxorem Aethiopiſſam accepit*; non eſt nectendum cum illo, *Et locuta eſt Miriam &c.* Sed cum illo, *quam accepit, quia vxorem &c.* Solent enim Hebræi vti eiuſmodi repetitionibus more linguæ, ob elegantiam. Vnde Vulgatus ſatis ad ſenſum eſſe putauit expreſſiſſe, murmur exortum ob vxorem Aethiopiſſam Moſis: nam hic intelliguntur illa *quam accepit, quia vxorem Aethiopiſſam accepit*. Et hoc eſt mihi magnum argumentum, Interpretem non putaſſe verba illa, *Quia vxorem Aethiopiſſam accepit*. murmuris cauſam continuiſſe: alioquin reddidiſſet Latine eam clauſulam, quæ ad ſenſum eſſet neceſſaria.

II. Alij volunt muliebres ac domeſticas rixas ob leues aliquas cauſas,

vti euenire ſolet inter mulieres, Mariam & Sephoram agitauiſſe:forſan Sephoram ſe ob dignitatem viri, ſupra Mariam extuliſſe: Mariamq. rem ad Aharonem detuliſſe:amboſq. ſimul apud Moſen de Sephora conqueſtos; ſed Moſen partes vxoris egiſſe; vnde fratribus occaſio obloquendi de Moſe. Horum ſententia refertur à Lyrano, & Oleaſtrio. Potuit ita eſſe. Eam probat Toſtatus Quæſt.8. in Numeros.

III. Paulus Burgenſis ſcribit, cauſam, quam Maria vt Moſi obloqueretur, prætendebat, fuiſſe, quòd Moſes ſepararet ſe ab vxore ſua, nec debita coniugalia perſolueret,nō ſanctimoniæ cauſa,ſed quòd vxor eſſet Aethiopiſſa,hoc eſt,nigra & deformis. Quaſi diceret: Si Moſes pulchram habuiſſet vxorem, non abſtinuiſſet ab illa: nunc verò abſtinet ob illius nigredinem & turpitudinem; non ob commercium ſermonis diuini: ſiquidem nos, quibus etiam loquitur Deus, non abſtinemus à coniugali amplexu. Nullo pacto probanda hæc interpretatio ob eximiam Moſis virtutem.

IV. S. Cyrillus in Græca Catena geminam reddit cauſam hiſce verbis: Duæ fuerunt calumniæ quibus Moſen inuadebant:primo, quòd vxorem contra morem duxiſſet Aethiopem: alterum,quòd maiorem ſibi auctoritatem vendicaret,quàm par eſſet: quoniam ſit etiam cum alijs Deus collocutus.] Hæc ille. Hanc quoque poſteriorem cauſam reddunt Aben-Ezra, & Kimchius. Sacrum contextum tantùm exprimit enatam ſimultatem propter Aethiopiſſam: forſan hæc ſecunda cauſa innuitur illis verbis murmuris: *Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? &c.*

V. Plerique putant Moſen vt facilius vacaret diuinis colloquijs, & prophetico dono,coluiſſe mirificè carnis munditiam, & ab iuſta etiam & licita voluptate vxoria temperauiſſe: vt expeditius ac fidelius ſacrum ſibi impoſitum miniſterium quoque obiret: Mariam vero & Aaron, vel agentes, vt videri volebant, cauſam vxoris; vel ſua inuidia motos, quòd ipſi non abſtinerent, murmuraſſe, inique agere Moſen, nec iura ſeruare connubij; cum ipſi quoque quibuſcum loqueretur Deus, non abſtinerent propterea ab vſu coniugij. Ita Chaldæus Paraphraſtes, Rabbi Scelomoh, Lyranus, Caietanus, Vatablus, Oleaſtrius & alij. Confirmant hunc ſenſum verba fratrum, quibus mox aiunt: *Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? nonne & nobis ſimiliter eſt locutus?* q. d. Vane Moſes iactat cauſam abſtinendi ab vxore, alloquutionem diuinam: cùm & nos, quibus quoque loquitur Deus, non abſtineamus.

Equidem Moſen vſui coniugali renuntiaſſe poſt vocationem ſuam ad ampliſſimum illud prophetiæ & Legiſlationis munus, S. Epiphanius hiſce verbis teſtatur Hæreſi 78. Nam poſtquam prophetauit Moſes,non amplius vxori coniunctus eſt,non amplius liberos genuit,non amplius generat tales: habebat enim vitam Domino vacantem. Quomodo enim potuiſſet in monte Sina quadraginta noctes ac quadraginta dies degere, ſi nuptijs addictus fuiſſet? Aut quomodo potuiſſet quadraginta annos in deſerto ad diſpenſationem Dei paratus eſſe, & Sacerdotio vacare,& quomodo myſteria explicare, & colloquia cum Deo perficere, ſi nuptijs coniunctus fuiſſet?] Hactenus S. Epiphanius: quæ ego veriſſima iudico.

MOSEN ABSTINVISSE AB VXORE.

Libet hic audire Lyranum illa ſcribentem: Si autem quæratur, quomodo Maria

Maria & Aaron ſciuerunt quòd Moyſes contineret ob vxore;reſpondet Rabbi Salomon,quòd quando Holdad & Medad prophetauerũt in caſtris, vt dictum eſt capitulo præcedenti,Maria ſoror Moyſi & Sephora vxor eius,erant ſimul: & cum rumor de prophetia ipſorum venit ad eas,Sephora dixit: Væ vxoribus eorum,quia ex tunc ſeparabuntur viri earum ab ipſis,ſicut maritus meus ſeparauit ſe à me. Et tunc Maria dixit hoc Aaron: & ambo ſimul reprehenderunt Moſen.] Hæc ille. Ride Lector fabulam, & ſperne.

Quænam genuina cauſa iurgij extiterit, clam eſt; forſitan aliqua ex aſſignatis ſuperius, aut plures inciderunt; coniecturis enim tantum Explanatores hanc aut illam augurantur.

Quænam ſit Aethiopia quam Geon circumit. Cap. XXXVIII.

ALTERA ratio à nobis pro Aſiatica Aethiopia in Antichriſto poſita, quam acrius nunc expendere volebamus, erat: Quòd Pſal. 73. canat Dauid Pharaonem cum exercitu ſubmerſum in mari Rubro,traditum in prædam & ſpolia populis Aethiopum:at cum cõmunis ſententia ſit, Aegyptiorum cadauera eiecta in littus Aſiaticum & Orientale maris Rubri,in quod euaſerant filij Iſrael: ipſi enim corpora proiecta in littore viderunt;perſpicue ſequitur, Arabes dictos Aethiopes.Totumq. robur argumenti erat, quòd Iſraelitæ Sinum Arabicum traiecerint de littore Africano in littus Aſiaticum, tranata tota latitudine maris Rubri, atque in littore Orientali vidiſſe eiecta corpora.

Ingens quæſtio,an Iſraelitæ tranſierint Sinum Arabicum de littore Occidentali & Africano in littus Orientale & Aſiaticum aduerſum;num vero reflexo per mare Rubrum itinere,& ducto quaſi ſemicirculo intra mare,ad idẽ littus Aegyptium,per quod intrauerant,remotiori tamen loco redierint. Vel recto itinere,præciſo aliquo ſinu,ad idem littus Aegyptiũ redierint. Et quia controuerſia à multis egregie agitata,pauca notabimus. Hebræi ferme omnes poſteriorem hãc ſententiã tuentur:quibus acceſſere adſtipulatores acerrimi Toſtatus,& Burgenſis, S.Thomas in 1.Corinth.10.Lectione 1.ait: *Ftomnes mare* Rubrum ſubmerſis hoſtibus *tranſierunt*, non de vna ripa ad ripam oppoſitam,ſed ad eandem: vnde trãſierunt quendã Sinum maris.] Hæc ille.

Auctores prioris ſententiæ citantur,Philo Lib. 3.de Vita Moſis,qui inquit: Tempeſtas procelloſa in littus aduerſum eiecit enectorum Aegyptiorum cumulos; quo magis ſeruati Hebræi, ſuam à Deo ſalutem agnoſcerent, non ſolum euadendo pericula,verum etiam ſpectando hoſtes deletos ope diuina ſine humanis viribus.] Hæc ille. Et Ioſephus Lib. 2. Antiq. Cap. 7. ait: Iã in aduerſum littus euaſerant Hebræi,hoſtibus à tergo relictis.] S.Gregorius Nyſſenus in Vita Moſis: Ictu Moſaycę virgę in oppoſitã vſq. ripam huic atq. hinc cedentibus aquis,ſciſſurã peruenit.] Hæc ille. At iſti non aiunt diſerte in aduerſam ſeu oppoſitam ripam Aſiaticam euaſiſſe: intelligi enim poſſunt de aduerſo littore Sinus alicuius tũc præciſi,ſed ſemper Aegyptio,ſeu Africano.

ISRAELITAE IN IDEM LITTVS AEGYPTIVM, TRANS, TO RVBRO MARI, EVASERVNT.

Verum in aduerſum littus Aſiaticum tranaſſe, tranſita tota latitudine Rubri maris, multis argumentis confirmant Lyranus, Caietanus, Oleaſtrius

ſtrius, Pererius Yſtella in 14. Exodi: Genebrardus Lib. 1. Chronog. Pag. 66. Hoc ipſum docent Tabulæ Geographicæ Montani, Ortelij, Adricomij, & aliorum, & ferme Geographi omnes. Quam opinionem & Scripturæ & miraculo magis conformem pleriq. exiſtimant. Rationes vero quibus aduerſarij ſe muniunt, à Caietano, Oleaſtrio, & Pererio ſunt confutatæ: illa Toſtati eſt ab ipſis forte neglecta: Quòd incredibile videatur tãtam Iſraelitarũ multitudinem, quam quidam optime coniectantur fuiſſe ad tricies centena millia hominum, [a] ſpatio quatuor, aut quinque horarum ad ſummum, potuiſſe totam Rubri maris latitudinẽ, quæ ſatis magna eſt, pertranſire: nam Hebræi iam media nocte intraſſe mare videntur: & in vigilia matutina, ſeu aurora, iam in aduerſum littus emerſerant, vt ex Scriptura colligitur.

[a] Notat Pererius in 14. Exod. Diſput. 1.

Reſpondeo primum, non poſſe ex Scriptura euinci Iſraelitas media nocte intraſſe mare: immo puto prima vigilia initio noctis, quàm primum mare vento vehementi diuiſum eſt & ablatum: exiſtimo enim Deum venti miniſterio ſingulari miraculo ſimul diduxiſſe mare, & ſolum ſiccaſſe: ventumque tota nocte ad vigiliam vſque matutinam flauiſſe, eo quaſi inſtrumento, Deo conſeruante aquas in parietum cumulos ſuſpenſas. Neque Caietano aut Pererio aſſentimur ſecus ſentientibus: cum Scriptura aperte dicat, Deum abſtuliſſe mare flante vento vehementi, tota nocte: nempe Deum vſum vento tamquam inſtrumento, ſed eleuato ad ſublime miraculum: alia torquent litteram.

RVBRI MARIS LATITVDO AB HEBRAEIS SVPERATA, SEX VEL NOVEM MILLIVM PASSVVM.

Deinde, latitudo maris Rubri, quam traiecerunt Hebræi, ab Adricomio ponitur ſex millium paſſuum, ab Anania nouem millium: quod ſpatium cur nequeat quinque horis confici? præſertim iter accelerante metu hoſtis. His addo, tametſi Ioſephus & alij doceant, in vigilia matutina iam Hebræos in aduerſam ripam euaſiſſe; at id non ſolide habetur ex Scriptura: forſan Hebræi adhuc intus mare manebant cum Aegyptij cœpti ſunt diſijci & mergi; poſtmodum vero peracto per mare itinere, cum ad ripam conſiſterent, vidiſſe proiectos Aegyptios: quamuis non deſint qui illa verba Exod. 14. verſ. 31. *Et viderunt Aegyptios mortuos ſuper littus maris.* Sic interpretentur, quòd Iacobæi in littore iam conſiſtentes, viderunt fluitantia ſuper mare Aegyptiorum cadauera: quod non eſt probandum, At hæc ſatis: maneat igitur quæſtio ab vtraque parte probabilis. Iam ad noſtram vtramque Aethiopiam reuertamur: nam in Scriptura & Aſiaticam ſeu Orientalem vel Arabicam: & rurſum Africanam vel Occidentalem ſub Aegypto Aethiopiam deſcribi, in Antichriſto, vti prædiximus, magnis & auctoribus & rationibus demonſtrauimus. Quam quoque S. Baſilius agnouit, cùm initio Hexaemeron ait, Moſen ob interfectum Aegyptium, profugum, habitaſſe in Aethiopia: nempe in Median. Ergo quicumque Geon, non Nilum: ſed eruptionem quandam Euphratis Occidentalem eſſe dixerunt, quos ſupra Cap. 28. & 14. magno numero citauimus, cum Moſes ait Geon circumire omnem terram Aethiopiæ, Aethiopiam Aſianam & Orientalem intelligunt, nempe partem Arabiæ Orientalis & deſertæ, quæ non longe à Meſopotamia, certe illi confinis abeſt: & in Sinum Perſicum imminet. Sic notant diſerte Steuchus, Pererius, Vatablus, & alij.

At cum C. 28. & 30. tanto auctorum pondere docuerimus Geon eſſe Nilũ,

& va-

& vaniſſime à veterum ſententia Recentioribus eſſe diſceſſum, manifeſte cogimur hoc loco Aethiopiam Africanam & ſub Aegypto accipere, quam Nilus interluit: cum Nilo cum Arabia, aut Meſopotamia nihil commune. Hinc eliditur delirium Matthæi Beroaldi in Chronico, contendentis in Scriptura ſacra nomine Chus, ſeu Aethiopiæ numquam intelligi Aethiopiam ſub Aegypto: ſed Arabiam. Verum indignum confutatione inaniſſimum commentum.

De Phiſon primo Paradiſi flumine. *Cap.* XXXIX.

NOMEN, inquit, Moſes, *vni*, ideſt primi, Hebraica phraſi, *Phiſon*. Steuchus, Pererius, Louanienſes Theologi, & alij, nolunt Phiſon eſſe Gangem: ſed fuiſſe fluuium aliquem non longe à Meſopotamia ac Perſide: nimirum fuiſſe vel Tygris & Euphratis eruptionem illam Orientalem, cum ex Meſopotamico Paradiſo prodeunt, vt Geon Occidentalem: vel nouum fluuium è Paradiſo prope Meſopotamiam emanantem, vel brachium aliquod ſeu ramum Tygris, vt Geon Euphratis, tempore Moſis: qui tamen iam exaruerit, aut alio curſum auerterit. Habes horum ſententiam, ne iterum eandem retexamus, fuſe deſciptam ſupra Cap. 14. & 28. & inferius Cap. 48. Coniecturas de Phiſonte è locis ducunt: quòd Tygrim alicubi incolæ Phiſon appellent, teſte Q. Curtio: & quòd Phiſon vrbs ſit in Meſopotamia apud Procopium in Bello Perſico.

Impius Philoſtorgius ex æque impio Theophilo, Phiſon Hyphaſim eſſe dixit; apud Nicephorum Lib. 9. Cap. 19. At conſtat ex Strabone Lib. 15. Curtio Lib. 9. Plinio Lib. 6. Cap. 17. Solino in Polyhiſtore Cap. 55. Hyphaſim diuerſum eſſe flumen à Gange; nec tamen longe ab eo remotum: extitiſſe autem terminum itinerum Alexandri; qui ad Gangem non peruenit. At non alia ratione putamus Philoſtorgium dixiſſe Phiſon eſſe Hyphaſim voce colludente, niſi quòd crediderit Hyphaſim eſſe Gangem. Verum mira Scriptorum conſenſio, cui velle refragari nec tutum, nec decorum, Phiſon primum Paradiſi fluuium, eſſe Gangem nobiliſſimum & celebratiſſimum Indiæ amnem affirmat. Ioſephus Lib. 1. Antiq. Cap. 1. agens de Paradiſi fluminibus, inquit: Horum qui Phiſon nominatur, (ea vox multitudinem ſignificat) ad terram Indiam delatus, in illud ſe pelagus exonerat: Græcis Ganges appellatus.] PHISON GANGES.

Euſebius & S. Hieronymus de Locis Hebraicis, aiunt: Phiſon, quod interpretatur caterua, fluuius, quem noſtri Gangem vocant, de Paradiſo exiens, & pergens ad Indiæ regiones, poſt quas erumpit in pelagus. Dicit autem Scriptura circumiri ab hoc vniuerſam regionem Euila, vbi aurum præcipuum naſcitur, & carbunculus lapis, & praſinus.]

S. Ambroſius Lib. de Paradiſo C. 3. Nomen eſt vni Phiſon. Phiſon ſecundum Hebræos, Ganges autem ſecundum Græcos, fluit contra Indiam.] Hæc ille.

S. Epiphanius in Anchorato: Nomen vni Phiſon. Et videmus ipſum Phiſon ob oculos noſtrós: & Phiſon quidem eſt Ganges apud Indos appellatus, & Aethiopes. Græci vero hunc Indum fluuiū vocant. Totam enim terrā Euilat

circumdat,

circundat, paruam & magnam, parteſque Elymæorum. Penetrat autem magnam Aethiopiam, & cadit ad Auſtrum, & ſubit intra Gadira in magnum Oceanum.] Hic quædam notanda: primum falſo Græcos quoſdam exiſtimaſſe Phiſon eſſe Indum. Falſo quoq. S. Epiphanium aſſeruiſſe, Gangem circumire partes Elimæorum, cum Elimæi ſint Perſidis regio, aut ſaltem proxima, quà ſubit Perſia ad Medos, vt ait Plinius Lib. 9. Cap. 26. & nos plenius in Antichriſto Lib. 3. Cap. 11. ſed puto vitio in S. Epiphanio ſcribi, Elimæorum, cum ſcribendum ſit, Euilæorum, vt Anaſtaſius Nicænus referens verba S. Epiphanij legit: cuius ſententiam interius ponemus hoc ipſo Capite. Deinde recte S. Epiphanium dixiſſe Indiam appellatam quoq. magnam Aethiopiam, de qua re egimus in Antichriſto Lib. 3. Cap 9. & appoſite, quòd Indi colore ſint cremato & aduſto ferme vt Aethiopes: vide Plinium Lib. 6. C. 19. & Pomponium Lib. 3. C. 7. Denique appellaſſe S. Epiphanium Gadira, magnum Oceanum, orbem tunc cognitum cingentem, antiquorum more, quibus prouerbium erat: Non vltra Gadira. de quo in Antichriſto Lib. 3. Cap. 15. initio.

E SENSV PATRVM.

S. Hieronymus Epiſt. 4. ad Ruſticum ita ſcribit: Per quem *Oceanum* vix anno perpetuo ad Indiam peruenitur, & ad Gangem fluuium, quem Phiſon ſancta Scriptura commemorat: qui circumit totam terram Euilat, & multa genera pigmentorum de Paradiſi dicitur fonte deuehere. Vbi naſcitur carbunculus, & ſmaragdus, & margarita candentia, & vniones, quibus nobiliũ feminarum ardet ambitio: montes quoque aurei, quos adire propter gryphas & dracones, & immenſorum corporum monſtra hominibus impoſſibile eſt: vt oſtendatur nobis quales cuſtodes habeat auaritia.]

S. Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi ad litteram, C. 7. hæc habet: Phiſon autem ille dicebatur, quem nunc Gangem appellant.] Tantum S. Auguſtinus.

Claudius Marius Victor Lib. 1. in Geneſ. canit in hunc modum:

-- quorum primo ordine Phiſon
Proſilit exultans, fontis pars quarta beati,
Edens naturæ quas dat prudentia dotes:
Gangetiſque replet populos, atque Indica regna
Diſtendit limo, terraſque & ſemina voluens,
Quæ facit arua feri, nudis quà ſquallet arenis,
Aurea fulgentis inter ramenta metalli.
Hic vbi fulmineo rutilans carbunculus igne,
Ac viridi radiat fulgeſcens luce ſmaragdus.

S. Alcimus Auitus Lib. 2. in Geneſ. Cap. 9. inquit:

Quartus dehinc Phiſon quem nominat India Gangem,
Motus odorifero quoties qui vertice creuit,
Deciduas pulchro quas ſpargunt flamina luco,
Prælambens furatur opes, & gurgite noſtrum
Ducit in exilium: nam ripa largus vtraque eſt.
Amnibus vtque iſtis enodes ferre papyros,
Aut ſcirpos, algaſque leues deducere mos eſt;
Excrementa trahens magnus ſic ditia Ganges,
Hoc etiam donas mundo quod proijcit alueo.

S. Iſido-

S.Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus Lib. 13. Etymologiar.Cap.21. Ganges fluuius, quem Phiſon Scriptura ſacra nominat, exiens de Paradiſo, pergit ad Indiæ regiones. Dictus autem Phiſon,i.eſt, caterua, quia decem fluminibus magnis ſibi adiunctis impletur, & efficitur vnus. Ganges autem vocatus à Gange Rege Indiæ. Fertur autem Nili modo exaltari, & ſuper Orientis terras erumpere.] Tantum ille. S. Damaſcenus Lib. 2. de Fide Cap. 9. Nomen vni Phiſon, hic eſt Ganges Indicus.]

GANGES A REGE GANGE.

Anaſtaſius Nicænus Quæſt. 24. in Scripturam: Vni nomen eſt Phiſon,qui apud Indos quidem & Aethiopes appellatur Ganges: apud Græcos autem vocatur Indus: & ambit vniuerſam terram Euilat, paruamq. & magnam Aethiopiam, partes Euilæorum. Euilæos enim dicit intimos Indos: tranſit autem magnam Aethiopiam, & cadit ad Auſtrum,& Occaſum intra Gades in magnum Oceanum, qui circuit totam terram.] Hæc ille, eadem ferme S. Epiphanij verba deſcribens.

Moſes Bar-Cepha Lib.de Paradiſo Cap. 21. Vnus illorum quatuor fluuiorum Phiſon vocatur, totam Indorum ditionem alluit: hæc enim Hauilæ nomine ſignificatur: ac tandem in mare deſinit. Græce Phiſon Dijobis vocatur. Ferunt autem pleramque ripæ huius fluuij arenam, atque etiam aluei, præſtante auro abundare, & gemmis pretioſis: nam vocem Hebræam Bedolach margaritas ſignificare.] Et Cap. 28. Nomen igitur vnius horum quatuor fluuiorum eſt Phiſon, ſiue vt Græcus vocat, Dijabis: delabitur per vniuerſam regionem Indorum, quam vocat Moſes terram Hauilæ: ac tandem deſinit in mare Indicum.] Ita Moſes. Interpres eius Maſius, fatetur ſe neſcire vndenam hoc nomen Dijobis vel Dijabis acceperit Bar-Cepha: ego coniectarim deprauate ſic ſcribi pro Ganges. Ergo Phiſon eſſe Gangem, S. Beda,Rabbanus, Rupertus, Strabus, Anſelmus Laudunenſis, Lyranus, Toſtatus,Hugo Carenſis, Caietanus, Honcala, Oleaſtrius, Sa, Yſtella & innumeri alij in 2.Geneſ. Mercerus, & Marinus in Theſauris, Ortelius in Synonymia, & omnes fere, præter pauciſſimos initio Capitis citatos, affirmant: quibus libenter aſſentimur.

פישון PHISON VNDE DICTVS.

Nunc de etymo pauca: Ioſephus *Phiſon*, abundantiam & multitudinem ſignificare aſſeruit.S.Ambroſius Lib.de Paradiſo Cap. 3 ait: Secundum Hebræos Phiſon dicitur,hoc eſt, oris mutatio: quia non vnam gentem,ſed vniuerſam fere Indiam circumfluit.] Oris quoq. alterationem interpretatus eſt S.Anaſtaſius Sinaita Lib.8.in Hexaemeron.Euſebius &S.Hieronymus cateruam reddiderunt: & idem S Hieronymus in Interpretatione nominum Hebraicorum, Phiſon, inquit, os pupillæ, vel oris mutatio.] pupilla Heb. *Iſon.* & os,*Pi.* Ferme omnes conſentiunt dictum à *Pus*, ſeu *Paſah*, hoc eſt, multiplicari,excreſcere,diffundi, expandi, expatiari, luxuriare; vel vt Chaldæus Interpres eo verbo vtitur pro fructificare: quæ notiones mire in Gangem aptantur, cum propter aquarum redundantiam, in quem, vt ex Plinio poſtmodum dicemus, vndeuiginti amnes influunt, eſtq. maximus omnium fluuiorum veteris orbis: tum propter abundantiam piſcium quos gignit: & fertilitatem camporum quos irrigat, vbi omnia luxuriant, & mire excreſcunt: immo ſegetes bis in anno proueniunt, vt Cap. 30. dicemus. Moſes Bar-Cepha Lib.de Paradiſo Cap.28.inquit: Sunt autem qui putent, Phiſon

אישון פי פוש פשה

appella-

appellatum eſſe à verbo Phas, propterea quod ceſſet à fluxu aſpectabili: quippe qui ſub multis pelagis maiorem ſui curſus partem peragat.] Hæc ille. Notat Maſius *Phas*, Syris ceſſare, ſignificare.

פאש

Quædam de Gange ex Auctoribus. *Cap. XXXX.*

NVLLVS ex quatuor Paradiſi fluminibus, in verum illius delicati Horti locum certius nos ducet quàm Ganges, de quo ſelecta quædam ex optimis Scriptoribus reponamus. Strabo Lib. 15. hæc ſcribit: Vniuerſa tellus Indica fluuijs irrigatur, è quibus aliqui in ampliſſimos duos irrumpunt, Indum ſcilicet & Gangem: aliqui proprijs oſtijs in pelagus exeunt. Omnes autem à Caucaſo ducunt originem: primum in Meridiem deferuntur: inde alij eodem in curſu permanent, præſertim qui Indum intrant, alij flectuntur in Ortum ſicuti Ganges. Hic ipſe è montana regione deſcendens, cum planitiem attigit, conuerſus in Ortum, & Paliborra præterfluens, vrbem ſane ampliſſimam, in eius mare progreditur. Cumque Indicorum amnium maximus exiſtat, eruptionem facit vnicam.] Et poſt multa ſic ait: Ganges, vti ſcribit Artemidorus, ex Emodiorum montibus deſcedens in Auſtrum, Gangan attingit vrbem, in Orientem flectitur vſq. Palibotras, quoad ingreditur pelagus.] Hæc Strabo. Diodorus Siculus Lib. 3. inquit: Gangis latitudo ſtadiorum triginta eſſe fertur.]

GANGES MAXIMVS INDICORVM FLVMINVM.

Q. Curtius ſic de Gange Lib. 8. prodit: Ganges omnium ab ortu fluuius eximius à meridiana regione decurrit, & magnorum montium iuga recto alueo ſtringit. In eum obiectæ rupes inclinant ad Orientem; vtique Rubro mari accipitur findens ripas, multas arbores cum magna ſoli parte exorbet. Saxis quoque impeditur, quibus crebro reuerberatur. Vbi mollius ſolum reperit, ſtagnat, inſulaſq. molitur. Acceſines eum auget: Ganges decurſurum in mare intercipit, magnoq. motu amnis vterq colliditur: quippe Ganges aſperum os influenti obijcit, nec repercuſſæ aquæ cedunt.]

EIVS LATITVDO TRIGINTA STADIORVM.

Plinius Lib. 6. Cap. 18. Gangem alij incertis fontibus vt Nilum, rigantemque vicina eodem modo: alij in Scythicis montibus naſci dixerunt. Influere in eum vndeuiginti amnes: ex his nauigabiles præter iam dictos, Canucham, Vamam, Erranoboam, Coſoagum, Sonum. Alij cum magno fragore ipſis ſtatim fontibus erumpere, deiectumq. per ſcopuloſa & abrupta, vbi primum molles planities contingat, in quodam lacu hoſpitari: inde lenem fluere, vbi minimum, octo millia paſſuum latitudine; vbi modicum ſtadiorum centum, altitudine nuſquam minore paſſibus viginti.] Hæc Plinius. Eadem omnino Solinus Cap. 55.

PLINIO OCTO MILLIA PASSVVM, ALTITVDO VIGINTI PASSVVM.

Pomponius Mela Lib. 3. Cap. 7. Ganges multis fontibus in Emodo Indiæ monte conceptus, ſimul vnum alueum fecit, fit omnium maximus, & alicubi latius, quando anguſtiſſime fluit, decem millia paſſuum petens, in ſeptem ora diſpergitur.]

Virgilius Aeneidos *Lib. 9.*

Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges: aut pingui flumine Nilus
Cum refluit campis, & iam ſe condidit alueo.

In quem locum hæc Seruius annotat: Ganges fluuius eſt Indiæ, qui ſecundùm Senecam in Situ Indiæ, nouem alueis fluit: ſecundum Melonem, ſeptem: qui tamen & ipſe commemorat nonnullos dicere, quòd tantum tribus alueis fluat: Virgilius tamen Nilo eum iungens, ſeptem alueos habere ſignificat. Hanc varietatem Donatus fugiens, longum hyperbaton facit, dicens: Ceu ſurgens ſeptem amnibus Nilus: aut Ganges altus per tacitum. Sane bene addidit, per tacitum altus, hoc eſt, per profundam altitudinem. Nam licet creſcat, intra ripas tamen eſt, nec ſuperfunditur vt Nilus campis: vnde Aſper diſtinxit, altus per tacitum.] Hæc Seruius.

Lucanus Lib. 3 Pharſaliæ canit:

Qua colitur Ganges, qui toto ſolus in orbe,
Oſtia naſcenti contraria ſoluere Phœbo
Audet, & aduerſum fluctus impellit in Eurum.

Apuleius Lib. 1. Floridorum: Ganges apud Indos vnus omnium amnium maximus, Eois regnator aquis, in flumina centum diſcurrit, centum valles illi, oraque centum, Oceaniq. fretis centeno iungitur amne.] Hæc ipſe.

Gerardus Mercator Gangem putat eſſe, quem hodie Cantan appellant: ſed Iacobus Gaſtaldus, & omnes, illum potius quem Gangam dicunt: qui Bengalæ prouinciam præterlabens, in Sinum Gangeticum, nunc *Golfo de Bengala*, exonerat. Vide Ortelium in Synonyma Geographica.

At cum multi Recentiorum de Gange plura tradiderint, Indicisq. Hiſtorijs Luſitanorum accurate deſcriptus habeatur, nos pauca ex Laurentio Anania eximio Geographo referemus. Is enim in mundi Fabrica Tractatu ſecundo ſic ſcribit: Famoſi fluminis ortum, decurſum, magnitudinem cum antiqui parum ex veritate prodiderint, viſum eſt ex fide deſcribere: nomen retinet à Gange Rege: fontem aperit in monte Vſſonte, tendit curſum in Orientem, excipit triginta ingentia flumina: numquam latior decem millibus paſſuum: altitudo octo brachiorum; nauigiorum patiens non niſi vltra Ourum Bengalæ Prouinciæ Regiam. Aqua ob alueum mirum ſpirat odorem, guſtui gratiſſima, & cumprimis ſalubris, nec cedit Niliacæ. In vtraque ripa ingens arborum copia quas Moſe vocant. Hebræi, Arabesque pro certo putant huius eſſe fructum quem ſator humani generis Adam tanto ſuo & noſtro malo deguſtauit: nec reperiri in orbe ſuauiorem: credi voluere quidam diſciſſo pomo exprimi in carne Crucis effigiem, non ſine admiratione. At Gangeticæ aquæ tantam ineſſe bonitatem ac ſanctitatem, circumfuſæ gentes arbitrantur, vt è procul diſsitis regionibus multi, ac Principes quoque confluant, vt in Gange lauentur: qui vero accedere nequeunt, ſibi inde aquam etiam non paruo impendio deferri curant: & Narſingæ Rex per citiſſimos veredarios ſingulis hebdomadis. Perſuaſum ſiquidem habent lotis ea aqua abſtergi peccata, & vita functis Paradiſum patere. Quapropter Reges, qui imperio oras Gangeticas tenent, ſeuere prohibent quemquam niſi perſoluto pretio, in Gange lauari, ne faciem DE GANGE MIRA.

quidem: vnde immenſas diuitias corrogant è confluxu innumerabilium gentium. Sunt ripis Gangis impoſita plura Templa illorum Pagodibus, hoc eſt, idolis dicata, magnificentia & opulentia ſuperba, quæ nefaria religione plurimum frequentantur.] Hæc & alia Ananias. Sed à Gange Rege quodam Aethiopum nomen flumini factum, Suidas quoque teſtatur. De quo plures fabulas texit Philoſtratus Lib. 3. Vitæ Apollonij. Sed & Vxenti montis meminit Ptolemæus Lib. 7. C. 1. Gangem eſſe maximum totius orbis fluuiorum affirmant omnes; veteris orbis dixerim, propter Orellanam ſeu Maranonium, & flumen Argenteum Americæ, quæ Gange eſſe maiora, non eſt dubium. Nam de Maranonio produnt influere in Oceanum ſub ipſo ferme Aequatore, oſtio quinquaginta leucarum, vel, vt alij qui rem melius explorarunt, ſcribunt, ſeptuaginta. Argentei vero oſtium latitudine viginti quinque leucarum patere. [a]

a Viae Gomoram Tom. 1. Indica Hiſtor. & Accſtam Lib 2. Hiſtoria Indiarum Cap. 6. & Lib. 3. C. 20.

GANGARIDAE SINE ORE.

Gangis quædam fabuloſa ſic prodit Strabo Lib. 15. Quoſdam manſuetos homines adductos eſſe, ora non habentes, circa Gangis fontes habitantes, qui aſſatarum carnium paſcantur odoribus: nec non pomorum & florum olfactibus: in oris locum ſpiracula quædam habentes: eoſque fœtoribus infeſtari. Itaque vix diutius ſupereſſe, præcipue in caſtris.] Plinius Lib. 7. Cap. 2. hæc narrat: Ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gangis, Aſtomorum gentem ſine ore, corpore toto hirtam veſtiri frondium lanugine, halitu tantum viuentem, & odore quem naribus trahant. Nullum illis cibum, nullumque potum: tantum radicum, florumque varios odores, & ſilueſtrium malorum, quæ ſecum portant longiore itinere ne deſit olfactus: grauiore paulo odore haud difficulter exanimari.] Hæc Plinius ex Megaſthene rerum Indicarum auctore. Eadem Solinus Cap. 55. Sed qui de his plura cupit, adeat Herodotum Libro tertio, Philoſtratum Lib. 3. de Vita Apollonij, S. Auguſtinum de Ciuit. Dei Lib. 16. C. 18.

De anguillis Gangis hæc Plinius Lib. 9. Cap. 3. Anguillæ quoque in Gange amne tricenos pedes.] & Lib. 9. Cap. 15. In Gange Indiæ plataniſtas roſtro Delphini & cauda: magnitudine autem quindecim cubitorum. In eodem eſſe Statius Seboſus haud modico miraculo affert vermes branchijs binis ſexaginta cubitorum, ceruleos, qui nomen à facie traxerunt. Ijs tantas eſſe vires vt elephantos ad potum venientes mordicus comprehenſa manu eorum, abſtrahant.] Hæc Plinius.

GANGES DEFERT FRVCTVS EX PARADISO.

Philoſtorgius apud Nicephorum Lib. 9. Hiſt. Eccl. Cap. 19. ex Theophilo mira iſta de Gange: In Scripturis ſacris Phiſon nominatus, & ipſe è Paradiſo ortum ducens, ex Arctois magis Orientis partibus Meridiem verſus profluere videtur, & in eius ipſius oræ Oceanum, aquas ſuas conijcere ex aduerſo Taprobanæ inſulæ. Ad cuius fluminis ripas inuenitur quod caryophyllum vocatur, ſiue id fructus, ſiue flos eſt. Et perſuaſum habent, qui ibi habitant homines, arborem eius, ex eis, quæ in Paradiſo ſunt, vnam eſſe. Etenim ea quæ ſupra eos eſt terra admodum deſerta eſt tota & ſterilis. Quòd autem is fluuius florem eum affert, ſatis conſtat illum ſuper terram totum ferri: neque vſpiam ſub terram in cuniculos demitti: aliter enim quod ibi natum eſſet, perferre non poſſet. Habet & aliam flu-

men

men hoc notam terenæ cum Paradiſo commiſtionis. Fertur enim ſi quis febre laboret ardenti, & in flumine eo mergatur, de repente eum morbo liberari.] Hæc Philoſtorgius. Quod ad caryophyllum attinet, his conſentientia ſcripſerunt ſuperiore Capite S. Hieronymus & S. Alcimus.

Explicatur locus Geneſ. 2 v. 11. de Phiſonte: Ipſe eſt qui circuit omnem terram Heuilath. *Cap. XLI.*

MAGNA quæſtio de Heuilath, ſeu, vt eſt Hebraice, *Chauilah*, quænam regio ſit. Steuchus, Pererius, & alij quibus ſubſcribit Lippomanus in Catena Geneſ. 2. contendunt Heuilath nullo pacto eſſe Indiam, aut Indiæ aliquam terram: ſed ab India quàm longiſſime abfuiſſe: eſſeque regionem Meſopotamiæ, aut Arabiæ Orientalis, quam ita pingunt: Heuilath eſt regio Orientis adiacens Meſopotamiæ, habens ab Occaſu Arabes Meſſanitas, à Meridie Sinum Perſicum, ab Ortu Sepher montem Orientis, qui eſt prope Babyloniam: à Septentrione Aſſyriam. Iſtorum argumentum præcipuum eſt, quòd diſerte Scriptura Heuilath in Arabia collocet verſus Sur & Aſſyrios, proximam Iſmaelitis, & Amalecitis, Geneſ. 25. 19. *Habitauit Iſmael ab Heuilah vſque Sur, quæ reſpicit Aegyptum, introeuntibus Aſſyrios.* Et 1. Reg. 15. 7. *Percuſſit Saul Amalec ab Euilah donec venias Sur, quæ eſt è regione Aegypti.* Conſtat autem Iſmaelitas & Amalecitas in Arabia fuiſſe, ex multis Scripturæ locis: & Ioſephus Lib. 1. Antiq. Cap. 13. de Iſmaelitis ait: Hi quidquid terrarum eſt Euphratem inter & Rubrum mare habitant: Nabathææ nomine regioni indito. Sunt autem ij à quibus Arabes gentem ſuam, eiuſque tribus denominauerunt.] Sic ille. Putant quoque Chauilatæos eſſe eos quos Strabo Lib. 16. vocat Chaulatæos, proximos Nabathæis, Arabiæ populos, qua parte contingit Meſopotamiam. Sic igitur affirmant Phiſon non poſſe eſſe Gangem, cum Phiſon circumierit terram Arabiæ Euilah, à qua Ganges remotiſſime abeſt, Indiam perluens. חוילה

At illa iam nimium trita & peruagata omnibus miramur non eſſe obſeruata à viris eruditis: nempe duos eſſe eodem nomine Hauilah in Scripturis appellatos, ſed longe diuerſos, & qui multum interſe diſſitas regiones, quibus nomen dederint, incoluerint: alter fuit nepos Cham, & filius Chus Geneſ. 10. v. 7. à quo proculdubio nomen acceperit regio illa Arabiæ, quam Iſmaelitæ & Amalecitæ habitarunt, vt ex Geneſ. 25. & 1. Reg. 15. nuper diximus. Ab eodem quoq. Heuilah cognominatam Getuliam Africæ, Ioſephus Lib. 1. Antiq. C. 6. his verbis adſtruit: Euilas Euilæorum auctor, qui nunc Getuli appellantur.] Et S. Hieronymus in Traditionib. Hebraicis: Heuila, Getuli in parte remotioris Africæ, eremo cohærentes.] Quod etiam affirmant Anſelmus Laudunenſis, Lyranus, Honcala, Oleaſter, Sà, in 10. Geneſ. Steuchus in 2. Geneſ. Genebrardus Lib. 1. Chronograph. Pag. 30. & alij. De Getulis interioris Africæ populis eſt illud Virgilij 4. Aeneidos: HAVILA REGIO ARABIAE, ET GETVLIA AFRICAE.

Hinc Getulæ vrbes genus inſuperabile bello.

de quibus plura Strabo Lib. 17. Plinius Lib. 5. C. 1. & 4. & Lib. 9. C. 36. & Lib. 35. C. 6. Mela Lib. 1. C. 4.

Q 2 Inſuper

Inſuper, Iunius & Tremellius inepte hanc Euila putant eſſe Suſianem Plinij Lib.6. Cap.27. veterem Perſarum regiam:& quam Babytacem vocat ibi Plinius: In Septemtrionali, inquit, Tygris alueo oppidum eſt Babytace. Ibi mortalium ſolis aurum in odio: contrahunt id, defodiuntque ne quo cui ſit in vſu.] Eadem Solinus C.58.

Alter fuit Heuilah filius Ieƈtan, nepos Heber, de ſtirpe Sem, frater Ophir, Geneſ. 10. verſ. 29. de quo nunc cum cura diſquirendum quamnam regionem cum poſteris habitauerit, Euilah quoq. ab ipſius nomine dictam. Moſes quidem aſſeruit eum cum fratre Ophir, & vndecim alijs fratribus incoluiſſe à Meſſa, vſque ad Sephar montem Orientis. Iam Cap.23. abunde docuimus, Meſſa, & Sephar in India Orientali fuiſſe: inſuper Ophir Heuilæ fratrem inſediſſe Indiæ regiones quaſdam, tanta cum perſpicuitate in Antichriſto Lib.3.C.23.docuimus, vt indecorum ſit contra obniti; vnde certiſſimum quoque eſt Heuilah alicui Indiæ regioni à ſe primum cultæ nomen feciſſe. Sed accipe de his perſpicua verba Euſebij,& S.Hieronymi in Locis Hebraicis: Heuilath, vbi aurum puriſſimum, quod Hebraice dicitur zahab,& gemmæ pretioſiſſimæ,carbunculus,ſmaragduſq.naſcuntur. Eſt autem regio ad Orientem vergens, quam circumit de Paradiſo Phiſon egrediens, quem noſtri mutato nomine Gangem vocant.Sed & vnus de minoribus Noe, Heuilath dictus eſt, quem Ioſephus refert cum fratribus ſuis à flumine Cophene, & regione Indiæ vſque ad eum locum qui appellatur Ieria poſſediſſe.] Hæc illi. Qui tamen de altero illo priori Euilah filio Chus mox ſubdunt: Sed & Iſmael in ſolitudine Heuilah habitaſſe ſcribitur,quam Scriptura ſancta eſſe ait in deſerto Sur contra faciem Aegypti, & inde tendere vſque ad terram Aſſyriorum.] De his nos paulo ſuperius dicebamus.

זהב ALIA HAVILA INDICA.

Euilath quidem quam alluit Phiſon, eſſe Indiæ regionem affirmat Anaſtaſius Nicænus Quæſt.24. in Scripturam,hiſce verbis: Euileos dicit, intimos Indos.] Et Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo C.28.Regionem Indorum vocat Moſes terram Euilath.] Rabbanus in 2. Geneſ. Euilath regio eſt Indiæ, quæ poſt diluuium poſſeſſa eſt ab Heuilath, filio Ieƈtan, filij Heber patriarchæ Hebræorum.] Aſſentiuntur his innumeri Recentiores:paucos adducam, Lyranum, Toſtatum,Yſtellam,Sà in 2. Geneſ. Genebrardum Lib.1.Chronograph.Pag.35. Mercerum & Marinum in Theſauris Hebraicis,Montanum in Libro Phaleg.C.9.Poſſeuinum Lib.2. Biblioth. Cap.5. Gaſparem Varrerium in Commentario de Ophirica nauigatione. Sed & Geographorum noſtri temporis princeps Ortelius in Tabula Indiæ hæc ait: India in duas regiones Gange flumine interluente dirimitur; quarum altera quæ Occidentalis eſt, Intra Gangem dicitur: altera ad Orientem magis,Extra Gangem cognominatur. In ſacris voluminibus illam Euilath, hanc Seriam vocitatam legimus.] Hæc ipſe: quæ verba in vehementem me ſuſpicionem adducunt, cum Euſebius ac Sanctus Hieronymus ex Ioſepho docent, tredecim illas gentes filios Ieƈtan, in quibus fuere Ophir & Heuilah, poſſediſſe à Cophene fluuio omnem Indiæ regionem, ad eam vſque terram quæ vocatur Ieria; ne forte lectione deprauata pro Seria, poſitum fuerit Ieria: nam Ieriæ nulla apud auctores mentio: nimirum vt incoluerint illi totam Indiam citra & vltra Gangem vſque ad vltimas Sinarum oras; quæ pars

Indiæ

Indiæ vltra Gangem dicta ſit Seria, Scriptoribus celebrata: ſicut India intra Gangẽ appellata eſt Heuilah. De Seribus, vnde veſtes Sericæ dictæ, plura Ptolemæus Lib. 7. C. 3. Plinius Lib. 6. C. 17. & 22. Solinus C. 53. Ammianus Marcellinus Lib. 23. Seruius in carmen illud 2. Georgicorum Maronis, SERICA REGIO.

Velleraque vt folijs depectant tenuia Seres.

S. Iſidorus Lib. 19. Etymolog. Procopius Lib. 2. de Bello Vuandalico, Zonaras in Iuſtiniano primo. Ex Recentioribus Chriſtophorus Landinus in 2. Georgicor. Polydorus Virgilius Lib. 3. de Inuentoribus rerum C. 6. Iuſtus Lipſius in Commentario ad 2. Lib. Annalium Cor. Taciti. Putant Sericam eſſe nunc Cataium Iacobus Gaſtaldus & Marius Niger: Verùm ad rem.

Heuilath quidem Indiæ regionem eſſe, illud etiam confirmat, quod ſuperiori Capite tam ſolide oſtenderimus, Phiſon, qui eam circumit, eſſe Gangem, quem Indiam præterfluere, nullus ignorat. Caietanus in 2. Geneſ. hæc ait: Chauilah intelligitur India. Et ex induſtria Moſes reddit rationem nominis terræ, vt ſciremus quòd nec à nepote Cham, nec à nepote Heber nominata eſt Chauilah: ſed à partu, quia parit tot pretioſiſſima, videlicet aurum חול optimum, & tot genera lapidum pretioſorum.] Sed cur non è partu & ab *Chûl, parturire* Chauilah filio Iectan nomen ſortiri potuit? Ergo & numero & pondere Auctorum, rationumq. valide euincimus, Euilath, quam alluit Phiſon, non eſſe in Arabia, aut prope Meſopotamiã, ſed in India: vnde ridendũ quod Rabbi Benjamin in Itinerario ſuo adſtruit, Aethiopiã Abyſſinorum dictam in Scriptura Heuilah, quã circuit Phiſon: exiſtimauit Phiſon eſſe Nilum, in qua ſententia fuiſſe aliquos Hebræorum, teſtis eſt Steuchus C. 2. Coſmopœiæ, & in Notis ad 2. Geneſ. ſed de ea re poſtmodum dicemus, Cap. 47.

Argumenta vero quibus, Recẽtiores Heuilath Phiſontis in Meſopotamiæ vel Aſſyriæ proxima regione ponebant, facile ex dictis confutatæ manent: Agnoſcimus plane Heuilath in Arabia, ſeu in his locis quæ illi notant, vbi quoq. fuerint Chauilatæi, ſeu Chaulatæi Strabonis; at hæc ex poſteris Chus inhabitata: illa vero Phiſontis in India ex poſteris Iectan, longe diuerſa.

Nos equidem haud certo affirmauerimus Heuilath, definite eſſe Indiã Intra Gangẽ, eſſe tamen aliquam Gangaridã regionem ſeu citra ſeu vltra Gangẽ, quã Ganges perlabitur, non dubitamus: ſi colluſiones nominũ venemur, Strabo Lib. 15. Catheam gentem prope Gangẽ deſcribit, apud quam nouo exẽplo moris eſſet, cum deligi regẽ, qui inter ceteros forma & pulchritudine eminceret. Plinius Calingas Gangeticas gentes, proximas mari, & oppidum Dandagula: & Megallas illis finitimos narrat Lib. 6. C. 17. & 19. & 20.

Ptolemæus Lib. 7. Cap. 2. prope Gangem collocat Gangololas, quod nomen ſignificare ait, mundum nudum: forſan quod Indi nudi incedant. De Indis Bengalæ referunt Recentiores Geographi, [a] eos circa pudenda aurea quædam tintinnabula appendere, quæ cum nudi eant, ſonitum edunt. Cunctis probe perpenſis haud penitus abſurde cenſemus, non diſſona voce, Heuilah, eſſe Bengalam Vrbem ac prouinciam, quam Ganges præterfluit, & in qua in mare exonerat: vnde Sinus Gangeticus, appellatur nunc Sinus Bengalæ. Bengalæ diuitias, opulentiam, amplitudinem inter Indicas terras clariſſimæ, Marcus Paulus Lib. 2. de Gentib. Orientalibus Capite. 45. Ludouicus Vartomannus Lib. 1. ſuæ peregrinationis

a Laurentius Aranianus Fabrica Mundi Tractatu 2.

HAVILA FORSAN BENGALA.

Cap.

Cap.16. & Lib.6.Cap.13. & 14. atq. alij recentiores Indicarum rerum auctores plurimum celebrant: & nos in Antichriſto Lib.3.Cap.23. pauca notauimus. [b] Exiſtimant aliqui Bacarurum emporium Ptolemæo Lib.7.Cap.2. eſſe Bengalam. Gaſtaldus putat, Gangem Regiam iuxta Gangis fluminis oſtium, de qua Ptolemæus, eſſe nunc Bengalam.

[b] *Vide Anaxiam ibid.*

Vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt. *Cap. XLII.*

HEBRAEA ad verbum: *Quod ibi aurum: & aurum terræ illius bonum*. Poſſis vertere; *Feliciter ibi aurum*. ſubaudi prouenit: *& aurum terræ &c.* vel, ſi nolis adſtringi punctationi Maſſoretharum, & *Sam* cum puncto in ſiniſtro cornu legere, appoſite reddetur: *Quod ponit aurum.* nempe flumen deuehit arenas aureas, vel deuectum aurum ex Paradiſo terræ ac ripis exponit. Melius, de terra, *Quæ ponit aurũ &c.* ponere enim pro; gignere, habes Eſdræ 10.v.44. Laudatur nimium terra Heuilath à fertilitate auri, puriſſimi & optimi. Quam ferax & opulenta auri India Orientalis ſemper fuerit, in Antichriſto Lib.3.Cap. 22. & 23. fuſe demonſtrauimus, ſed nunc pauca deguſtemus: Diodorus Siculus Lib.2.inquit: Naſcitur in India ingens argenti, auriq. vis.] Ptolemæus Lib.7. Cap. 2. ait: Super argenteam regionem, in qua multa eſſe dicuntur metalla non ſignata, ſuperiacet autem aurea regio Beſingitis appropinquans, quæ & ipſa metalla auri quàm plurima habet.] Herodotus Lib.3. In India infinita vis auri, vel è terra effoſſi, vel per flumina deuecti.] Plinius de terris prope Gangem hæc Lib.6.C.19. Fertiliſſimi ſunt auri Dardæ: ſed omnium in India prope, non modo in hoc tractu, potẽtiam claritatẽq. antecedunt Praſij ampliſſima vrbe ditiſſimaq. Palibotra.] Eſt autẽ Palibotra vrbs quã Gãges præterfluit, vt Plinius mox affirmat, & C.40.ex Strabone vidimus: retinet ferme nomen etiã hac noſtra ætate. At piget nũc relegere tã multa quæ in Antichriſto de incredibili Indiæ auri abundantia poſuimus; illuc Lectorem amandamus.

AVRVM INDIAE PVRISSIMVM.

Porrò aurum Orientalis Indiæ eſſe omnium præſtantiſſimum & defæcatiſſimum, norunt omnes: hinc dictum illud volunt aurum Obrizum, vel Ophirizum, quaſi puriſſimum ex Indię regione Ophir allatum, vbi interdum effoditur fruſtum auri puri puti quadraginta librarũ: vt multis in Antichriſto Lib.3. Cap. 24. docuimus. De auro vero probatiſſimo quod Ganges deuehit, ſic ſcribit Plinius Lib.33.C.4. Aurũ inuenitur in noſtro orbe, vt omittamus Indicum atq. à formicis, aut gryphibus apud Scythas erutum. Apud nos tribus modis, fluminum ramentis, vt in Tago Hiſpaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Aſiæ, Gange Indiæ: nec vllum abſolutius aurum eſt, curſu ipſo, trituque perpolitum.] Etvero Gangem habitum ſemper inter aurifera flumina, Scriptores omnes affirmant. Hinc forſan cultus pro deo ab accolis, vt ex vetuſtis auctoribus prodit Alexander Genialium Dierum Lib.6. Cap.4.

At illud non ſine conſideratione prætereundum, quod S. Hieronymus Epiſt.4. ad Ruſticum, vt Cap.39. dicebamus, prodidit, in terra Indiæ Heui-

Heuilath eſſe montes aureos,quos adire propter gryphas,& dracones,& im menſorum corporum monſtra, hominibus impoſſibile eſt: vt oſtendatur no bis quales cuſtodes habent auaritia.] Eadem ferme tradiderunt Rabbanus, Strabus,Lyranus,Toſtatus in 3. Reg. 9. Diximus in Antichriſto Lib. 3. C. 21. plura de formicis Indicis & gryphibus eruentibus & cuſtodientibus aurum,ex Herodoto,Plinio, Strabone,quibus nunc adijcimus Solinum Cap. 20. Pomponium Melam Lib. 3.Cap.7. & Lib.2.C.1. Philoſtratum Lib. 3. de Vita Apollonij,Aelianum Lib. 14. C. 11. Montes illos aureos, quos in terra Euilath S.Hieronymus ait cuſtodiri à gryphibus, & draconibus, & alijs feris: apud Dardas eſſe ſcribit Plinius,de quibus nuper verba illius Auctoris poſuimus; hos enim auri fertiliſſimos inſedi à formicis Indicis, aurum mira rabie ſeruantibus, aſſerit Lib. 11.C. 31.

De formicis Indicis non dubito, miro conſenſu prodentibus Auctoribus: de gryphibus ambigo,nam plerique eos fabuloſos putant, vt Plinius Lib. 10. Cap.49. Arrianus Lib. 5. Rerum Alexandri, & alij. Egere de his Pererius Lib.in Geneſ.15.Num.154.Pineda in 28.Iob Verſu 7.Num.3. & ſeqq.& alij.

Ibique inuenitur bdellium. *Cap.* XLIII.

HEbraice ad verbum: *Ibi habedolach.* vel,*Ponit,* ideſt, gignit terra Heuilath, *habedolach*. Magna concertatio quidnam ſit *habedolach*. Ferat tantiſper Lector ſi catenulam quandam Recentiorum, Hebraicæ litteraturæ peritorum de vocis adeo controuerſæ notione texuero. Auctores Lexici Complutenſis,& Reuchlinus,bdelliũ, vt Vulgatus, reddiderunt. Lyranus in 2.Geneſ ait: Bdellium arbor eſt aromatica, ſecundum quod in Libro de proprietatibus rerum habetur. Hebræi dicunt hic,cryſtallus:& habet apparentiam,quia numeratur cũ alio lapide.] nempe Onychino.Caietanus in 2.Geneſ.hæc habet:Bdelliũ autem dictio eſt ex Hebræo ducta,videlicet Bedolach:nec eſt certũ quid ſignificet: alij enim carbunculum, alij ſmaragdũ: alij lapillos pretioſos paruos ac rotundos,ex aquis prodeuntes: alij cryſtallum. Quamuis Plinius gummam eſſe ſcribat,diſtillantem ex arbore eiuſdem nominis, & inde congelaſcere, lapidemque fieri.]

RECENTIORES VARII DE BDELLIO

הכרלח

Steuchus in Notis ad 2. Geneſ. Maxima circa hoc nomen tam apud Græcos, quàm apud Hebræos diſcrepantia. Septuaginta hunc lapidem vertunt ἄνθρακα,ideſt, carbunculum,qui lapis eſt fulgidus, ac lucens, vt etiã teſtatur Hieronymus: quamuis ijdem Septuaginta alibi cryſtallum interpretati ſunt: alij ſmaragdum. Hebræi hodie communiter dicunt eſſe cryſtallum.Hebræus autem Hagaon ſentit Bedòlach lapillos eſſe perexiguos ac rotundos, qui ex aquis prodeant. De qua re Aben-Ezra ita ait: Vir excellentiſſimus opinatur Bedòlach eſſe lapillos paruos ac teretes, qui ex aquis emergant, qui minime craſſi ſunt. Plinius autem bdellium gummi eſſe ſcribit, diſtillans ex arbore eiuſdem nominis: inde congelaſcere, lapidemque fieri. Nicolaus autem id ignoraſſe videtur, qui ſentiat arborem eſſe aromaticam, neque aliud addit. Verum ſi bdellium gutta eſt, vt vult Plinius, quomodo in fluminibus naſcitur, vt hic traditur?

Quare

Quare obſcuriora ſunt hæc, quàm liceat explicare, vel ad pietatem referat.] Hæc Steuchus: qui in Cap. 2. Coſmopœiæ iſta ſcribit: Ac bdellium incunctanter aſſerendum eſſe vnionem ſeu margaritum, cryſtallum nulla ratione, aut arborem aromaticam, in fluminibus non naſcentia: & hic de lapidibus eſt ſermo. Atteſtantur aliquot Hebræi, ſuffragatur mannæ ſimilitudo. Ego quidem exiſtimo bdellium vniones ſignificare, quia manna in ſacris Litteris huic comparatur Numerorum Libro Capite. 11. vbi dicitur: Species eius erat ſicut ſpecies bedòlach: manna vero ſicut margaritum eſt.] Hactenus Eugubinus; cuius ſententiam, vt verba quoque maiori ferme ex parte mutuatus eſt Lippomanus in Catena Geneſ. 2.

Sanctes in Theſauro ita refert: Bedòlach ſunt qui dicunt teſte Rabbi Dauid in Lib. Radicum, quod eſt lapis pretioſus, qui altero nomine dicitur Iahalom, iaſpis. Alij dicunt quod eſt vnio, id eſt margaritum, ſiue margarita. Hieronymus alludens voci Hebrææ, bdelliũ tranſtulit, quod eſt genus arboris nigræ ſecundum Plinium: vnde non videtur quadrare, cum omnes Hebræi genus dicant eſſe lapidis pretioſi, & ex ſacris Litteris habeatur, albi coloris eſſe. Quamquã puto Diuum Hieronymũ non intellexiſſe de bdellio Latina voce, ſed Hebraicum dimiſiſſe nõ interpretatum Geneſ. 2. v. 12. Ibi bedòlach. Thargum quoq. dimiſit hic vocem Hebræam transferens *Bedalucha*. Hagaõ Rabbi Saadjah exponit margaritum. Vnde dixit, quòd bedòlach ſunt lapilli rotundi, qui egrediuntur ex aqua, & ſunt tenues, quibus aſſimilatur manna: vnde ſcriptum eſt Numeror. 11. v. 7. Et man, id eſt manna, ſicut ſemen coriandri erat: & color eius ſicut color habedòlach, margariti. Et ſic ex hoc textu habetur, quòd erat hic lapis coloris albi, vt erat manna. Vnde margaritum eſt eius recta interpretatio, non iaſpis, non cryſtallus, vt quidam putauere. Rabbi Abraham ſequitur Hagaon.] Hucvſq. Sanctes, cuius integra verba Honcala tranſcripſit in 2. Geneſ. Sed notes Hagaon non eſſe nomen proprium, ſed nomen dignitatis, quaſi dicas, Iuris interpretem, quòd eiuſmodi Rabbini eſſent interpretes Thalmud, de quibus plura in Cabbalah Hiſtorica R. Abraham Leuitæ; ſonat magnificum, excellentem. Adito Genebrardum varijs locis Chronographiæ.

יהלום

בדלחא

PLVRES CENSENT ESSE MARGARITAS.

Vatablus in 2. Geneſ. annotat: Bedòlach quidam dicunt eſſe nomen lapidis pretioſi: alij nomen arboris. Scribit enim Plinius bdellium eſſe arborem quæ creſcit non longe à Sinu Perſico in finibus Meſopotamiæ. Vnde colligitur partem Meſopotamiæ eſſe Paradiſum, ſaltem Paradiſum in Meſopotamia eſſe.] Hæc ille, ſuppetias ſcilicet Meſopotamico Paradiſo ferens.

Oleaſtrius de Bedòlach ita diſſerit in 2. Geneſ. & 11. Numer. Admonui in Canonibus Hebræos ignorare quid propria nomina lapidum pretioſorũ, animalium, fluminum, & auium ſignificent, ideo non eſſe illis fidendum in huiuſmodi. Eſt tamen coniectura magna ex C. 11. Numerorum, eſſe margaritum, ſiue magnum ſiue paruum, quod noſtri vocan *perola*, ſi ſit magnum; grana vero parua vocant *aliofar*. Dicitur enim in loco citato, quòd man erat ſicut ſemen coriandri, & color eius ſicut color habedòlach: cum autem color man fuerit albus, ſequitur habedòlach albi coloris eſſe. Vnde recta inter-

interpretatio huius nominis eſt margaritum.]

Mercerus hæreticus in Theſauro: Bedolach, alij tradunt colore vnguis humani ſpeciem referre: appellatur autem tam arbor ipſa, quàm gummi ex ea profluens hoc nomine bdellium. Ioſephus quoque ſpeciem ſcribit eſſe aromatis. Priſcianus Lib.1. Bdellium, inquit genus eſſe lapidis. Pro eo ſunt qui teſte Hieronymo in Quæſtionibus Hebraicis, carbunculum transferant. Rabbi Scelomoh Numer. 11. cryſtallum putat.]

Marinus in Arca Noe: Bedolach, nomen formæ maſculinæ, quod bis tantum legitur in Scriptura ſacra, & quid ſignificet pene ignoratur. Inuenitur in regione Hauilæ, & omnibus Hebræis eſt lapis pretioſus, aliquibus albi coloris, qui perforatus torquem ad ornatum colli perficit, margaritum (*perla*:) alijs iaſpis, alijs cryſtallum, alijs tandem adamas. At bdellium vox Hebræa ſcilicet, Plinio eſt arbor. Ego quantum coniectura aſſequi poſſum, ebenum quod India fert, eſſe arbitror. Tu locos diligentius expendito. Geneſ. 2. 12. Ibi (eſt) bedolach, & lapis Soham. Hinc fortaſſe colligitur, quòd non ſit lapis: nam dicendum fuiſſet: Ibi lapis bdellium, & Soham. Numeror. 11. 7. Et color eius (mannæ ſcilicet) vt color bdellij: hoc eſt coloris buxei, quem refert ebenum extrinſecus, vt Suidas eſt auctor.] Hæc Marinus.

Dauid Pomarius in Germine, cryſtallum interpretatur. Equidem Rabbinica lingua Hebræi cryſtallum vocant *Bedolecha*. Impij Iunius & Tremellius in 2. Geneſ. annotant: Bdellium quibuſdam arbor quam Dioſcorides Bdolochon vocat. Hebræi putant adamantem: ſed nolunt aliqui intelligi lapidem, quòd ei nomen lapidis non præponatur vt onychæ.] Hæc illi. בדולחא HEBRAEI CRYSTALLVM VOCAN BEDOLECHA.

Pererius Lib. 3. in Geneſ. ait: Auguſtinus Eugubinus, & Hieronymus Oleaſter arbitrantur, bedolach eſſe id quod Latini appellant margaritum ſeu vnionem, Vulgo *perla*: nam in Libro Numerorum Cap. 11. dicitur, Manna fuiſſe quaſi ſemen coriandri, & colorem eius ſicut eſt color bedolach: ſic enim ibi eſt Hebraice: cum autem color mannæ fuerit albus, neceſſe eſt bedolach fuiſſe albi coloris, ſicut eſt margaritum. Sed profecto & ipſi Hebræi confitentur, & perſe manifeſtum eſt, huiuſmodi nomina propria pretioſorum lapidum, fluminum, & arborum quæ ſunt in Scriptura Hebraica, quid proprie ſignificent, in obſcuro & in incerto eſſe: quo fit vt Scripturæ Interpretes tam Græci quàm Latini ea ſæpe tranſtulerint, non qualia ſunt Hebraice, ſed qualia reperiebantur apud Græcos & Latinos, illis ſimilitudine aliqua & proportione reſpondentia.] Hæc ille. Sed quid ſibi volunt iſta poſtrema? Vel enim Interpretes cum ſic transferunt, ad veritatem Fontis, ſeu rei ipſius reddunt, vel non: illud primum cum verbis Pererij pugnat: hoc poſterius de Vulgato ſentire impium: de alijs ſic promiſcue Græcis & Latinis audax, & indecorum. Sed in 11. Numeror. v. 7. ait, Bdellium perlam quidam eſſe volunt. Yſtella præceptor noſter in 2. Geneſ. Bdellium, inquit Plinius, gummi eſt arboris etiam ſic dictæ, velut lacryma lucida, guſtu amarum, ſed odoratius infuſione vini: alij dicunt eſſe carbunculum, alij cryſtallum, Rab. Dauid eſſe iaſpim: ſed potius exiſtimo cum Rabbi Hagaon vniones eſſe, ſeu lapillos pretioſos, qui ſi magni fuerint, apud nos dicuntur *Perlas*, ſi parui, *Aliofar*: nam & Numer. 11.

dicitur, color man erat ſicut color habedolach, cuius color ſimillimus eſt colori man.] Sic ille. Hactenus de Recentioribus.

SEPTVAGINTA VARIE EXPONVNT BEDOLACH. Septuaginta Interpretes in Geneſi, vel S. Hieronymo teſte in Traditionibus Hebraicis, Bedolach verterunt carbunculum: in Numeris vero cryſtallum. Fe me Patres omnes hoc loco Geneſis pro Bedolach, legunt carbunculum, vt Tertullianus Lib. de Geneſ. Cap. 2. S. Ambroſius Lib. de Paradiſo Cap. 3. S. Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi ad litteram Cap. 7. S. Chryſoſtomus Homil 13. in Geneſ. Claudius Marius Victor Lib. 1. Carminum in Geneſ. Seuerianus & Procopius Gazæus in Catena Græca Geneſ. 2. S. Anaſtaſius Sinaita Homil. 8. in Hexaemeron, & alij: immo vetus Latina Editio ante hanc noſtram Vulgatam, carbunculum habebat, vt ex S. Hieronymo in Traditionibus liquet.

Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo C. 28. legit: Ibi bedolah. Ferunt in pleraque huius fluminis arena, atq. in ipſa ripa aurum probum, admirandaſq. margaritas vbertim reperiri. Hebræum enim bedolath gemmas vocat: alij bedolath candidos vniones ſignificare exiſtimant.] Tantum ille.

BDELLIVM ARBOR. Vulgatus Interpres tam Geneſ. 2. 12. quam Numer. 11. 7. bedolach reddidit bdellium. Bdellium Plinio arbor eſt, de qua Lib. 12. Cap. 19. hæc prodit: Vicina eſt Hircaniæ Bactriana, in qua bdellium nominatiſſimum: arbor nigra eſt, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici, naturaque. Gummi alij brochon appellant, alij malachram, alij maldacon. Nigrum vero, & in offas conuolutum hadrobolon. Eſſe autem debet tranſlucidum, ſimile ceræ, odoratum, & cum fricatur, pingue, guſtu amarum, citra acorem. In ſacris vino perfuſum odoratius. Naſcitur & in Arabia, Indiaque, & Media, ac Babylone. Aliqui peraticum vocant ex Media aductum. Facilius hoc & cruſtoſius, amariuſque: at Indicum humidius & gummoſum.] Hæc Plinius.

Coniecturæ noſtræ de Bedolach ſiue Bdellio. *Cap. XXXXIV.*

FORSAN non inepte cum Sancte, alijſque cenſebimus Vulgatum cum pro bedolach tranſtulit bdellium, non intellexiſſe de bdellio arbore à Plinio, alijſq. celebrata; ſed potius voluiſſe relinquere ipſammet Hebraicam vocem bedolach non interpretatam, emollitam tamen atque attemperatam ad Latinum ſonum: ſicque dixiſſe bdellium, (cum ſceua vix pronuntietur) non quidem in Latino aut Græco vocis ſignificato, ſed Hebraico: relicta interim Explanatoribus cura quæ tandem res Hebræis ſit bdellium. Vidimus iam quid alij de bedolach ſenſerint: noſtras nunc damus coniecturas. Auguramur eſſe arborem aromaticam, ſeu aroma ipſum, nempe vel piperis, vel garyophylli, ſed antequam indicia firmemus, reddamus primum quæ Plinius de arboribus piperis & garyophylli perſcribit. Lib. 12. Cap. 7. de Indicis arboribus agens, ait: Paſſim vero quæ piper gignunt, iuniperis noſtris ſimiles: quamquam in fronte Caucaſi ſolibus oppoſita, gigni tantum eas aliqui tradidere. Semina à iunipero diſtant

BEDOLACH FORSAN PIPER, AVT GARYOPHYLLVM.

ſtant paruulis ſiliquis,quales in faceolis videmus. Hæ priuſquam dehiſcant, decerptæ, toſtæque ſole,faciunt quod vocatur piper longum : paulatim vero dehiſcentes maturitate,oſtendunt candidum piper : quod deinde toſtum ſolibus,colore rugiſq. mutatur. Verum & ijs ſua iniuria eſt, atq. cæli intemperie carbunculantur,fiuntq. ſemina caſſa & inania, quod vocant brechmaſin, ſic Indorum lingua ſignificante abortum. Hoc ex omni genere aſperrimum eſt, leuiſſimumque, & pallidum. Gratius nigrum, leniuſq. vtroq. candidum. Non eſt huius arboris radix, vt aliqui exiſtimauere, quod vocant zimpiberi, alij vero zingiberi, quamquam ſapore ſimili.] Et poſt alia ſubdit :

Eſt etiamnum in India piperis grani ſimile,quod vocatur garyophyllon, grandius fragiliuſq. Tradunt in Indico luco id gigni. Aduehitur odoris gratia.] Hactenus Plinius.

Solinus vero Cap. 55. ait: India arbores piperis oſtentat, quas ad iuniperi ſimilitudinem diuerſos fructus edere aſſeuerant. Eorum qui primus erumpit, velut coryolorum fimbria, dicitur piper longum : quod incorruptum eſt, piper album : quorum cutem rugoſam & torridam calor fecerit, piper nigrum : qui demum caducus torretur feruido ſole, vocamen trahit de colore : at qui ex ipſa arbore ſtringitur,vt eſt,album piper dicitur.Sed vt piper ſola India, ita & hebenum ſola mittit.] Hæc Solinus. vide quoque Theophraſtum Lib. 9. Cap. 22. Dioſcoridem Lib. 2. Cap. 176.

Quibus mire conſonant, quæ noſtri Recentiores de hiſce ſpeciebus aromaticis tam multa perſcripſerunt : ea vt notiſſima omittimus pluribus explicare. Certum quidem eſt garyophylli arborem lauro ſimilem, botros racemorum inſtar fundere, quorum oblongiuſcula grana primum viridi colore, dein candido, poſtremo flauo conſpici : vulgo *Clauos* vocant, à clauata forma, apice prominente cum quatuor denticulis ſtellatim conformatis.

Ergo vt ſuſpicemur bedolach eſſe arborem aromaticam, ſeu aroma, vel piperis, vel garyophylli,hæc habemus argumenta : ARGVMENTIS OSTENDITVR.

I. Quia Ioſephus paraphraſtice reddens locum illum Numer. 11. 7. *Erat autem man quaſi ſemen coriandri, coloris bdellij*: hæc ait Lib. 3. Antiq. Cap. 1. Iudæi vero nouo cibo læti fruebantur : qui ſuauitate ad mellis dulcedinē accedebat : aſpectu vero ad aromatis ſimilitudinem, quod bdellium dicitur ; magnitudine coriandri ſemini ſimilis ; cumque pro ſe quiſque certatim colligebant.] Vides bdellium Ioſepho aromatis ſpeciem fuiſſe.

II. Moſen nomine bedolach,non lapidem aliquem pretioſum,ſed arborē, vel aroma intellexiſſe;inde pleriq. ſumunt,quòd non dixerit, Ibi lapis bedolach, & Soham. Sed ſoli Soham nomen lapidis præpoſuerit, non ipſi bedolach: at ſi arborem Indiæ propriam à præſtantia & ſingularitate Moſes celebrare voluit,vt eſt rationi conſentaneum, voluiſſe, nulla eſt in India arbor laude dignior ob mirificam bonitatem & virtutes, pipere ipſo, vel garyophyllo.

III. Si veriſimile eſt Moſen nomine bedolach commendare voluiſſe Paradiſiacam aliquam miræ præſtantiæ arborem,vel aroma: hoc certe non aliud quàm piperis aut garyophylli eſſe, non obſcure videtur S. Hieronymus indicaſſe verbis illis de Phiſonte : Circuit totam terram Heuilath,& multa

genera pigmentorum de Paradiſi dicitur fonte deuehere.] Et clarius Philoſtorgius de Phiſonte: Ad cuius fluminis ripas inuenitur quod garyophyllum vocatur; ſiue id fructus, ſiue flos eſt. Et perſuaſum habent qui ibi habitant homines, arborem eius, ex eis quæ in Paradiſo ſunt, vnam eſſe. Quòd autem is fluuius florem eum adfert.] &c. At iſta S. Hieronymus & Philoſtorgius vt multorum ſermone celebrata deſcribunt: & ſatis innuunt, quæ Moſes de bedolach dixit, intellexiſſe ipſos de pigmentis & garyophyllo, ſeu pipere, quæ Ganges ex Paradiſo ſuis vndis deuehit.

Vnde conſulto videri poſſit poſitum illud à Vulgato: *Ibique inuenitur bdellium.* nimirum eiectum aroma piperis, ſeu garyophylli in ripas à Gange, quod ipſe ex Paradiſo detuliſſet.

Si quis vero malit deſcriptam à Moſe ipſam arborem vel piperis vel garyophylli; non pugno: quaſi laudet Moſes bonitatem terræ Euilath in India, quæ arborem & fructum eiuſmodi, alibi ſaltim ea præſtantia non repertum, gignat.

LOCVS I NVMER. XI. ILLVSTRATVS. Porro hanc piperis, ſeu garyophylli notionem loco Numer. 11.7. de bedolach, apte congruere oſtendamus: verba Moſis in Fonte ſunt: *Et man ſicut ſemen coriandri ipſe: & oculus eius ſicut oculus habedolach.* Forſan innuit man habuiſſe quoſdam ocellos, & fuiſſe quaſi ocellatum quibuſdam cauitatibus & rugis; quemadmodum genus illud dulciarij ex ſaccaro quod Hiſpanice vocamus *gragea*: quam ſpeciem piper contractis rugis ſcite refert: q. d. man, quod erat inſtar *grageæ*, erat ocellatum & rugoſum vt bedolach, ideſt, piper: nempe magnitudine erat man coriandri ſemini ſimile: forma vero piperi. Vel indicat Moſes man habuiſſe oculum inſtar garyophylli, hoc eſt, illius apiculi prominuli, qui in flore vel fructu garyophylli ex quattuor denticulis ſeſe ſtellatim decuſſantibus, vmbiculatim in medio veluti oculus erumpit: vt man magnitudine coriandro, forma vero deciduo flori garyophylli ſtellato & ocellato fuerit ſimile.

Quod ſi oculum, Hebraica phraſi, cum noſtro Vulgato pro aſpectu & colore ſumimus, velit dicere Moſes, man magnitudine quidem fuiſſe coriandri, ſpecie vero & colore candido vel ſufflauo piperis, vel garyophylli: nam iam diximus ſupra ex Plinio ac Solino piper maturum eſſe album, vt etiam garyophyllum: poſt, flaueſcere. Comparauit ſane Moſes colorem man, piperi aut garyophyllo quamuis coloribus vulgo minus notis, quod man præter colorem, magnitudinem quoque ſpeciem & formam cum pipere, vel garyophyllo conſimilem maxime gereret: denique ob præſtantiam. Expendat cuncta diſertus priuſquam reijciat.

Verum ne ſimus opinionis noſtræ nimium amantes, dicamus quod ceteri fere omnes dixerunt, vt ſuperiore Capite vidimus, Bedolach eſſe vnionem, ſeu margaritas; maiuſculas vocant Hiſpanice *Perlas*, minuſculas, *Aliofar*: atq. idcirco nomini bedolach non præpoſuiſſe Moſen lapidis vocabulum, vt Soham, quòd margaritæ nequaquam inter lapides pretioſos cenſeantur à rerum peritis. Margaritarum & vnionum conſiderationem late exequitur Plinius Lib. 9. Cap. 35. & innumeri Recentiores. Porro vt rem ſingularem, & eximiam tradit Moſes in terra Indiæ Heuilath, quam circumit

cumit

cumit Ganges, inueniri margaritas; & quidem Plinius eodem loco Indiam margaritarum feraciſſimam prædicat his verbis: Principium ergo culmenque omnium rerum pretij, margaritæ tenent. Indicus maxime has mittit Oceanus. Inter illas belluas tales tantasq. quas dicimus, per tot maria venientes, tam longo terrarum tractu, è tantis ſolis ardoribus: atque Indis quoque in Inſulas petuntur, & admodum paucas. Fertiliſſima eſt Taprobane & Toidis, vt diximus in circuitu mundi; *nempe Lib. 6. Cap. 22. & Cap. 25.* item Perimula promontorium Indiæ.] Perimulam fuiſſe celeberrimum emporium Indiæ Intra Gangem, idem Plinius ſcribit Lib. 6. Cap. 20.

MARGARITARVM FERAX INDIA.

At quod Plinius addit poſt verba præfata: Præcipue autem laudantur circa Arabiam in Perſico Sinu maris Rubri.] Vnde coniecturam capiunt aliqui, Heuilath in Arabia prope mare Perſicum eſſe; copia quidem ac varietate nullo pacto Arabicæ margaritæ cum indicis ſunt conferendæ. De præſtantia quoque & vbertate Indicarum refert Marcus Paulus Lib. 3. Regionum Orientalium Cap. 23. ſed & S. Hieronymum iam vidimus in Epiſt. ad Ruſticum aſſerentē in terra Gangetica Heuilath naſci margarita cādentia & vniones, quibus nobilium feminarum ardet ambitio.] Et ferme omnes Indicas margaritas celebrant. De margaritis Regni Sinarum refert Ioannes Gonzales Lib. 3. de Reb. Sinar. Cap. 4. Vectigal margaritarum pendere ſingulis annis Regi Sinarum vicies ſexies centena millia aureorum.

ET SINA.

Neque porro contemnendum eſt quod Septuaginta Interpretes, & tot Patres bedolach carbunculum exiſtimauere, vt Capite præcedenti notauimus: ſed hos mirifice quoque in India prouenire, Plinius Lib. 37. Cap. 7. multis oſtendit. Cryſtallum dixerunt Septuaginta in Numeris; de qua hæc Plinius Lib. 37. Cap. 2. Oriens & hanc mittit, ſed Indicæ nulla præfertur.]

In tanta ſignificatus bedolach obſcuritate, & aliorum iudicia, & noſtrum poſuimus, ſuum nunc Lectori permittimus; meliora dare nequiuimus.

Et Lapis Onychinus. *Cap. XLV.*

HEBRAICE, Et lapis *Soham*. Aliorum de lapide pretioſo Soham ſententias audire iuuat. Sanctus Hieronymus Epiſt. ad Fabiolam de Veſte Sacerdotali, explicans illud Dei ad Moſen mandatum Exod. 28. 9. vt in vtroque humero ſummi Sacerdotis poneret ſingulos lapides onychinos; hæc ſcribit: In vtroque humero habet ſingulos lapides clauſos, & aſtrictos auro, qui Hebraice dicuntur Soham, ab Aquila & Symmacho, & Theodotione onychini, à Septuaginta ſmaragdi transferuntur: Ioſephus ſardonychas vocat cum Hebræo, Aquilaque conſentiens, vt vel colorem lapidum, vel patriam demonſtraret.] Verba Ioſephi Lib. 3. Antiq. Cap. 8. & Lib. 6. Belli Cap. 6. hæc ſunt: In vtroque autem humero ſinguli ſardonyches auro incluſi, fibularum vice epomidem annectunt.] Et Lib. 3. Antiq. Cap. 9. Ex lapillis autem

שהם SOHAM QVID, VARIE SENTITVR A MVLTIS.

autem quos Pontifex in humeris geſtabat,(Sardonyches erant, quorum naturam nulli non notam narrare ſuperuacaneum puto) micabat alter quoties litatum eſſet.] At Philo Lib. de Monarchia ſecutus Septuaginta interpretes, duas illas gemmas ſmaragdos fuiſſe exiſtimat. Sed de Soham hæc Caietanus in 2. Geneſ. Ambiguum eſt de lapide iuxta Hebræum appellato Soham: nam alij lapidem onychinum,alij ſmaragdum, alij ſardonychem:& vt vno verbo dicatur,nomina propria lapidum,auium,& locorum incerta valdę ſunt apud Hebræos: periiſſe enim notitiam eorum aiunt.]

GEMMARVM NOMINA NESCIVNT HEBRAEI.

Steuchus in 2.Geneſ.Soham,Aquila,Symmachus, & Theodotion onychinum ſunt interpretati. Septuaginta in Exodo ſmaragdum verterunt: Ioſephus dicit eſſe ſardonychem: Septuaginta in Geneſi vertunt, lapis praſinus, qui, vt nomen indicat, viridis ac coloris herbacei eſt: at onychinus potius ad candorem vergit ac nigrorem: vnguis enim humani ſimilitudinē, vnde dictus eſt,imitatur: quare longe alius eſt is ab illo. Cum Hieronymo aliqui Hebræorum ſentiunt, præſertim Hagaon, qui de eo lapide hæc perhibet: Soham lapis pretioſus eſt candidus ac impermiſtus. Deinde addit Aben Ezra: Nos autem hæc ignoramus. Quam ob rem etiam Hebræi ſe proprie quales ij lapides ſint, neſcire ingenue fatentur. Cur itaque mirum ſi & Hieronymus,& Septuaginta à ſe inuicem diſcrepant? Quamquam Hieronymus ſecutus ſit alios Interpretes, qui onychinum verterunt, vt ipſe teſtatur in Quæſtionibus Hebraicis.] Tantum ille. Cuius priora verba Lippomanus in ſuam Catenam tranſcripſit.

Sed in 2.Cap.Coſmopœiæ idem Steuchus hæc annotat: Quod autem noſter Interpres vertit onychinum, lapis eſt ad ſimilitudinem vnguis,à quo & dictus. Chaldæus dixit Burla, ideſt, beryllum; Septuaginta praſinón, ideſt, porraceum, quaſi hoc ipſum quod & Chaldæus. Rabbi Moſes lapidem album. Id ſcilicet quod & Hieronymus,Aquilam & Symmachum ſecutus; talis enim fere eſt onyx.] Hactenus Steuchus.

Oleaſtrius in 2.Geneſ.Soham,aliqui vertunt onychinum,qui eſt lapis pretioſus habens candorē humani vnguis,vulgo *cornerina*, cuius meminit Scriptura Exod.25.& 28.& 35.& Iob.28. ex quibus locis nullam potui habere coniecturam ad ſciendum qui lapis fuerit. Et ſi eſſet à radice Sauè, ſignificaret lapidem vndique æqualem,quoniam Sauah eſt æquare, adæquare.] Eadem repetit in 28. Exodi. Nec plura Pererius addit. Mercerus exiſtimat lapidem Soham eſſe, quem Arabice vocant *Al belor*, quod vicinum eſt voci berylli.]Marinus in Arca Noe inquit: Soham,nomen lapidis pretioſi formę maſculinæ,quem fert Heuilah regio, & communiori ſententia onyx eſſe creditur.Quamuis ſi coniectare licet, ego potius beryllum in India naſcentem, ſicut & Chaldæus *burlah* habet, eſſe dicerem.]

שוה
שוה
אל בלור
בורלא

Montanus in Libro Aaron: Soham Latini fere omnes onychem vertunt: Chaldaica vero & Arabica interpretatio manifeſte docent fuiſſe beryllum: vocatur enim perpetuo à Chaldæis,*burlah*, ad Arabibus vero *belor*, ita vt in vtraque lingua tres radicales conſonantes berylli agnoſcantur.] Et poſt alia ſubdit: Soham,beryllum eſſe ſuperius diximus, ex perpetua Chaldæorum Paraphraſton interpretatione, qui reddunt *burlah*: noſtri onychem vertunt: ſed onychis multa genera ſunt, nobis vltra decem videre contigit: decem &

בורלת
בלור
בורלא

octo oſtenſurum ſe Iacobus Trezzius Mediolanenſis amicus noſter pollicebatur: inter quæ berylli fortaſſis enumerantur: nam & beryllorum non vnũ genus eſſe ex antiquis accepimus: inæquales enim beryllos appellat Satyricus. Accepimus ab eodem Iacobo beryllum pallentem cryſtallinum: qui etiam lacteum ſe nobis quærere aiebat. Hanc gemmam Soham Hieroſolymitanus *bedulchah* vocat, affini vocabulo beryllo: namq. r, in d, vt Rodanim, Dodanim, mutari, iam alias docuimus: Arabice etiam vocari *al belor* diximus.] Tantum Arias.

Iuuenal. Sat. 2.

שהם
בדולחא
אלבלור

Septuaginta, Soham, præterquam Iob. 28. 16. de quo Cap. ſequenti, perpetuo dixerunt ſmaragdum, vel praſinum, vt in hoc loco Geneſ. vbi habent: Ibi eſt carbunculus & lapis praſinus.] Illud ſecuti ſunt Patres illi omnes quos Cap. 43. retulimus pro bedolach cum Septuaginta legiſſe carbunculum: vnde Tertullianus, vel potius S. Cyprianus, vt mauult Pamelius, Lib. de Geneſi Cap. 2. canit:

Phiſon auriferis prædiues fluctuat vndis,
Conſpicuaſque terit rauco de gurgite gemmas:
Praſinus huic nomen eſt, illi eſt carbunculus ardens:
Perſpicuuſq vadis terram prælambit Euilat.

SEPTVAGINTA ET PARTES SOHAM REDDVNT SMARAGDVM,

Et Claudius Marius Victor Lib. 1. in Geneſ.

Hic vbi fulmineo rutilans carbunculus igne,
Ac viridi radiat fulgeſcens luce ſmaragdus.

De Praſio lapide & chryſophaſio] hæc Plinius Lib 37. Cap. 8. Viridantium *gemmarum* & alia plura ſunt genera. Vilioris eſt turbæ praſius: cuius alterũ genus ſanguineis punctis obhorret: tertium virgulis tribus diſtinctum, eſt candidum. Præfertur his chryſopraſius, porri ſuccum & ipſa referens, ſed hæc paulum declinans à topazio in aurum. India & has generat.]

Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo C. 21. & 28. ſecutus Chaldæos & Arabes Interpretes, Soham beryllum expoſuit: in qua ſententia Mercerum, Marinum, Montanum, & alios recentiores reperimus: de beryllo hæc Plinius Lib. 37. Cap. 5. Eandem, *cum ſmaragdis*, multis naturam aut certe ſimilem habere berylli videntur, in India originem habentes raro alibi reperti. Poliuntur omnes ſexangula figura artificum ingenijs, quoniam hebeſcunt, ni color ſurdus repercuſſu angulorum excitetur. Aliter enim politi non habent fulgorem eundem. Probatiſſimi ſunt ex ijs qui viriditatem puri maris imitantur: proximi, qui vocantur chryſoberylli, & ſunt paulo pallidiores, ſed in aureum colorem exeunte fulgore.] Eadem Solinus Cap. 55.

Verum cunctis probe perpenſis, tutius cẽſemus cum Aquila, Symmacho, Theodotione, Kimchio, & Hebræorum quibusq. doctiſſimis, atque cum Recentioribus Lyrano, Complutenſi Lexico, Reuchlino, Sancte, Vatablo, Alfonſo Camorenſi, Bonauentura Bertramo, Yſtella, alijſq. Hebraice peritis, Soham eſſe Onychem. Inconcuſſaq. noſtri Vulgati Interpretis auctoritas maneat, qui Soham ſemper reddidit lapidem onychinum, præterquam Iob. 28. verſ. 16. vbi dixit Sardonychem, de quo tamen Cap. ſequenti agemus. At de Sardonyche & Onyche reddamus quæ Plinius ex magnis auctoribus accepit, Lib. 37. Cap. 6. ait: Claudius Cæſar ſmaragdos inducbat, & ſardonychas. Primus autem Romanorum ſardonyche vſus eſt prior Africanus, vt

VVLGATVS ONYCHEM. QVID SARDONYX.

tradit

tradit Demoſtratus, & inde Romanis hanc gemmam fuiſſe celeberrimam. Quamobrem proximum ei dabimus locum. Sardonyches olim, vt ex nomine ipſo apparet, intelligebantur candore in ſarda, hoc eſt, velut carnibus vngue hominis impoſito, & vtroque tranſlucido. Taleſq. eſſe Indicas tradunt Iſmenias, Demoſtratus, Zenothemis, Sotacus: hi quidem duo reliquas omnes, quæ non traluceant, cæcas appellantes, quæ nunc nomen abſtulere. Nullo ſardarum veſtigio Arabicæ ſunt: cœperuntq. pluribus hæ gemmæ coloribus intelligi, radice nigra, aut cæruleum imitante, & vnguem: creditum enim candido pingi, nec ſine quadam ſpe purpuræ, candore in minium tranſeunte. Has Indis non habitas in honore Zenothemis ſcribit, tantæ alias magnitudinis, vt inde capulos factitarent. Etenim cõſtat ibi torrentibus detegi, Et placuiſſe in noſtro orbe initio, quoniam ſolæ prope gemmarum ſcalptæ, ceram non auferrent. Perſuaſimus deinde & Indis, vt ipſi quoque ijs gauderent. Vtiturq. perforatis vtique vulgus tantum in collo: & hoc eſt nunc Indicarum argumentum. Arabicæ excellunt candore circuli prælucido atque non gracili, neque in receſſu gemmæ aut in deiectu renitẽte, ſed in ipſis vmbonibus nitente, præterea ſubſtrato nigerrimi coloris. Et hoc in Indicis cereum aut corneum inuenitur, etiam circuli albi: quædam in ijs cæleſtis arcus anhelatio eſt: ſuperficies vero locuſtarum maris cruſtis rubentior. Iam melleæ aut fæculentæ (hoc enim nomen eſt vitio) improbantur, & ſi zona alba fundat ſe, non colligat. Simili modo ſi ex alio colore in ſe admittat aliquid enormiter. Nihil enim in ſua ſede alieno interpellari placet. Sunt & Armeniacæ, cetera probandæ, ſed pallida zona.

QVID ONYX. Exponenda eſt & onychis ipſius natura, propter nominis ſocietatem: hoc in gemmam tranſilit ex lapide Carmaniæ. Sudines dicit in gemma eſſe candorem vnguis humani ſimilitudine: item chryſolithi colorem, & ſardæ, & iaſpidis. Zenothemis Indicam onychem plures habere varietates, igneã, nigram, corneam, cingentibus candidis venis oculi modo, interuenientibus quarundam oculis obliquis venis. Sotacus & Arabicam onychem tradit: ſed eam à ceteris diſtare, quòd Indica igniculos habeat albis cingentibus zonis ſingulis pluribusuè, aliter quàm in ſardonyche Indica. Illic enim momentum eſſe, hic circulum. Arabicas onychas nigras inueniri candidis zonis. Satyrus carnoſas eſſe Indicas, parte carbunculi, parte chryſolithi & amethyſti, totumq. id genus abdicat. Veram autem onychem plurimas variaſq. cum lacteis zonis habere venas, omnium in tranſitu colore inenarrabili, & in vnum redeunte concentum ſuauitate grata. Nec ſardæ natura differenda eſt, diuiduæ ex eodem nomine.] Hactenus Plinius; cuius verba Rueus Lib. 1. de Gemmis Cap. 5. paraphraſtice reddidit. At recte dixit Plinius ſardonychem nomen eſſe compoſitum ex ſarda & onyche: de ſarda hæc idem Lib. 37. Cap. 7. Ad ſcalpturas ſarda vtiliſſima, quæ nomen cum ſardonyche communicauit. Ipſa gemma vulgaris, & primum Sardibus reperta, ſed laudatiſſima circa Babyloniam, cum lapicidinæ quædam aperirentur, hærens in ſaxi corde. Sed inueniuntur compluribus alijs locis, ſicut in Paro & Aſſo. In India trium generum, rubrum, & quod demium vocant à pinguedine, tertium quod argenteis bracteis ſublinitur. Indicæ perlucent, craſſiores ſunt Arabicæ. Inueniuntur & circa Leucada Epiri, & circa Aegyptum,

ptum,quæ bractea aurea ſublinuntur. Et in his autem mares excitatius fulgent: feminæ pinguiores ſunt,& craſſius nitent. Nec fuit alia gemma apud antiquos vſu frequentior. Nec vllæ tranſlucentium tardius ſuffuſo humore hebetantur,oleoq. magis,quam alio liquore. Damnantur ex his melleæ, & validius teſtaceæ.] Tantum Plinius.

Quidam vt concilient Vulgatum cum Chaldæo Paraphraſte, & Septuaginta Interpretibus,aiũt,onychem aliquam,eſſe berylli ſpeciem. vt ex Montano vidimus, & ſardonychas inueniri coloris ſubuiridis,ſimiles ſmaragdis, ac praſijs,quod teſtatur S.Epiphanius Lib.de Duodecim gemmis: immo addit, quandam ſardonychis ſpeciem dici molochitem: porro molochites à maluæ colore nomen accepit, de qua Plinius Lib.37. Cap.8. & Solinus C. 36.Forſanq. Septuaginta nomine ſmaragdi, aut praſij non intellexiſſe proprie niſi gemmas vniuerſe ſubuirides,qualis interdum eſt onyx ſeu ſardonyche. At de onyche & ſardonyche plura S. Epiphanius libello de Duodecim gemmis,S.Iſidorus Lib.16. Etymolog. Cap. 8. Nilus Metropolita Rhodius Lib.de Lapidibus & eorum theoria,Franciſcus Rueus Lib. 1. de Gemmis C. 5. Chriſtophorus Encelius Lib. 3. Ioannes Pineda in 28. Iob verſ. 16. nobis enim ad inſtitutum dicta ſatis.

CONCILIANTVR SEPTVAGINTA CVM VVLGATO.

Sanctum Iobum quoque celebraſſe aurum Indiæ, & lapidem onychinum à Moſe Geneſ. 2. deſcripta. Cap. XLVI.

PRAESTANTIAM diuinæ ſapientiæ,quæ cuncta pretioſiſſima ſuperet, prædicans S.Iob Cap. 28. verſ. 16. ait: *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi ſardonycho pretioſiſſimo.* Hebræa ad verbum: *Non æſtimabitur in gruma auri Ophir,in Soham pretioſo.* magis ad verbum: *Non conculcabitur in maſſa*, aut fruſto,*auri Ophir.* quoniam conculcet reuera ſapientiam, qui eam auri pretio velit æſtimare. *Chetem*, proprie eſt, nota, macula, inſigne; transfertur ad ſignificandum grumam, fruſtum,maſſam auri: & vereor magis, ad indicandum aurum inſigne,ſeu primæ notæ,vel præſtantiſſimæ indicaturæ: aut ſi mauis, aurum maculoſum,tinctum à colore fuluo,& fulgente. Rabbi Iona, & Rabbi Himmanuel in Pſalm. 44. volunt *Chetem* interdum ſignificare margaritas: & noſter Interpres Prouerb. 25. 12. reddit *margaritam fulgentem*. De Ophir diximus abunde Lib.3.de Antichriſto: fuit enim frater Heuilah,& vterq. regiones Indiæ,quas incoluere,de ſuo nomine vocarunt. Ergo cum hic Iob inter pretioſiſſima celebret aurum Ophir, nempe Indicæ regionis,proximæ & vicinæ Heuilath;& margaritas,& lapidem Soham,nempe onychem;ſatis aperte reſpexiſſe videtur ad verba Moſis Gene.2. *Et aurum terræ.* Heuilath,Indiæ, *optimum. Ibi inuenitur bdelliũ*,ideſt, margaritæ,*& lapis onychinus.* Septuaginta in Iob dixerunt: *Non conferetur auro Sophir in onyche pretioſo.* S.Auguſtinus habet Ophir; Sed Septuaginta pro Ophir ſolent dicere Sophir: Olympiodorus notat recte, Sophir eſſe regionem apud Indos, in qua tum pretioſi lapides, tum aurum præſtantiſſimum procreetur.]

כתם QVID CHETEM.

S Noſtri

Noſtri Interpretis *tinctos Indiæ colores*, pleriq. exponunt optimã tincturã colorum Indicorum, quibus optima quæque inficiuntur, vnde Virgilius, *Indum purpureo ſiquis violauerit oſtro ebur*. S. Thomas & alij malunt intelligi diuerſorum colorum gemmas & lapillos pulcherrimos quos India fundit: ap-
כתם poſite, nam *Chetem* Hebræis, pretioſa quæque, & inſignia notat: & margaritas, vt diximus. Curioſiores exiſtimant, non aliud dixiſſe Vulgatum quàm quod Hebraice legitur: tinctosque Indiæ colores, intellexiſſe aurum Ophir. Critici rixas Interpreti mouent: immerito, qui recte nouit *Chetem* aurum ſignificare vt Canticor. 5. v. 11. & Danielis 10. 5. ſed diximus *Chetem* ſignificare aurum à nota, macula, vel colore: inſuper S. Hieronymus Epiſt. 140.
ASSERITVR VVLGATVS. ad Principiam elucidans illud Pſalm. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato.* quod Hebraice eſt, *In auro Ophir: Becbetem Ophir:* ait, Aquilam, Quintam & Sextam Editionem reddidiſſe, In tinctura Ophir: ſubditq. S. Hieronymus: Ophir genus auri eſt vel à loco Indiæ, vel à colore nomine indito.] Et Plinius Lib. 33. Cap. 3. Aurique experimento ignis eſt, vt ſimili colore rubeat, quo ignis: atque ipſum obryſum vocant.] Et S. Iſidorus Lib. 16. Etymologiarum, Cap. 17. Aurum obrizum quòd obradiet ſplendore, ſitque co-
כתם loris optimi.] Et Thrænor. 4. 1. *Mutatus eſt color optimus*. Hebr. *Chetem*, aurum. Et Iob 31. 24. Noſter, *chetem*, vertit *obrizum*.

Ergo quòd aurum Ophir ſiue Indicum eſſet optimum, & præſtantiſſimi coloris, inſtarque ignis ruberet: vnde aurum obrizum plerique vocatum
פאר putant quaſi Ophirizum, id eſt, ex Ophir; Ophirq. à *Peer*, hoc eſt, fulgere, ſplendeſcere duci queat: pro Ophir, ſcite dixit Interpres *tinctos Indiæ colores*: hoc eſt, aurum quod India fulgentiſſimum & pulcherrimo colore gignit & tingit: Vide Lib. 3. de Antichriſto Cap. 24. Sed hæc hactenus, Pinedam Iob 18. verſ. 15. adito.

שהם Pro *Soham* Vulgatus Sardonychium poſuit: ſed Olympiodorus & omnes alij Interpretes fere obſeruant Noſtrum pro vno eodemq. lapide ſumpſiſſe onychem & ſardonychem, cum eos voci *Soham* ſupponere promiſcue interpretando in Scriptura ſolet: ob id forſan quòd vt prædiximus ſuperiori Capite, agnatæ gemmæ ſint, & vna ex altera coeat: vel quòd Soham generale nomen ſit ad vtramque: ſed vtram Vulgatus determinate intelligat, incertum. Sardonychem fuiſſe pretioſiſſimam illam gemmam Polycratis Samiorum Tyranni, Herodotus Lib. 3. Cicero Lib. 5. de finibus, Solinus. Cap. 36. affirmant: habes hiſtoriam deſcriptam à nobis Lib. 6. de Antichriſto Cap. 17.

At cum abunde præcedenti capite docuerimus ex Plinio, Sardonyches & Onyches in India & in Arabia gigni, Pater Pineda argumento ex Sardonyche Polycratis, quæ fuit Arabica teſte Solino, & ex patria Iobi, putat hunc ſanctum Vatem hoc loco locutum de Arabico Sardonycho pretioſiſſimo: At nos meliori coniectura, quòd Sardonyches Indicæ ſint meliores, & numeroſiores, auctore etiam Nilo Metropolita; & quòd Iobus loquatur de India; & quòd proculdubio ad locum Moſis Geneſ. 2. de auro, margaritis, & onyche terræ Indiæ alluſerit, aptius exiſtimamus, intellexiſſe de Sardonycho Indico pretioſiſſimo.

Ceterum cum ſacratus Moſes terram Indiæ Heuilath quam Ganges interluit,

terluit, à feraci gemmarum prouentu mirificè commendauerit; oſtendamus iam ex Auctorum externorum quoque fide & ex rei veritate, veriſſimè id ab eo perſcriptum de India, potius quàm de alia regione. Quintus Curtius Lib. 8. Rerum Alexandri, ita de India prodit; Diues regio habebatur, non auro modo, ſed gemmis quoque.] & inferius: Aurum flumina vehunt, gemmas, margaritaſque mare littoribus infundit: neque alia illis maior opulentiæ cauſa eſt.] Sic ille. GEMMIS INDIA OPVLENTA.

Plinius Lib. 37. Cap. 13. Gemmiferi amnes ſunt Aceſines & Ganges: terrarum autem omnium maximè India.] Et Lib. 33. Cap. 1. Turba gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices, ac temulentiæ cauſa tenere Indiam iuuat.] Sed de Indicarum gemmarum opulentia atque præſtantia, plurima Plinius Lib. 37. à Cap. 4. ad 11. & Solinus Cap. 55. atque innumeri Recentiores: & nos non pauca Lib. 3. de Antichriſto, Cap. 22. & 23. Sed de Gemmis Regni Sinarum Ioann. Gonzales Lib. 3. Hiſt. Chinæ Cap. 4. prodit, vectigal annuum gemmarum, quæ pluribus locis toto regno effodiuntur, pendere Regi Sinarum quaterdecies centena ſeptuaginta millia aureorum.

Elucidatur locus Eccleſiaſtici 24. *Verſ.* 34. Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & ſicut Tygris in diebus nouorum: qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum: & aſſiſtens quaſi Geon in die vindemiæ.

Cap. XLVII.

RECTE Ianſenius atque Palatius annotarunt ex Græcis, relatiuum, *Qui*, ad nullum ſuppoſitum commodius referri poſſe quàm ad Deum: qui ſapientiam, & ſenſum, hoc eſt, intelligentiam & prudentiam abundantiſſimè & pleniſſimè hominibus profundit, inſtar ingentium iſtorum fluminum magna aquarum mole fluentium.

Vberiore loci interpretatione Explanatoribus relicta, pauca tantum è propoſito annotabimus. Paulus Palatius cum in ſententiam Eugubini & Vatabli propendat, nec Phiſon eſſe Gangem, nec Geon Nilum; hæc in Commentarijs huius loci perſcribit: Memor ſum legiſſe me in Auicenna, & in eius explanatore Alpago, in regione Coraſena, ſeu Caraſena, quæ non longè diſtat à Perſia, eſſe fluuium Nilo multo maiorem, qui vocatur Gehon: quem Arabes vna conſenſione dicunt, eum vnum eſſe ex quatuor illis fluuijs Paradiſi. Vide Alpagum in verbo Gehon. Neſcio vero an docti patientur Phiſon eſſe Phaſin, qui ſua magnitudine dignus eſt, qui ex Paradiſo oriri dicatur. Oritur etiam in Armenia, vnde ferè Tygris & Euphrates naſcuntur: Lege Strabonē Lib. 11. Vtcumq. ſit, neſcitur qui fluuij ſint Phiſon & Gehon.] Hæc ille. De Phaſi clariſſimo Ponti amne Plinius Lib. 6. Cap. 4. & alij. At Lector ride Geonem in Coraſena Nilo maiorem, ineptijs Arabum ſomniatum, Straboni, Plinio, Dionyſio, Melæ, Stephano, & cunctis Geographis ignoratū. Equidem Rabbanus, Strabus, Lyranus, Hugo, Ianſenius, Sà, & omnes Eccle- RIDENDVM IN CORASENA ESSE GEONEM NILO MAIOREM.

ſiaſtici Interpretes, hoc loco Phiſontem, & Geonem nullos alios agnoſcunt niſi Gangem & Nilum. Quod etiam Bellarminus Lib. 1. de Gratia Primi Hominis Cap. 12. recte confirmat; & aſſentitur Præceptor noſter Yſtella in 2. Geneſ. Eſſe Phiſontē & Geonem, hos à Sapiente nominatos, illoſmet à Moſe Geneſ. 2. narratos, nullus vnquam dubitauit: ſed quanto cum Auctorum pondere ſuperius oſtendimus & Geonem Nilum, & Phiſontem Gangem?

Scite Ianſenius & Bellarminus annotarunt, recenſeri hic ab Eccleſiaſtico quatuor hæc ingentia flumina ex Paradiſo emanantia, non eo ordine quo ea Moſes deſcripſit, ſed eo potius quem nunc in ſitu orbis obtinent; nam primus ab Oriente ſluit Ganges, deinde Tygris, poſt Euphrates, poſtremo Nilus Occidentalior.

Ferme omnes illud, *in diebus nouorum*, ſic intelligunt, quaſi tempore veris, quando fructus noui producuntur, Tygris magis inundare ſoleat, & campos implere. At non ſolus Tygris ſed & Euphrates in Meſopotamia ſtato tempore creſcunt, vt poſtea dicemus. Menſis nouorum, vel nouarum frugum, meminit Scriptura non ſemel; quem in vernum tempus incidiſſe: & in quo Iſraelitæ ex Aegypto egreſſi ſunt, aſſerit Exod. 13. 4. *Hodie egredimini menſe nouarum frugum.* Et Cap. 23. 15. *Sicut præcepi tibi tempore menſis nouorum, quando egreſſus es de Aegypto.* Et Cap. 34. 18. *Sicut præcepi tibi in tempore menſis nouorum menſe enim verni temporis egreſſus es de Aegypto* Deuteronomij 16. 1. *Obſerua menſem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phaſe Domino Deo tuo: quoniam in iſto menſe eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto.* Quibus locis pro *menſe nouorum*, ſeu *nouarum frugum*, Hebraice eſt *Chodes Abib*, menſis Abib: porro Abib Septuaginta Interpretes Chaldæi Paraphraſtæ, & Noſter Latinus, nouos fructus, vel nouas fruges exponere ſolent. Rabbini putant eſſe ſpicam cum culmo, vel calamo: ſed ferme omnes cum Elia in Thisbi, & Pomario in Tſemach, aiunt eſſe fructum primitiuum, præcocem: nam Chaldæus Paraphraſtes Oſee 9. 10. vtitur verbo *Abeb*, pro præcocem ſeu primum fructum proferre: adduntque eſſe generale nomen ad omnia verno tempore germinantia, & terra naſcentia, ſeu plantæ ſeu fructus ſint: Marinus fructificationem reddidit: κατὰ ἐξοχὴν tamen dicitur de recenti & virenti ſpica, qua ratione Noſter Exod. 9. 31. & Leuit. 2. 14. interpretatus eſt. ... Ioſue 3. 15. ſpicam matureſcentem dixit. Porro hunc eundem me... ... conſtitutum à Deo primum in menſibus anni, in quo ritu per... Phaſe eſſet celebrandum, Exodi 12. late perſcribitur. Sed qua ratione eſſet initium anni, cum alioqui Hebræi ab Aequinoctio Autumnali annum auſpicarentur, alibi dicendum ex profeſſo. Inuenitur autem non ſemel hic idem menſis Abib, appellatus in Scriptura Niſan Nehemiæ 2. 1. *Factum eſt autem in menſe Niſan.* Eſther. 3. 7. *Menſe primo, cuius vocabulum eſt Niſan.*

Quidam à *nus*, dictum putant, quòd eo menſe ex Aegypto Iſraelitæ fugerint. Marinus, quòd eo tempore verno frigus aufugere incipiat. Mercerus potius à *nes*, quòd tunc vere nouo vireſcētes campi vexillorum ſpeciem præbeant. Forſan dictum à trophæo, quòd eo menſe tranſito mari Rubro, & Pharaone cum exercitu ſubmerſo, Deus clariſſimum victoriæ & operum ſuorum trophæum erexerit.

Marginal notes: QVI DIES NOVORVM. — חדש אביב — QVID ABIB. — אבב — ניסן — נוס — נס

Notant

Notant vulgo, nomina menſium propria quibus nunc vtuntur Hebræi, non eſſe proprie Hebraica, ſed Chaldæa potius, aut Perſica, vel Medica; cum ea non niſi in Libris Captiuitatis vt Eſther, Ezra &c. aut in Rabbinorum Commentarijs inueniantur: illud conſtat ante captiuitatem Chaldaicam non extitiſſe, ſed poſtea vel ex Radicibus Hebraicis efficta, vel ex peregrinis linguis Orientis deſumpta: quæ tamen linguæ magnam cum Hebraica cognationem haberent. Ergo primi menſis antiquum nomen Hebraicum eſt Abib, recens vero Niſan. Et volunt quidam Hebræos ante Babylonicum exilium nulla habuiſſe propria menſium nomina: nec vlla in Scriptura inueniri: ſed ex ordine tantum appellaſſe primum, ſecundum, tertium, &c. menſem: nec *Abib* de quo nunc agimus, nec *Ziu*, 3. Regum 6. 1. ideſt, Aprilis; nec *Ethanim*, 3. Regum 8. 2. ideſt, September, eſſe nomina propria, ſed appellatiua epitheta ab euentu aliquo. At de his alias. Tu interim de menſibus Hebræorum, inter innumeros qui de eiſdem egerunt, conſule Burgenſem in 12. Exodi, Eliam in Thisbi, Marinum in Kalendario Hebræorum, Ludouicum S. Franciſci in Globo Linguæ Sanctæ Lib. 8. in Anacephalæoſi Hebraicorum menſium. Nos ad noſtrum menſem Abib redeamus.

HEBRAICORVM MENSIVM NOMINA EXOTICA.

זיו

איתנים

Non deſunt qui dicant vocatum *Abib*, ab *ab* patre, quòd ipſe pater & principium ſit aliorum omnium menſium: forſan *Abib* ſit diminutiuum, paterculus; quamuis his carere Hebraicam linguam, multi contendant: veriora ſunt quæ de etymo prædiximus. Erat menſis Abib apud Hebræos ille ſemper cuius decimaquarta dies incidebat in ipſum Aequinoctium vernum, vel propius ipſum ſequebatur. Ordinarie partim in Martium partim in Aprilem incurrebat, quòd Hebræorum menſes ſint lunares: etſi aliquando partem quoque Maij contingeret, interdum totus in Aprilem incideret: (vnde Latinum nomen Aprilis ab apertione & reſolutione terræ, ſcite reſpondere Hebraico Abib, qui vernos nouoſque fructus primum aperit, quidam annotarunt:) nunquam tamen totus intra Martium: nec totus extra Aprilem influebat. At de his plenius differentem adito Patrem Clauium Lib. 1. Apologiæ Noui Kalendarij aduerſus Meſtlinum, Cap. 1. Porro in hoc menſe Abib primo, meſſem fieri ſol tam in Terra ſancta ob calorem & fecunditatem ſoli, cum ex alijs Scripturæ locis, tum è Ioſue 3. 15. & 1. Paralipomenon 12. v. 15. perſpicue liquet.

אביב

אב

ABIB QVI MENSIS HEBRAEIS.

Ergo hoc loco Eccleſiaſtici, illud, *in diebus nouorum*; poſſit intelligi menſis Abib, ſeu menſis nouarum frugum: nempe Hebræorum more, partim Martius, partim Aprilis: vel certe tempus illud vernum quo in Meſopotamia, quam alluunt Tygris, & Euphrates, noui fructus, ac ſegetes incipiunt prouenire, ac matureſcere: quod aliquibus in terris celerius, in alijs tardius aperiri, norunt omnes: & in Meſopotamia incidere in Aprilem, poſtea ex Plinio docebimus.

Iam quod ait Ieſus Tygrim & Euphratem adimplere in diebus nouorum, non ſic accipio quaſi intra ſolas ripas contenti, eas impleant, nequaquam alueum egreſſi; ſed potius, (ſi de incremento aquarum Auctor loquitur,) quòd iſti extra ripas, Nili modo euagati, campos Meſopotamiæ aquis

TYGRIS, EVPHRATES, ET GANGES INVNDANT MORE NILI.

aquis operiant: eos enim ſtatis diebus inſtar Nili inundare terriſq. ſuperfundi, ſupra Cap. 26. & 27. ex Lucano, Plinio, Solinoq. deſcripſimus. Idem de Gange affirmat S. Iſidorus, vt Cap. 39. vidimus. Et ad hoc magis mirandum naturæ opus reſpexiſſe Eccleſiaſticum facile quiſque credet.

At quòd Tygris & Euphratis eiuſmodi auctus fiat tempore verno ſeu Martij, vel Aprilis: ſeu illo quo in Meſopotamia nouæ fruges & ſegetes proueniunt, vt Sapiens indicat; & naturæ repugnare videtur, quòd certe nimia aquarum inundatio ſegetes, & nouas fruges euerteret, corrumperetque, nec tanta Meſopotamiæ fertilitas laudaretur: & boni Auctores reclamant; nam Plinius & Solinus, vt Cap. 26. diximus, produnt Euphratem Meſopotamiam inundare Sole obtinente vigeſimam partem Cancri: minui incipere Leonem tranſgreſſo: in totum vero remeare in vigeſima nona parte Virginis.

Dicemus forſan meliorem eſſe fidem Eccleſiaſtici, quàm Plinij & Solini? nec fruges ac ſegetes ex inundatione corrumpi: quòd ea foſſis, & riuis manu temperetur: & continuo rigandi modus facilis ſit, vt nedum non noceat, ſed miram vbertatem importet, vt mox ex Plinio dicemus? Sed ne Plinium in crimen falſi aduocemus, forſan non loquitur Sapiens de aquarum auctu Tygris & Euphratis tempore verno: ſed de incremento pleniſſimo ſegetum & frugum: quod ij amnes Meſopotamiæ vere inuehunt, cum eas prius opportuno tempore aquis inundauerint: illudque, *qui implet*, non de aquarum plenitudine & exceſſu, ſed de frugum ac ſegetum abundantia ſumi queat: ac ſi dicat: Cum Sole obtinente Cancrum & Leonem, horum fluminum, teſte Plinio, fiat inundatio: rigata pleniſſime terra, aquaq. foſſis & riuis excepta in reliquum anni tempus ad opportunas irrigationes camporũ; hinc fit vt ſequenti tempore verno, ac nouarum frugum, Tygris & Euphrates Meſopotamiam impleant incredibili ſegetum & frugum opulentia, tantopere ab Auctoribus celebrata. Sic illud de Phiſonte, ideſt, Gange interpretari poſſit, *qui implet quaſi Phiſon*: ob vbertatem terræ Indiæ, de qua Cap. 50. dicemus.

CONCINNA INTERPRETATIO.

Nolim mihi opponi contextum de aquarum auctu Iordanis, & Nili: nam & de terræ fertilitate quam vterque efficit, locum intelligi poſſe, Moſes de Iordane Geneſ. 13. 10. ſatis oſtendit: vt ſupra Cap. 4. notauimus: & nos de Nilo ſtatim demonſtrabimus. Illuſtrant hanc noſtram verborum Sapientis de Tygri & Euphrate explanationem mirifice quæ Plinius Lib. 18. Cap. 18. ſcribit: vbi cum multa de Aegypti frugum abundantia dixiſſet: meſſemque ibi fieri ante Kalendas Aprilis, peragi autem Maio, adiunxiſſet; iſta ſubdit: Similis ratio, ſed felicitas maior Babyloniæ ac Seleuciæ, Euphrate atque Tygri reſtagnantibus, quoniam rigandi modus ibi manu temperatur.] Et Cap. 17. præmiſerat hæc: Luxuria ſegetum caſtigatur dente pecoris in herba dumtaxat: & depaſtæ quidem vel ſæpius, nullam in ſpica iniuriam ſentiunt. Retonſarum etiam ſemel omnino certum eſt, granum longius fieri, ſed inane caſſumque, ac ſatum non naſci. Babylone tamen bis ſecant, tertio depaſcunt: alioquin folia tantum fierent. Sic quoque cum quinquageſimo fœnore meſſes reddit exilitas (*alias felicitas*) ſoli: verum diligentioribus cum centeſimo quinquageſimo. Neque eſt cura

MESOPOTAMIAE FERTILITAS.

difficilis,

difficilis, quàmdiutiſſime aqua rigandi, vt præpinguis & denſa vbertas diluatur. Limum autem non inuehunt Euphrates Tygriſque, ſicut in Aegypto Nilus. Nec terra ipſa herbas gignit. Vbertatis tamen tantæ ſunt, vt ſequente anno ſponte reſtibilis fiat ſeges, impreſſis veſtigio ſeminibus.] Tantum Plinius: ex quibus intueri licet quantam Tygris & Euphrates Meſopotamiæ ſegetum & frugum abundantiam importent.

Iam quod ſubdit Eccleſiaſticus: *Et aſſiſtens quaſi Geon in die vindemiæ.* De diebus vndemiæ hæc Plinius Lib. 18. Cap. 31. Vindemiam antiqui numquam exiſtimauere maturam ante Aequinoctium.] ſcilicet autumnale. & poſt alia ſubdit: Iuſtum vindemiæ tempus ab Aequinoctio ad Vergiliarum occaſum dies XLIIII.]

Participium illud *aſſiſtens*, quod à Græcis abeſt, intranſitiue quidam accipiunt: quaſi Dominus aſſiſtat & præſens ſit cum tanta copia ſpiritualium virtutum, ſicut Nilus aquarum inundatione aſſiſtit Aegypto, totamque operit tempore vindemiæ. Ianſenius mauult actiue ſumere; nempe Dominus aſſiſtit ſapientiam vel doctrinam, id eſt, ſiſtit, ponit, præſentem exhibet: vt Nilus aquarum exundantiam tempore vindemiæ. At cum Cap. 33. ex Plinio, Solinoq. oſtenderimus, Nilum creſcere incipere Sole Cancrum tranſgreſſo, abundantiſſime autem in Leone: reſidere in Virgine, in totum intra ripas reuocari in Libra: nempe cum eſt tempus vindemiæ; non ſatis apte illud, *Aſſiſtens quaſi Geon in die vindemiæ:* ad inundationes Nili tempore vindemiæ, accommodari poſſe videtur: cum iam eo tempore intra ripas ſe condat. NILVS SIDIT VINDEMIAE TEMPORE.

Forſan erit loco propius ſi illud participium *aſſiſtens*, exponamus quaſi ſe ſiſtens, & ſubſidens ab inundatione, nempe cum in Libra & vindemiæ tempore ſe in alueum colligit: nec loqui Ieſum de aquarum Nili incremento, ſed de fecunditate & vbertate quam terris, poſtquam reſiderit, abunde relinquit. Aegyptum quidem frugum, & frumenti fertiliſſimam Auctores celebrant, & maxime Plinius Lib. 18. Cap. 10. & Lib. 21. Cap. 11. Ammianus Marcellinus Lib. 22. Totamque felicitatem ſoli à Nilo eſſe, qui pingui limo quem vehit, affatim ſtercoret agros, ſupra Cap. 29. & 30. fuſe ex Scriptoribus docuimus: quaſi dicat Sapiens: Deus diſciplina & doctrina ſic ditat ac beat animas, vt Nilus cum ſe ſiſtit intra alueum tempore vindemiæ, relicta pingui gleba, Aegyptiacos campos fecundat & fertiliſſimos reddit, non nimio labore arantium, ſed mira facilitate, atque felicitate.

Lucem noſtræ interpretationi afferunt verba Plinij Lib. 18. Cap. 18. Nunc de arandi ratione dicemus, ante omnia Aegypti facilitate commemorata. Nilus ibi coloni vice fungens, euagari incipit, vt diximus, à Solſtitio aut noua luna, ac primo lente, deinde vehementius, quamdiu in Leone Sol eſt. Mox pigreſcit in Virginem tranſgreſſo, atque in Libra reſidet. Si duodecim cubita non exceſſit, fames certa eſt: nec minus, ſi ſexdecim exuperauit: tanto enim tardius decedit, quanto abundantius creuit, & ſementem arcet. Vulgo credebatur, ab eius deceſſu ſerere ſolitos, mox ſues impellere veſtigijs ſemina deprimentes in madido ſolo: & credo antiquitus factitatum. Nunc quoque non multo grauiore opera: ſed tamen inarari PLINIVS LVCEM INFERT LOCO ECCLESIASTICI.

certum

certum eſt abiecta prius ſemina in limo digreſſi amnis, hoc eſt, Nouembri menſe incipiente: poſtea pauci runcant, quod botaniſmon vocant. Reliqua pars non niſi cum falce arua viſit paulo ante Kalendas Aprilis: peragitur autem meſſis Maio, ſtipula numquam cubitali: quippe ſabulum ſubeſt, granumque limo tantum continetur.] Hactenus Plinius.

VARIAE TRANSLATIONES.

Manum à loco Eccleſiaſtici dimouebimus, ſi primum aliquot Traslationes à Vulgata paululum diuerſas attexuerimus. Græca Complutenſia & Regia ad verbum ita habent: Qui implet quaſi Phiſon omnia ſapientia ſua: & ſicut Tygris in diebus nouorum. Qui adimplet quaſi Euphrates intellectum: & quaſi Geon in die vindemiæ.]

Sixtiana vero opera Cardinalis Carrafæ edita, in hunc modum legunt: Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & ſicut Tygris in diebus nouorum. Qui adimplet quaſi Euphrates ſenſum: quaſi Geon in diebus vindemiæ.]

Leo Iudas: Quaſi Phiſon omnia replet ſua ſapientia, & vt Tygris nouarum frugum temporibus. In modum Euphratis fecundat ingenium: inundat ſicut Geon tempore vindemiæ.] non ſatis fida paraphraſis.

PERORATIO.

Tota hactenus ducta noſtra de Phiſonte & Geone diſputatio eò potiſſimum ſpectauit, vt Phiſontem Gangem, Geonem vero Nilum eſſe, clariſſimis & auctoribus & rationibus oſtenderemus: fecimus pro virili noſtra, quantum doctrina & ingenio valuimus: & vt remur, rem penitus confecimus. Sed admonendus Lector, imperite Hebræorum quoſdam dixiſſe Phiſon eſſe Nilum, vt refert Steuchus in Notis ad 2. Geneſ. & in Coſmopœia Cap. 2. quod etiam exiſtimauit Rabbi Beniamin in Itinerario: lapſumque Marianum Victorium in Scholijs ad Epiſt. 28. S. Hieronymi Numero. 44. idem aſſerentem: ineptius quoque alios Hebræorum exiſtimaſſe eſſe Danubium, eodem Steucho teſte. Sed magis mirati ſumus Ariam Montanum in Lib. Phaleg Cap. 9. & 10. Phiſon Nilum, & Geon Gangem putantem: & in eundem errorem abreptum Ortelium à Montano in Synonymia. forſan incogitantiæ lapſus. Rem plane cura noſtra extra omne iam dubium poſuiſſe videmur.

CVR PHISON ET GEON NON SVNT IN GANGEN ET NILVM TRANSLATI.

At illud non prætereundum, cur Septuaginta Interpretes duo hæc Paradiſi fluminum Hebraica nomina Phiſon & Geon ininterpretata reliquerint: cum tamen duo alia Chidekel, & Huperath, in Tygrim & Euphratem conuerterint: equidem ſi ea fuiſſent interpretati, omnem de illis difficultatem ſuſtuliſſent. Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 188. 189 & 190. varias huiuſce inſtituti cauſas rimatur: illuc Lectorem amandamus: nos iſtas excogitare potuimus: Forſan vt Ptolomæo, Gentibuſque quibus vertebant Scripturam, occultarent ortum Gangis & Nili ex Paradiſo: nam de Nilo vel non crederent Aegyptij; vel curioſitate improba per fluxum eius inueſtigare Paradiſum tentarent; vel Nilum noua adiecta ſuperſtitione magis quàm ante, vt Deum colerent; vel impoſſibile reputarent duo ita inter

inter ſe tantis terrarum ſpatijs diſſita flumina, Gangem & Nilum ex vno Paradiſi fonte manare. Quid ſi iſtud fecerunt ad exercenda ingenia? Fortaſſis, ita duo Hebraica reliquerunt, quòd Phiſon cum terram Heuilath præterfluit, nondum vocetur Ganges: nam Gange Regia Gangis Regis, à quo nomen fluuius accepit, iuxta Gangis oſtium Ptolemæo ſita eſt, vt Cap. 41. notauimus: nec Nilus cum hoc nomine totam terram Aethiopiæ perlabitur: non enim nomen Nili nanciſcitur, niſi vbi iunctis aquis poſt Meroem fluit: dictus Aſtapus cum medios Aethiopas ſecat, vt inquit Plinius Lib. 5. Cap. 9. Porro Vulgatus ea in re Septuaginta ſecutus eſt.

Expenduntur ſacra illa verba Geneſ 2. 10. Et fluuius egrediebatur de loco Voluptatis ad irrigandum Paradiſum: qui inde diuiditur in quatuor capita. *Cap. XLVIII.*

NOVI, Paradiſi in Meſopotamia ſatores mire hunc locum turbarunt, vt in ſuam ſententiam torquerent, Hebræa ad verbum redduntur: *Et fluuius egrediens de Eden*, voluptate, *ad irrigare hortum*, Paradiſum: *& de ibi diuidetur*, diuiditur, *& erit*, eſt, *in quatuor capita*: Steuchus, Pererius, & alij illud: *Et fluuius egrediebatur de Eden ad irrigandũ Paradiſum.* putant non ſignificare primum ortum & ſcaturiginem illius fluuij ex horto, ſeu regione Eden: ſed tantum indicare flumen illud ex regione Eden directo curſu in Paradiſum influxiſſe: cum Paradiſus non in tota regione Eden, ſed in parte tantum eius Orientali ſitus eſſet; nimirum veniebat aliunde in Eden maximus fluuius, & ab Eden tendebat in Paradiſum. Exiſtimant enim, ſuæ opinioni de Meſopotamico Paradiſo conſentaneè, hoc ingens flumen non aliud fuiſſe quàm Tygrim & Euphratem, eo ſcilicet loco, vbi miſtis aquis in vnum alueum confluentes, effecta Meſopotamia, aliquantum terræ ſpatium procurrunt. Confluxus ſiquidem ille Tygris & Euphratis è diuerſis fontibus in Armeniæ montibus naſcentium, fiebat in regione Eden Meſopotamia: & ex Eden fluuius ille ex duobus conflatus rectà ferebatur in Paradiſum. In eo enim loco, aut ſaltem non nimis remoto conſerunt Paradiſum, vbi Tygris & Euphrates coeunt, aquaſq. commiſcent. VIOLENTA EXPOSITIO.

Quod autem additur: *Qui inde diuiditur in quatuor capita.* iidem Meſopotamici Paradiſi aſſertores varie, ſed ſuæ ſemper ſententiæ cohærenter exponunt: Primum, vt particula, *inde*, referatur ad Eden, nempe vt in ipſo ſtatim egreſſu illius fluminis, ex Tygri & Euphrate miſti, ex Eden regione Meſopatamiæ, in quatuor ramos ſeu amnes diſcinderetur, antequam Paradisũ attingeret. Secundo, vt eadem particula, *inde*, indicet Paradiſum: ſcilicet, vt fluuius ille, Tygris & Euphratis ſimul aquas vehens, egrediens ex Eden vnus eſſet, rectaq. tenderet ad irrigandum Paradiſum: ſed vbi primum Paradiſum ingrederetur, in quatuor flumina ſeu brachia diſtribuebatur, quibus tota Paradiſi tellus cõmodius irrigaretur. Tertio, vt illud, *inde*, intelligatur de egreſſu fluminis ex Paradiſo, hoc ſenſu, Flumen illud vnum effectum ex Tygri & Euphrate, poſtquam ſuo curſu continuo effeciſſet ex vtraq. vel ex altera ripa

Paradiſũ, qui aquis eiuſdem fluminis rigaretur, mox vt Paradiſum præterlabebatur; in ipſo iam exitu è Paradiſo in quatuor illa flumina Phiſon, Geon, Tygrin, & Euphratem ſindebatur. Nimirum, Tygris & Euphrates diſtinctis alueis Meſopotamiam cingunt; mox in vnum coeunt, ſicq. vno confluente lapſi, Paradiſum præterfluchunt; in ipſo egreſſu è Paradiſo in quatuor capita ſeu flumina ſcindebantur; duo ex ijs antiqua nomina Tygris & Euphratis recipiebant; duo alia, noua nomina naſciſcebantur Phiſon & Geon. Porro hæc in quatuor flumina diuiſio vel fiebat in ipſo ſtatim Paradiſi egreſſu, vna ac prima ſimul diductione: vel facta primum diductione in duos principaliores amnes Tygrim & Euphratẽ, ex his duæ aliæ in decurſu eruptiones, ſeu brachia aut rami diſſultabant: nempe ex Tygri Phiſon, ex Euphrate Geon. Et hæc quidẽ omnia tempore Moſis fiebant: nam poſtea euerſo, & diſſipato, inquiunt, Paradiſo, manſerunt Tygris & Euphrates: at Geon & Phiſon, vel exaruerunt: vel curſum alio tranſtulerunt: vt ſunt viciſſitudines fluminum.

a in Tabella Geographica Paradiſi in Bibliis Louanij 1581.

LOVANIENSIVM INTERPRETATIO.

Louanienſes Theologi a facilius hunc locum interpretantur: aiunt enim Tygrim & Euphratem diuerſis alueis & procurſibus Meſopotamiam ambire: dein infra Babylonem & Seleuciam in vnum corpus coire: atque ita vnum flumen effecti perlabi Paradiſum: in egreſſu ex Paradiſo in duos amnes, acceptis nouis Phiſon, & Geon nominibus, iterum diuidi: hincq. facile intelligi verba Moſis: *Qui inde diuiditur in quatuor capita.* nimirum ſunt duo capita & flumina ante coniunctionem, nempe Tygris & Euphrates: duo alia poſt diductionem, ſcilicet Phiſon & Geon: ecce tibi quatuor capita, ſeu flumina: Quod clarius in Hebraico Fonte putant indicari, cum dicitur: *Et inde diuiditur, & eſt in quatuor capita.* nẽpe diuiditur in duo capita in exitu Paradiſi: & ante ingreſſum Paradiſi eſt in duo capita: ſicque diuiditur, & eſt in quatuor capita. Sed vide aſſertores huius expoſitionis: Nouatores Iunius & Tremellius, cum illud Hebraicum exponunt: *Et de ibi diuiditur & eſt in quatuor capita:* ſic ſcribunt: Alueorum, ſcilicet, eius ratione quà ſurſum & deorſum ſpectant: nam ſi aquarum curſum ſpectes, Tygris & Euphrates non inde exeunt, ſed in regionem ſuperne influentes, ex ea inferne ſuis duobus alueis in Sinum Perſicum Moſis tempore deferebantur: etſi Euphratis alueus poſtea Cyri Babyloniam oppugnantis arte deriuatus: & Orchenorum induſtria totus deinde præcluſus eſt. Plinius Lib. 6. C. 27.] Hæc illi. Sed Steuchi, & Louanienſium de quatuor Paradiſi fluminibus ſententias vberius explicatas habes ſupra Cap. 14. 28. & 39.

CVI ASSENTIVNTVR HÆRETICI.

REFFELLITVR.

Robertus Bellarminus Lib. de Gratia primi Hominis Cap. 12. præfatas huius loci interpretationes, & illas Steuchi, & hanc Louanienſium ex profeſſo confutat: ac nos pauca dicemus. Primum, Eden locum Paradiſi nullo pacto eſſe prope Meſopotamiam, Cap. 17. & 18. fuſe demonſtrauimus, & inferius C. 51. firmius oſtendemus: Inſuper Phiſon & Geon non eſſe eruptiones Tygris & Euphratis, aut brachia eorum, nec amnes prope Meſopotamiame ſed Phiſon eſſe Gangem, & Geon Nilum, C. 38. & 39. tanta cum perſpicuitate patefecimus, vt mirum ſit ſi aliquis adhuc refragari pergat. Tu nunc inſpice Lector, quanam ratione eiuſmodi allatæ explicationes ſubſiſtere queant. Iam ex ſimplici verborum Moſis explanatione eaſdem nullo negotio diſcutiemus: *Et fluuius, inquit, egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum*

dum Paradiſum. Quis adeo obtuſus, qui non cernat Vulgatum Interpretem illud manifeſte his verbis expreſſiſſe: Ex ipſo loco voluptatis, ideſt, ex Paradiſo ſcaturiſſe fluuium illum, & primum eius fontem in Paradiſo erupiſſe? Agnouit Pererius, (& quis non agnoſcet?) hunc eſſe genuinum Vulgati ſenſum, & omnium Latinorum Patrum, qui eadem Vulgata Editione ſunt vſi: ſed cur noluit aſſentiri? credidítne forſan maiorem vllam auctoritatem Canonico Interpreti opponi poſſe? Nec refert quod Hebræa habent; *Et fluuius egrediebatur de Eden ad irrigandum hortum*. nam iam Cap. 17. docuimus, Eden nomen eſſe appellatiuum, & perdocte Interpretem dixiſſe, *de loco voluptatis*. hoc eſt, de Paradiſo voluptatis: vbi Sanctus Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi ad litteram, habet, *De loco delitiarum*. Et ſi Eden nomen eſt proprium Paradiſi, longe diuerſum locum eſſe ab Eden Meſopotamiæ, Cap. 18. ſolide demonſtrauimus. Cum ergo Moſes luculenter, Vulgato noſtro interpretante, aſtruat fluuium illum Paradiſum irrigantem, primum ortum & ſcaturiginem in Paradiſo aperire, vt omnes quoque Patres vno ore confirmant, apertæ falſitatis arguitur ea interpretatio quæ dicebat, huius fluuij fontes ſemper fuiſſe in Armenia, ac ibi primum naſci: deinde in Paradiſum ad irrigandum influere. Moleſtum eſſet ſi ſententias Patrum aſſerentium fluuium irrigantem Paradiſum in eodem delicatiſſimo horto primum ſcaturire, hic attexere velimus, paucas tantum ob ſonum & numerum canoras audiamus. Tertullianus de Iudicio Domini, C. 8. ita canit: PATRES ASSERVNT FLVVIVM ORIRI EX PARADISO

Fons illic placidis leni fluit agmine campis:
Quatuor inde rigant partitas flumina terras.

Et S. Cyprianus de Geneſi, Cap. 2.

Aedibus in medijs puro fluit agmine flumen,
Quod rigat inſignes liquidis de fluctibus hortos:
Quadrifidoſque ſecat, vndante ex fonte meatus.

Marius Victor Lib. 1. Carminum in Geneſ.

Ad gremium ſacri nemoris quod ſilua coronat,
Fons ſcatet, & diti prolem virtute maritat,
Quadrifido tumidum lætus caput omne reſoluit.

S. Alcimus Auitus Lib. 1. in Geneſ. Cap. 9.

Hic fons perpetuo reſplendens gurgite ſurgit,
Eductum leni fontis de vertice flumen
Quatuor in largos confeſtim ſcinditur amnes.

Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo Cap. 21. & 28. cuius verba infra Cap. 26. 62. ponemus, haud ſane Paradiſum prope Meſopotamiam collocat, ſed addit Paradiſum quidem fuiſſe non totam regionem Eden, ſed partem eius amœniorem: fluuiumque illum ex terra Eden primum ſcaturientem, deinde in medium penetraſſe Paradiſum. Non eſſet penitus abſurdum ita ſentire, niſi Vulgati & tantorum Patrum auctoritas nos cogeret ad credendum primum illius fluuij fontem ex ipſo Paradiſo ſeu horto delitiarum emanaſſe.

Iam quod Steuchus & Pererius dicebant Geon ac Phiſon fuiſſe quaſdam eruptiones aut ramos Euphratis & Tygris, qui iam exaruerint, vel curſum aliò detorſerint, difficile creditu omnino videtur: cum Scriptura ingentia ac REFELLVNTVR RECENTIORES.

T 2 prima-

primaria flumina, immo Tygri & Euphrate multo nobiliora haud obſcure prodat: nam ea & Geneſ. 2. & Eccleſ. 24. Tygri & Euphrati anteponit. Rogo, Tygris & Euphratis peculiaribus brachijs recte ille verba congruunt. *Nomen primi Phiſon: nomen ſecundi Geon: nomen tertij Tygris: & quartus ipſe eſt Euphrates?* Quis dicat ramos ingentium fluminum, tamquam priores & potiores ipſis fluminibus commemorari?

Louanienſes, & alij dixerunt, Phiſon & Geon, eſſe Tygrim & Euphratẽ: ſed in egreſſu Paradiſi nanciſci noua illa nomina, ſicq. in Sinum Perſicum deferri: Bellarminus id refellit ea potiſſimum ratione, quòd in ipſis Geographicis Tabulis manifeſte appareat, Tygrim & Euphratem poſtquam in vnum alueum ſe miſcuerint, nũquam deinceps diuelli: ſed ſimul vno confluẽti labi in mare Perſicum.

Si antiquos Geographos inſpicimus, haud quidquam certi iſta de re eruemus: habes eorum ſententias de Tygris & Euphratis vſq. in Perſicum mare procurſu, abunde ſuperius à nobis C. 26. & 27. deſcriptas, eas per otium conſidera. Solinus de Tygri inquiebat: Euphratem defert in Sinum Perſicũ.] Plinius duo oſtia, interuallo vigintiquinq. millium diſſita, illis tribuebat: vtrumq. nauigabile: ſed Euphratem intercluſum ab Orchenis, riuis & foſſis ad irrigandum agros; nec niſi per Tygrim deferri in Sinum Perſicum: eadem innuit Mela. Strabo, Curtius, & alij dicebant Tygrim & Euphratem penes Babyloniam iungi, dein in Perſicum mare ferri; nihil de noua diductione memorantes. Iuſtinus & Philoſtratus in paludes mergi Tygrim aſſerebant: nihil amplius. Impius Philoſtorgius prodebat Euphratem apud Suſan totum in Tygrim incidere, & amiſſo nomine, cum illo in Perſicum Sinum deuolui: ſed addebat, Tygrim priuſquam in mare dilabatur, in duo ingentia flumina diſciſſum, oſtijs duobus longe inter ſe diſſitis in mare Perſicum ſe conijcere, multum terræ in medio includentem.

ɪ TABVLIS GEOGRAPHICIS. Porro recentiores Auctores præſertim Geographi, poſt Babylonem Tygrim & Euphratem vno alueo in Sinum Perſicum ferri ferme omnes affirmant. Ionius Lib. 4 Hiſtoriarum hæc prodit: A Babylone Euphrates rapto ſecũ Tygri amne in Perſicũ euolutus Sinum, claſſibus nauigatur vſq. ad Belzerĩ inſigne emporiũ Teredonis inſulæ, quã bicornis fluuius efficit.] Sic ille.

Ortelius ortus, fontes, curſum, & influxum Tygris & Euphratis Tabulis

a Ortelius in Theatro Orbis in Tabul. Aſiæ, Imperij Sophorum, Turcarũ, & Europæ. Geographicis ſcite in hunc modum depinxit: [a] Naſcitur Euphrates in maiori Armenia, nunc Turcomannia, fonte conſpicuo prope oppidum Chiſſeri. Tygris vero fons in eadem Armenia aperitur ad vrbem Gambacu: abſunt interuallo ducentorũ ferme milliarium Italicorum à Meridie ad Aquilonem, interior Tygridis. Fluunt perpetuo ſeiunctis alueis, niſi quod prope antiquã Babylonem, hoc eſt, vetuſtas eius vrbis ruinas, diducitur ab Euphrate brachium in Tygrim: & inſerius ſupra Bagdat vel Begadad, quæ hodie Babylon, alter alueus diuellitur: & mox prope Bagerlar, Tygri committitur: deinceps ſeparati diſtinctis alueis labuntur, quouſq. prope Romadam ſimul iunguntur: atq. tunc alueo vno delati in Sinum Perſicum exonerant.] Hæc ex Ortelio. Atq. ramos illos, ſeu brachia ex Euphrate in Tygrim deriuata, foſſas olim factas manu arbitramur ad vtrumq. flumen enauigandum: eiuſmodi mentio extat apud Ammianum Marcellinum cum Perſicam Iuliani

Impe-

Imperatoris expeditionem deſcribit. a Ceterum poſtquam Tygris & Euphrates coierint vno confluente, in Perſicũ mare proruere, Laurentius Ananias Tractatu 2. de Mundi fabrica, & boni quiq. Geographi aſſentiuntur. *a Lib. 24. & S. Gregorius Nazian. Orat. 2. in Iulian.*

Nolumus tamen anxie ingenium torquere, quando ſatis conſtat fluminum alioqui ingentium alueos, atq. oſtia, vt interim de fontibus taceamus, perſæpe mutari, atque in diuerſa loca auerti: vnum alijs prætermiſſis, exemplum accipe: In Hiſpania noſtra Rufus Feſtus Himilconis Carthaginienſis circum Hiſpaniæ littora nauigationem explicans, quatuor oſtijs Bætim in mare mittere teſtatum reliquit; antiqui deſciptores terræ, duo tantum inueniebãt, nos vnum, rebus tempore mutatis, alternante ſcilicet memoria.] Hæc Mariana de Reb. Hiſpaniæ Lib. 1. Cap. 21. FLVMINVM MVTATIONES.

Cur vetuſti Auctores dixerunt Tygrim & Euphratem influere in Mare Rubrum: & quodnam Scriptura Sacra Mare Rubrum appellet. Cap. XLIX.

CVM Tygrim & Euphratem in Sinum Perſicum exonerare extra omnem controuerſiam ſit, vt dudum dicebamus, quid eſt quod priſci Auctores, eos in Rubrum mare erumpere tradiderunt? ſic enim locutos vidimus Cap. 26. & 27. Herodotum, Diodorum, Curtium, Euſebium, & S. Hieronymum ex Ioſepho: & ſane Ioſephi verba Lib. 1. Antiq. C. 1. hæc ſunt: Tygris & Euphrates in mare Rubrum exeunt.] Et Seneca Tragicus: Tepidum Rubenti Tygrin immiſcet freto.]

Certum eſt antiquos Scriptores mare Rubrum appellaſſe Oceanum illũ magnum qui eſt inter Aethiopicum & Indicũ, & littora Felicis Arabiæ atq. Carmaniæ alluit, complectens in ſe, vel potius terris infundens duos illos ingentes Sinus, Arabicum & Perſicum. Strabo Lib. 16. inquit: Arabiæ Felicis Oriẽtale latus Perſicus Sinus, Occidentale Arabicus, Auſtrale mare magnũ quod extra vtrumq. Sinum eſt: idq. totum mare Rubrum vocatur.] Plinius Lib. 6. C. 23. agens de Carmania, ait: Irrumpit deinde & in hac parte geminum mare in terras, quod Rubrum dixere noſtri: ſed in duos diuiditur Sinus: is qui ab Oriente eſt, Perſicus appellatur: rurſus altero ambitur Sinu, Arabico nominato.] Mela Lib. 3. Cap. 7. agens de ora citima Indiæ, ſcribit: Inde ad principia Rubri maris pertinet inuia atq. deſerta humus, & cineri magis ſit, quàm pulueri ſimilis. Rubrum mare bis irrumpit, duosq. Sinus aperit: Perſicus vocatur, dictis regionibus propior; Arabicus, vlterior.] Et Ptolemæus Lib. 6. Cap. 7. Philoſtratus Lib. 3. Vitæ Apollonij, & alij profani Rubrum mare proprie appellant totum illum quem diximus magnum Oceanum, qui duas illas magnas mediterraneas eruptiones fundit Arabicam & Perſicam: vnde nihil mirum ſi tanto conſenſu affirment Tygrim & Euphratem in Mare Rubrum influere, qui in Sinũ Perſicum mittunt. Immo notat Lipſius Lib. 1. de Magnitudine Romana C. 3. Mare Rubrum antiquis vocatũ totum illud mare vaſtum & magnũ, quòd ab Africæ extremo, ad Auream Cherſoneſum ſe protendit: in idemq. nomen mare Indicũ venire: nam Curtius Lib. 8. ait Indum & Gangẽ in mare Rubrum exire: & Suidas

MARE RVBRVM QVODNAM ANTIQVIS.

AB AETHIOPIA AD INDIAM TENDEBATVR.

Suidas docet, fines Romani Imperij fuiſſe Indos, & Mare Rubrum. Tacitus quoq. de terminis Imperij, Traiani tēpore, ait: Quod nunc ad Rubrum mare pateſcit.] Lib. 2. Annal. Aſſentitur his Ortelius in Synonymia: vbi notat, Guilandinum in Libello de Papyro, & Delrium in Senecam latuiſſe tam latos fines Maris Rubri: cuius ipſe ſciographicam expoſitionem perite in Theatro exhibuit, ex Arriano elegāti Erythræi maris depicto Periplo. Equidem Curtius Lib. 8. inquit: Mare quo India alluitur, ne colore quidem abhorret à ceteris. Ab Erythro Rege inditum eſt nomen, propter quod ignari rubere aquas credunt.] Hæc ille.

Porro Scriptura ſacra in Septuaginta Tranſlatione & Editione Vulgata quotieſcumq. loquitur de Sinu Arabico, Mare Rubrum appellat: quam appellationem Philo, Ioſephus, & omnes Chriſtiani Scriptores ſummo, conſenſu vſurpant. Ceterum Hebraicus Fons Scripturæ, vbicumq. eſt ſermo de Sinu Arabico, vocat illum *Iam Suph*. de qua voce hæc S. Hieronymus ſcribit Epiſt. 127. ad Fabiolam: Verbum *Iam ſuph*, apud Hebræos ex mari & Rubro cōpoſitum eſt: Suph autē & rubrum, & ſcirpus vocatur.] Hæc ille. ים סוף

I. Nonnulli exponunt, Mare termini, ſeu finis. quòd *Soph* finem vel terminum ſignificet Eccleſ. 3. 11. & alijs locis. nempe vel quod mare illud finiretur, & terminaretur apud Aegyptum, & Arabiam: cum aliorum marium in Palæſtina habitantibus terminus non appareat; vel quod Aegyptum, & promiſſam terram quaſi quidam terminus communis diſpeſceret. Inſpice Oleaſtrium in Notis ad 10. Exodi. סוף

II. Alij, Mare proceloſum & turbinoſum interpretantur, quod *Suphah* turbinem & procellam indicet Iob. 21. 18. & alibi. Sinum autem Arabicum eſſe proceloſum propter varias rupes & promontoria, tradunt. Vide Genebrardum in Pſal. 105. verſ. 9. סופה

III. Rabbini Aben-Ezra, & Ioſua putant Suph eſſe nomen proprium loci vel vrbis, vnde dictum eſt Mare Suph, vt Mare Cinnereth, vel Genaſareth ab illa vrbe vocatum.

IV. Haud prorſus aliene quis expoſuerit Mare profundum: nam *Suph* pelagus, ideſt, profundum mare Interpreti noſtro ſignificat Ionæ 2. 6. ſi quidem eſſe profundiſſimum Arabicum Sinum par eſt credere: Nec abſurde, reddatur Mare conſumptionis, ſeu abſumptionis, nam *Suph* id quoq. notat Iſaiæ 66. 17. & alibi: vt videatur nomen nactum à celebri illa abſumptione Pharaonis & copiarum eius in Sinu Arabico.

V. Hebræi Rabbini Iapheth, Scelomoh, Kimchius, Pomarius, & ex noſtris, Sanctes, Vatablus, Clarius, Montanus, Lippomanus, Marinus, Caietanus, Maſius, & innumeri. Ex Hæreticis Fagius, Munſterus, Iunius, Tremellius, Mercerus, & alijs exponunt, Mare algoſum, vel iuncoſum, aut carectoſum: quòd *Suph*, iuncum, ſcirpum, papyrum, algam, caricem, & alias id genus herbas ſeu frutices deſignat, etiam S. Hieronymo Exod. 2. 5. & v. 3. & Iſai. 19. 6. Putantq. ſic appellatum Sinum Arabicum à copia eiuſmodi fruticum tam in littore, quàm in fundo naſcentium. Atquàm id ſit verum diſquiramus: Plinius Lib. 2. C. 103. ait: In Rubro mari oleæ, virenteſq. frutices enaſcuntur.] Et Lib. 13. C. 25. Naſcuntur & in mari frutices, arboreſque, minoreſque, minores in noſtro. Rubrum enim & totus Orientis

SILVAE IN MARI RVBRO.

tis Oceanus refertus eſt ſiluis: non habet lingua alia nomen quod Græci vocant phycos: quoniam alga herbarum magis vocabulum intelligitur. *vides algam aut ſimilem fruticem in Mari Rubro*, hic autem eſt frutex. Folia lata colore viridi gignit, quod quidam praſon, alij zoſterā. Alterum genus eiuſdem capillaceo folio, ſimile fœniculo, in ſaxis naſcitur: ſuperius in vadis haud procul littore: verno vtrumque, & interit autumno.] Et poſt alia: In alto vero abies & quercus cubitali altitudine: ramis earum adhærent conchæ.] & inferius: In mari vero Rubro ſiluas viuere, laurum maxime & oliuam ferentem baccas: & cum pluat, fungos qui ſole tacti mutantur in pumicem.] & rurſus: Iuba tradit circa Troglodytarum inſulas fruticem in alto vocari Iſidos plocamon, corallio ſimilem ſine folijs: præciſum mutato colore in nigrũ dureſcere: cũ cadat, frangi.] Hactenus Plinius. a

a *multa in eãdē ſententiā habet Theophraſtus Lib. 4. de Plantis. Cap. 7.*

Quæ plane perſpicuam lucem afferunt loco Sapientiæ 19.7. vbi celebrans Salomon mirabilem illum tranſgreſſum Iſraelitarum per fundum Rubri maris, hæc ait: *Ex aqua quæ antea erat, terra arida apparuit: & in mari Rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio; per quem omnis natio tranſiuit.* vides in fundo maris Rubri ſiluas, campos germinantes, virentes frutices, vt iure dici potuerit, mare iunci vel papyri, vel mare fruticoſum.

Sed cur Sinum Arabicum peculiariter Rubrum mare Eccleſiaſtici auctores vocarint, aperiamus. Certe externos quoq. eodem nomine illum appellaſſe, non dubito. Herodotus de foſſa à Nilo ad Sinum Arabicum ita ait Lib. 2. Necos Aegypti rex foſſam ad Rubrum mare ferentem primus aggreſſus eſt.] Eodem modo loquuntur Strabo, & Plinius, quorum verba ſupra Cap. 35. poſuimus. Idemq. Plinius Lib. 6. Cap. 28. Ipſa vero peninſula Arabia inter duo maria, Rubrum Perſicumq. procurrens, quodam naturæ artificio ad ſimilitudinem atq. magnitudinem Italiæ mari circumfuſa.] Et Lib. 5. Cap. 11. Agrippa à Peluſio Arſinoen Rubri maris oppidum, per deſerta centum vigintiquinque millia paſſuum tradit.] Solinus Cap. 36. Rubri autem maris Arſinoe oppidum.]

SINVS ARABICVS NEDVM SACRIS, SED ET PROFANIS AVCTORIBVS DICTVS MARE RVBRVM

Ergo cum Arabicus Sinus pars prior & præcipua, vt diximus, Maris Rubri ſit, nihil mirum ſi idem quoq. nomen ſortiatur. Pie cogitauit Genebrardus myſterium in nomenclatura: nam cum Iſraelitarum per Sinum Arabicum traiectus baptiſmi figura fuerit: *Omnes*, inquit Paulus, *mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari.* 1. Corinth. 10. 2. baptiſmus autem vere fit in Rubro mari, nempe in aqua, ſacro Chriſti cruore tincta, vnde Sacramenta vim ſuam hauriunt: vt etiam è latere Chriſti in Cruce ſanguis & aqua profluxit.

Sed num *Suph*, quo nomine Arabicum Sinum Fons Hebraicus appellat, vt ſcirpum, ſic quoq. rubrum ſignificat, quod S. Hieronymus aſſerit? Maſius in 2. Ioſue nec refellere vult, & probare nequit. Non puto S. Hieronymũ ita ſui oblitum vt putarit ex Hebraica vocis notione, *Suph* ſignificare rubrum: ſed è re ipſa, nempe vt Hebræis Suph iuncum vocari, ita & mare ipſum omnium appellatione rubrum appellatum, Suph quoq. Hebræis dici. Nec omittam, notaſſe pleroſq. apud Pinedam in Eccleſiaſtica Monarchia, celebrem illam Recentiorum Regum Perſarum, Sophi, appella-

tionē Perſica lingua, rubrum ſignificare, ab inſigni capitis rubri coloris, quo à Turcis diſcernuntur: vt forſan Perſica notio ab Hebraica ſit accepta, (nā Orientalia idiomata maiori ex parte ex Hebraico conflata;) & Septuaginta Interpretibus, S. Hieronymo, alijſq. *ſupþ*, rubri ſignificatus innotuerit, qui Recentiores Rabbinos latuerit.

CVR RVBRVM APPELLATVM Iam quam ob cauſam & magnus ille Oceanus ab Africa ad Indiam prætentus, & ſingulariter Arabicus Sinus, Rubri maris nuncupationem ferant: & cur à colore inditum ſit illis nomen, accurate diſquiramus. Strabo Lib. 16. inquit: Eratoſthenes dicit, quoſdam putare mare Rubrum eſſe à colore per reflectionem expreſſo: vel à Sole cum ſupra verticem eſt: vel à montibus ex aduſtione rubentibus: nam vtroq. modo veriſimile eſt: Cteſiam vero Gnidium hiſtoriæ mandaſſe, fontem quendam eſſe qui aquam rubicundam, ac minio plenam in mare emittit: alios vero, Perſei filium Erythram aſſerere, qui in his locis imperarit.]

Quintus Curtius Lib. 10. Rubrum mare non à colore vndarum, vt plerique crederent, ſed ab Erythro Rege appellari. Eſſe haud procul à continenti inſulam palmis frequentibus conſitam, & in medio fere nemore colūnā eminere Erythri Regis monumentum, literis gentis eius ſcriptā.] Hæc ille. Vide quoq. in eandē ſententiam Arrianū Lib. 8. Rerū Alexandri Magni.

Plinius Lib. 6. Cap. 23. Irrumpit deinde & in hac parte geminum mare in terras, quod Rubrum dixere noſtri, Græci Erythræum à rege Erythra: aut vt alij Solis repercuſſu talem reddi colorem exiſtimantes: alij ab arena, terraque: alij tali aquæ ipſius natura.] Solinus Cap. 36. Rubrum mare, quod Erythræum ab Erythra Rege, Perſei & Andromadæ filio, non ſolum à colore appellatum Varro dicit, qui affirmat in littore maris iſtius fontem eſſe, quem ſi oues biberint, mutent vellerum qualitatem, & antea candidæ amittant quod fuerint vſque ad hauſtum: ac fuluo poſtmodum nigreſcant colore.]

Mela Lib. 3, Cap. 7. Rubrum mare, Græci ſiue quia eius coloris eſt, ſiue quia ibi Erythras regnauit, ἐρυθρὰν θάλασσαν, appellant, procelloſum, aſperum, profundum & magnorum animalium magis quàm cetera capax.] At de immanis vaſtitatis Rubri maris belluis, plura Plinius Lib. 9. Cap. 3. & Lib. 32. C. 1. Philoſtratus Lib. 3. de Vita Appollonij Cap. 15. ait: Rubrum mare vehementer ceruleum eſſe tradunt qui viderunt. Denominant autem Rubrum, vt ipſi perhibent, à rege Erythra, idest, rubro, qui ex ſuo nomine mare denominauit.]

ETIAM ERYTHRAEVM. Melior igitur ſententia ex his Auctoribus elicitur, Mare illud dictum Erythræum à Rege Erythra qui eius maris regiones imperio tenuerit, ac ibi ſepultus ſit: & quia Erythras & Erythræum Græce, Latinis ſonat Rubrum, idcirco appellatum mare Rubrum, hoc eſt Erythræum. Genebrardi coniecturam Lib. 1. Chronograph. & in Pſal. 105. v. 9. forſan aliquis non deſpuet, hunc Erythram Gentilium fabulis celebratum, fuiſſe Eſau: qui dictus eſt Edom Geneſ. 25. v 30. Nam idem omnino nomen eſt Hebraïce Edom, Græce Erythras, & Latine ruber, vel rufus: incoluiſſe vero Edom regiones Arabiæ vergentes ad mare Rubrum, ex Scriptura & Ioſepho colligitur: vnde veriſimile eſt de ſuo nomine mari nomen feciſſe.

Near-

Nearchus & Orthagoras apud Strabonem Lib. 16. Tirinam inſulam in mari Rubro produnt, vbi Erythræ ſepulchrum ingenti tumulo, & ſilueſtribus palmis conſito, viſeretur. Plinius Lib. 6. Cap. 28. Ogyrim vocat inſulam in eodem mari, Erythra ibi ſepulto claram.

De Sinu Arabico ſeorſim Vranius Punicus Scriptor apud Stephanum de Vrbibus, aſſerebat, ideo mare illud vocari rubrum, quòd montium, quibus cingitur, præcipuum ruborem, quem radiorum Solis obiectu reciprocatum vndæ excipiunt, repræſentare videatur: atque inſuper defluentem cum pluuia, montes eos abluente, colorem re quoque ipſa bibat, indeque rubeſcat. Maſius annotat, ab Vranio haud diſſentire noſtros homines, qui per illa loca vagati, referunt, per interualla rubram ex littore arenam maris conſpici. At ridet iſta de colore maris Vartomannus Lib. 1. ſuæ Nauigationis Cap. 31. qui mare illud præſens oculis aſpexit. SINVS ARABICVS RVBER.

Nec abſurde tamen quis putet, dictum fortaſſe Rubrum à curallio, quod in eo mari naſcatur, auctore Plinio Lib. 32. Cap. 2. de quo plura diximus in Antichriſto Lib. 3. Cap. 23. Illud veroſimilius, non ob aliam rationem dictum Rubrum, quàm illud magnum, de quo nuper diximus, quia illud illius primus & magnus Sinus. Atque hæc hactenus, de quibus quoque Pater Pererius diſſeruit in 15. Exodi, Diſput. 8.

Explicantur verba Moſis Geneſ. 2.10. *de fluuio irrigante Paradiſum:* Qui inde diuiditur in quatuor capita: *diſquiriturque quanam ratione Ganges, Nilus, Tygris, & Euphrates ex vno Paradiſi fonte dicantur à Moſe emanare, cum fontes ſuos nunc in diuerſiſſimis terrarum locis oſtendant.*

Cap. L.

FLVVIVM irrigantem Paradiſum, in eodem horto primam ſcaturiginem & fontem aperire, nuper oſtendimus: porro quatuor capita in quæ diuiditur, eſſe illa quatuor ingentia orbis flumina Gangem, Nilum, Tygrim, & Euphratem, fuſe nimis in ſuperioribus roborauimus. Sed cur Moſes dixit, Fluuium ſcaturientem in Paradiſo ad ipſum irrigandum, inde diuidi in quatuor illos prædictos celebres amnes? Quid illud *inde*, vel vt eſt Heb. *de ibi*, ſignificat? Quonam pacto hæc quatuor flumina ex illo vno Paradiſi flumine diſſecantur & oriuntur, cum fontes ſuos & primos ortus in remotiſſimis terris accipiant; Ganges in Caucaſo, Nilus in montibus Lunæ & ima Aethiopia, Tygris & Euphrates in Armenia?

Ingens quibuſdam viſa difficultas, & quam alij validum argumentum exiſtimauerint ad euertendum Paradiſum, atq. in alia loca transferendum, Phiſonq. & Geon, in alios fluuios transformandum. Sed cuncta cum cura expendamus. Particula, *inde*, biſſariam accipi queat, primum quòd fluuius ille quãprimũ in Paradiſo naſceretur, ſtatim ab ipſo fonte ſeu prima ſcaturigine diduceretur in quatuor illos amnes, qui perluerẽt diuerſis alueis & procurſibus Paradiſum: ſecundo, quòd fluuius ille oriens in Paradiſo, totũ Paradiſum PARTICVLA INDE BIFFARIAM CAPITVR.

percurreret, & rigaret, deinde in egreſſu è Paradiſo finderetur in quatuor illa flumina. Vtrumque ſenſum verba Moſis ferre poſſunt, ſed cum vterque ſimul verus eſſe non poſſit, vt ſe res vere habuerit, clam nos eſt: niſi quòd iſto poſteriori modo factam potius diuiſionem, ex ſerie rerum dicendarum coniectamur.

Toſtatus in 2.Geneſ.Quæſt.9.& 13. & in 13.Geneſ.Quæſt.178.multo probabilius ducit,hoc ſecundo modo factum aquarum diuortium. Sed eiſdem locis,& Quæſt.96.in 13.Gen.refert S.Baſilium & S.Ambroſium in Hexaemeron,& S.Iſidorum 15.Etymologiar. aſſerentes, fluuium illum ingenti aquarum copia ex Paradiſo in altiſſimo loco ſito, magna illiſione ruere, vaſtumque edere fragorem præcipitantibus aquis: vnde gentes vicinæ obtuſis auribus obſurdeſcant, iamq. ab ipſo ſuo ortu ſurdæ naſcantur. Deinde ruens illud magnum flumen excipi in ampla planitie, lacu quodam: ex quo diducantur diuerſis alueis,& procurſibus maxima quatuor illa prædicta flumina. Nos eiuſmodi citatorum ab Toſtato Patrum ſententias nondum in Auctoribus reperimus: forſan oſcitantia noſtra fuerit in culpa.

Plerique viri doctiſſimi exiſtimant,à principio ante diluuium, in ipſo extremo margine Paradiſi fluuium illum irrigantem hortum, aperta eruptione atq conſpicua diſſectione,diuiſum in quatuor præfata flumina, manifeſto ſuper terram fluentia; indeq. Gangem,Nilum,Tygrim, & Euphratem ſuos patentes primos ortus habuiſſe: at exorto diluuio, cunctis ſurſum deorſum turbatis,& terræ facie demutata,quamuis eluuionis aquæ Paradiſum non attigerint, quatuor tamen illorum fluminum in ipſo è Paradiſo exitu, perturbatos & obrutos primos egreſſus & eruptiones,eorumq. oculos & fontes in alias regiones, & quidem diſſitiſsimas fuiſſe translatos, in eas nimirum in quibus nunc viſuntur: factumque id diuina & ſingulari prouidentia, vt homines omnem ſpem amitterent per fluminum illorum confluentes veſtigandi Paradiſum: quem ad diluuium vſque Cherubinorum cohortes cum gladijs fulgentibus,ne quis penetraret, cuſtodiſſent.

QVATVOR FLVMINA SVBTERRANEIS MEATIBVS EX PARADISO DIMANANS.

Alij vero,quorum ſententiæ libenter acquieſcimus, arbitrantur, fluuium illum in Paradiſo ſcaturientem, poſtquam amœniſſimum hortum rigaret, atque perlueret vniuerſum, iam inde à primo conditu Paradiſi,non erupiſſe foras aperto & aſpectabili procurſu: ſed ibi in ipſo extremo Paradiſi margine,terra excipi,indeque ſubterraneis & vaſtiſſimis meatibus diuidi in quatuor illa flumina: vel ſi quis malit,ab ipſo iam Paradiſi margine quatuor illa flumina manifeſto ſuper terram curſu ad certum vſque locum deferri,vbi per cuniculos abſorbeantur: quæ tamen terras ſubeuntia per longiſſima ſpatia interdum ſub mari labantur, atq. in diſiunctiſſimis orbis regionibus emergant, primoſque fontes attollant. Vnde quamuis Gangis,Nili, Tygris, & Euphratis fontes noti quidem atque conſpicui, in tam inuicem ſeparatis locis emicent: at internis terræ viſcerum fluxibus & perennibus ſubterraneis meatibus,amnes illos ex vno Paradiſi fonte deriuari. Sapientiſſimeque iſtud Dei conſilio factum putant, quo Paradiſi locus eſſet abſtruſior, ne humana curioſitas ill nc ob ſuam culpam profligata, veſtigijs inde fluentium amnium iterum in Paradiſum conaretur,aut ſaltem ſcire locum aueret.

a Pererius lib. 3. de Paradiſo in Flumine Phiſon: Viegas in 11. Apocal. Comment. 3. ſect. 3.

O quanto verborum ambitu Recentiores quidam [a] iſta aſpernantur,portentoſa,

tentoſa,paradoxa,ac plene impoſſibilia reputantes: multis argumentis euertere conati. Vidimus, attente rationes eorum perlibrauimus, nihil ſolidi, quod nos dimoueat à ſententia,reperimus. Ex Patrum ſenſu,è naturæ exemplis, ex auctoritate magnorum virorum, opinione noſtra valide firmata, quàm vanè Recentiorum argumenta nitantur, luculenter demonſtrabimus: eaque prorſus vt indigna reſponſione contemnemus. PATRES AFFIRMANT.

S. Epiphanius in Anchorato aperte nimis affirmat Tygrim,& Euphratem è Paradiſo ſubter terram fluere,& in Armenia erumpere, ſic ſcribens: Tertius, inquit, fluuius Tygris, curſum faciens in conſpectu Aſſyriorum: ſecat enim partes Orientis, & mergitur ſub terram, & exoritur ab Armenia per medium Cardienſium ac Armeniorum, & reſcaturit rurſum, & ſecatur in Aſſyriorum terram. Sed & quartus fluuius Euphrates ſimiliter eodem modo ſubiens terram, emergit ab Armenia, & ſic alluit Perſidem.] Hæc S. Epiphanius, quæ ad verbum exſcripſit Anaſtaſius Nicænus Quæſt. 24. in Scripturam: & nos ſupra Cap. 7. ex ipſo retulimus.

S. Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi ad litteram Cap. 7. inquit: Quoniam locus ipſe Paradiſi à cognitione hominum eſt remotiſſimus, inde quatuor aquarum partes diuidi credendum eſt, ſicut fideliſsima Scriptura teſtatur. Sed ea flumina quorum fontes noti eſſe dicuntur, alicubi iſſe ſub terras, & poſt tractus prolixarum regionum, locis alijs erupiſſe, vbi tamquam in ſuis fontibus noti eſſe perhibentur. Nam hoc ſolere aquas facere quis ignorat?] Hæc S. Auguſtinus prudenter ſane. Nam cum omnes ſummo conſenſu ſemper tradiderint Gangem, Nilum, Tygrim,& Euphratem ex Paradiſo dimanare: neque aliunde id acceperint quàm ex Scriptura ſacra, nullo pacto in dubium reuocandum, eos reuera inde exire: etſi alijs, diuerſiſque locis fontes oſtendant: ſiquidem credendum, poſtquam aliter fieri nequit, eoſdem ſubterraneis meatibus ex Paradiſo deferri. Verba & ſenſum S. Auguſtini mutuatus eſt S. Thomas 1. P. Q. 102. Ar. 1. ad 2. Theodoretus Quæſt. 29. in Geneſ. ita rogat: Qui fit, vt Moſes aſſerat Tygrim & Euphratem è Paradiſo fluere, quos aiunt nonnulli è montibus Armeniæ ſcaturire? *Reſpondet*: Videre licet & alia flumina aliunde quidem egredi, deinde in terram quibuſdam ductibus fluentia, iterum ſurſum ſcaturire; quod & ijs fluminibus accidit. Exeunt enim illinc, vt ait Scriptura diuina: poſtea per quoſdam meatus ſubterraneos tranſeuntia, ibi originem aliam ſubeunt. Quod quidem non fruſtra omnium Deus ita diſpenſauit, ſed vt amputaret ſuperfluam hominum curioſitatem. Nam ſi paterent eorum omnes meatus, quidam vtique conarentur, eorum ripas proſecuti, locum Paradiſi perluſtrare: ſed fruſtrarentur optatis, & longitudine itineris feſſi, atque neceſſariorum penuria laborantes, modo in aſpera loca incidentes, modo in deſerta, interdum in manus crudelium & barbarorum hominum deuenirent. Hæc igitur præuidens miſericors Deus, ignotos illorum meatus reddidit.] Hæc Theodoretus: quæ in Græca Catena citantur Seueriani nomine. Rupertus Abbas Lib. 2. in Geneſ. Cap. 24. & 29. inquit: Fontes igitur Tygris & Euphratis ſi libet in Armenia demonſtrentur, & tamen per viam quam ſolus nouit Auctor fluminum Deus, de Paradiſo ſecundum veritatem Scripturæ huius manare credantur.] Sic ille. ET CVM RATIONE.

Hugo de S. Victore, Annotationibus in Geneſ. 2. ait: Nos vero non aſſerimus niſi quod Sancti communiter aſſerunt: ſcilicet Paradiſum eſſe quemdam locum determinatum in parte terræ: & flumina illa ortum habere in Paradiſo, & item à terra ibidem abſorta, & extra Paradiſum iterum oriri: qui ſecundi ortus nobis noti ſunt.] Ita ille.

Moſes Bar-Cepha in Lib. de Paradiſo Cap. 21. in hunc modum diſſerit: Igitur illud flumen reuera ingens Paradiſum vniuerſum irrigat: quo perlato, ſcinditur in quatuor deinde fluuios, & ipſos grandes: qui ab illo diducti, ſimul atque Paradiſum reliquere, ſub ipſa maris Oceani vada dilabuntur, atque inde rurſus in hac à nobis habitata emergunt terra. Neque vero hæc nobis ipſi fingimus, ſed tamquam Moſis Prophetæ verbis conſentanea pronunciamus; qui ſatis indicat quatuor eos fluuios, poſtquam Paradiſum reliquerunt, ſub terram delapſos, tandem in hoc à nobis culto orbe prorumpere, ſcaturireque. Sed vrgebit aliquis, qui poſsit fieri, vt quatuor illi fluuij, Paradiſo egreſsi præcipientur ſub Oceani vada, atque inde tandem in hac noſtra terra erumpant? Huic primo reſpondemus, ea quæ à nobis fieri non poſſe exiſtimantur, facilia eſſe Deo: illum vero quem diximus quatuor fluuiorum curſum, atque eius generis alia, diuinum eſſe opus, non humanum. Deinde hoc quoque reſponſum volumus, Paradiſum multo ſublimiore poſitum eſſe regione, atque hæc noſtra extet terra: eoque fieri, vt illinc per præcipitium delabantur fluuij tanto cum impetu, quantum verbis exprimere non poſsis: eoque impetu impulſi, preſſique ſub Oceani vada rapiantur, vnde rurſum proſiliant, ebulliantque in hoc à nobis culto orbe. Hæc ita ſe habere dominns etiam Ephræm, & cum eo Doctores alij affirmant, quare nos quoque libenter aſſentimur.] Hæc Bar-Cepha, qui eadem prorſus Cap. 9. iam præmiſerat. In cuius verbis etſi non omnia probemus, at illud alijs conſentanee recipimus, effluere ex Paradiſo ſubterraneis meatibus quatuor illa flumina: & ſaltem aliquod vt Nilum ſub maria merſum, rurſum emergere.

MIRA BAR-CEPHAE SENTENTIA.

Philoſtorgius præfatis Auctoribus vetuſtior, ex Theophilo apud Nicephorum Lib. 9. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 19. hæc refert: Enimuero Tygris & Euphrates, quibus in locis emergentes appareant, dictum eſt; *nempe ex Armenia*, ſacræ autem Litteræ noſtræ è Paradiſo eos profluere veriſſime commemorant. Ex eo namque fontes & primordia lympharum ſuarum recipientes, fortaſſe ad certum vſque locum ſuper terram profluunt: deinceps vero à vaſta & arenoſa ſolitudine excepti, atque ibi in profundum per cuniculos abſorpti, non prius deorſumverſum currere deſinunt, quàm ad anguſta & lapidoſa eius terræ loca pertigerint, progreſſumq. eorum ad inferiora præcipitem, ſolum durius & ſolidius præpedierit. Vbi vndæ eorum continuæ & confertim confluentes, vi & magnitudine ſua directum eos deinde curſum tenere cogunt. Qui deinde ſubterraneo meatu fluentes, partem aquarum eorum non minimam, quæ in medio eſt terra carpente, minores & tenuiores iam ad ea loca perueniunt, vbi ex cuniculis in apertum erumpunt.

Quòd illi autem occulti ſubterraneo curſu longiſſime voluantur, id non debet videri incredibile: ſunt enim & alia paſſim flumina & maxima & rapi-

rapidiſſima, quæ ſub terra feruntur. Apparet id ex eo ſonitu qui ad aures noſtras ab eis cum ſtrepitu & fragore ruentibus perfertur. Et nonnulli quòd cum ſupra eos fluuios, puteos effodiſſent, & quod ſe eis inferne obtulit lapidoſum ſolum paulum rupiſſent, vnda perſtrepens curſum ſurſumuerſum cum vi quadam moliretur, vix ab eis, qui ad ſummum putei os conſtiterant, ſunt retracti & recepti. Atque illa ſubſequuta in riuum euaſit, quem nulla cæli ſiccitas propter vim & fluxum perpetuum turbarit. Ineffabilis namque Dei ſapientia tamquam venas quæ opus eſſent, ſuppeditans, ſic aquarum procurſus tum occultos, tum manifeſtos perfecit.] Hæc Philoſtorgius: qui rurſus de ortu & defluxu Nili iſta memorat: Sed ne Nilus quidem *poteſt ſuis aquis aliquid ex Paradiſo efferre*; nam & hunc ipſum inde profluere inſpiratæ Moſi litteræ teſtantur. Gehon ab ipſo, à Græcis autem Aegyptus appellatus. Is namque quantum Indicum mare ſubit, ſub quo in orbem circumuolutus, vt coniectura eſt, (quis enim hominum hæc certo aſſeueret, & demonſtret?) & præterea ſub omni ea quæ prætenditur in medio terra, ad mare Rubrum procurrens, ac ſub eo quoque prolapſus, in alterum eius defertur littus, ſub id quod dicitur Lunæ Promontorium: vbi duos fertur efficere fontes, non parum inter ſe diſtantes, & ſurſumuerſum magna vi & fragore prorumpentes, & inde per Aethiopiam prouolutus, in Aegyptum procurrit, per altiſſimas rupes ſtrepitu immenſo præcipitans.] Huc vſque Philoſtorgius. Pomponius Mela Lib. 1. Cap. 9. non reputat abſurdum Nilum vbi ſubter maria cæco aluco penetrauerit, in noſtra terra rurſum emergere: habes eius verba Cap. 34. à nobis deſcripta.

HAVD INCREDIBILE FLVMINA SVBTERRAM LABI.

NILVM SVB MARE FERRI QVI TRADANT.

Porro verba illa Euſebij Cæſarienſis & S. Hieronymi Libello de Locis Hebraicis: Euphrates fluuius Meſopotamiæ in Paradiſo oriens. Salluſtius auctor certiſſimus tam Tygris, quam Euphratis in Armenia fontes demonſtrari. Ex quo animaduertimus aliter de Paradiſo & fluminibus eius intelligendum.] non alio commodiori ſenſu accipi poſſe video, quam quòd horum fontes conſpicui ac ſecundarij in Armenia: veri vero & primarij in Paradiſo, vnde ſecretis per intranea terræ lapſibus fluant, reipſa exiſtant.

Etvero cuncti ferme qui Paradiſum adhuc extare putant, qui ſunt innumeri ac pene omnes, fluuios illos quatuor nempe Gangem, Nilum, Tygrim, & Euphratem ex eodem oriri, licet in difficillimis terrarum orbis locis fontes attollant, neutiquam dubitant: nempe ſubterraneis cuniculis inde prolabi: aut certe olim ante diluuium ex Paradiſo emanaſſe; ſed per eluuionẽ fontes aliò tranſlatos, integre tamen ſeruato Paradiſo. Horum Scriptorum eſt agmen ingens, nec opus eos citari poſtquam tam multi: ſatis eſt antiquiores retuliſſe. Vide Toſtatum in 13. Geneſ. Quæſt. 191. Bellarminum de Gratia primi Hominis, Cap. 12. Gregorium de Valentia 1. Par. Quæſt. 102. Puncto 2. Ludouicum Viues 13. de Ciuitate Dei, Cap. 21. & alios. [a]

[a] Vide Hamerum in 2. Gene. fol. 41. Col. 1.

Reffellit Viegas hunc Doctorum conſenſum de his quatuor fluminibus ſubtus terram ex Paradiſo fluentibus, & in diuerſis regionibus emergentibus, ea ratione quòd cum flumen aliquod per occultos terræ meatus ſubterlabitur, erumpere deinde ſolet maximo impetu ac curſu, vt videmus Anam vbi ſe per quindecim milliaria condidit, rapidiſſimum erumpere: at Tygris & Euphrates ita oriuntur in Armenia, vt ſatis appareat, ibi tum

primum naſci, ac deinde hinc inde confluentibus riuulis paulatim adoleſcere.] Sic ille.

Rogo, diſerte Lector, videturne tibi tantus Auctorum conſenſus iſto argumento tam facile, vt putat Viegas, euerti? Quis enim neſciat, cum flumina tota integra, vno ore erumpunt è viſceribus terræ, tum quidem cum fragore & rapidiſſime emergere: at cum longiſſimo curſu ſub terris fracta feruntur, varijſq. venis & cuniculis in ipſo ore ſparguntur, non niſi paulatim à fonte ſcaturire: interdum ſub aliquo lacu effundi. [a]

a Mela ait, Euphratem immani ore, & vaſte decidere in ortu ſuo.

EXEMPLA AMNIVM SVB TERRA MEANTIVM.

His conſentientia accipe naturæ exempla magnis Auctoribus prodita. Seneca Lib. 3. Natural. Quæſt. Cap. 19. inquit: Habet ergo non tantum venas aquarum terra, ex quibus corriuatis flumina effici poſſunt, ſed & amnes magnitudinis vaſtæ: quorum alijs ſemper in occulto curſus eſt donec aliquo ſinu deuorentur: alij ſub aliquo lacu emergunt.] Et Lib. 5. Cap. 15. agens de cauitate intranea terræ, ait: Flumina illic ſcias licet noſtris paria, ſublabi: alia leniter ducta, alia in confragoſis locis præcipitando ſonantia.] Hęc Seneca, cuius plura de hac re ſuperius Cap. 36. poſuimus.

Plinius Lib. 2. Cap. 103 de amnibus differens, in hunc modum ſcribit: Quidam vero odio maris ipſa ſubeunt vada, ſicut Arethuſa fons Syracuſanus, in quo redduntur iacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens, Peloponneſiaco littori infunditur. Subeunt terras, rurſumq. redduntur, Lycus in Aſia, Eraſinus in Argolica, Tygris in Meſopotamia. Et quæ in Aeſculapij fonte Athenis immerſa ſunt, in Phalerico redduntur. Et in Atinate campo fluuius merſus, poſt vigintimillia paſſuum exit: & in Aquileienſi Timaus.] De Arethuſa hæc canit Maro Ecgloga vltima.

Sic tibi cum fluctus ſubterlabere Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat vndam.

De Ana fluuio Hiſpaniæ, quòd nobis eſt compertiſſimum, hæc Plinius Lib. 3. Cap. 1. Ortus hic Laminitano agro Citerioris Hiſpaniæ, & modo ſe in ſtagna fundens, modo in anguſtias reſorbens, aut in totum cuniculis condens, & ſæpius naſci gaudens, in Atlanticum Oceanum effunditur.] Sic Plinius. Ex his igitur quæ ex Seneca, Plinioque produximus, nulli incredibile videatur Gangem, Nilum, Tygrim, & Euphratem ſubterraneis diuerſiſſimis, vaſtisq. cauitatibus ex vno Paradiſi fonte fluentes, in remotiſſimis inuicem terrarum locis capita ſua, & viſibiles ortus oſtentare. Ex dictis iſto Capite ſolutum manet Quintum Argumentum Cap. 15. poſitum.

Paradiſum terreſtrem, ſeu hortum illum Voluptatis, in aliqua regione Indiæ Orientalis fuiſſe à Deo plantatum. Cap. LI.

ANTERIORA Operis ad hanc vſque partem, eò deſtinauimus vt circumſtantias locorum, fluminumque explicaremus, ex quibus verum Paradiſi ſitum & poſitum, in quanam nimirum orbis terrarum regione plantatus fuerit, accurate inueſtigaremus. Paradiſum in Oriente plantatum, & in Oriente proprie reſpectu totius veteris & antiqui Orbis, nempe in his regionibus quæ Scriptorũ vſu loquendi Orientales dicuntur, ac primus Oriens, & vltra Iudæam ſitæ, Cap. 20. 22. & 23. abun-

13.abunde docuimus.Conditum fuiſſe in terra Eden, & hanc non eſſe prope Meſopotamiam,Cap.17.& 18 oſtendimus. Qui dicebant ſub ipſo Aequinoctiali Circulo præfinite,cõſitum, recte notunt in Oriente ſub Aequatore iacere,tantum Samotram Inſulam, & Borneum, Zebu, & alias minores inſulas ex Molucis; at nullus vnquam clari nominis Auctor ſcripſiſſe reperitur, Paradiſum in aliqua inſula fuiſſe plantatum. Vide Cap. 10. Qui vero exiſtimabant, Paradiſum ſub torrida Zona ſatum, iam diximus multas reperiri ſub Torrida temperatiſſimas & fertiles terras, nec facile, eam opinionem falſitatis argui poſſe. Vide ſupra Cap. 10. At velim expendi,ex natura rei ſub Torrida non ita eſſe commodam humano generi habitationem ob immenſum Solis feruorem, omnia adurentem; niſi forſan ex accidenti aliquo,vt ex opacitate ingentium arborum, ex leni ventorum flatu ardorem temperantium: & loco omnium amœniſſimo atque temperatiſſimo Paradiſi potius conuenire aliquam ſub Zona temperata cis Cancri Tropicum regionem, quàm feruentes illas & exuſtas ſub Torrida. Ergo ex hactenus in ſuperioribus dictis facile quiſque deducet,multo probabilius,ne dicam certius,ac verius eſſe, Paradiſum in Tractus illius Orientalis, qui eſt vltra Sinum Perſicum, ab India vſque ad vltimas Sinarum oras, & Mare Sinicum atq. Eoum, aliqua regione ſub Cingulo temperato citra Cancri Tropicum fuiſſe à Deo conſitum. Vnde Toſtatus in Geneſ. 13. Quæſt. 92. ait: Paradiſus eſt in parte Orientali Aſiæ, & eſt magis Orientalis quàm terra Indorum.] Sic ille. Idem aſſerit Quæſt. 132.

PARADISVS NON SVB AEQVINOCTIALI.

POTIVS CIS CANCRI TROPICVM.

Certo autem veluti digito indicare, ac circumſcribere locum Paradiſi in aliqua eiuſmodi Orientalis Tractus terra,aut Prouincia, haud tutum putamus: vnde illum, Indum inter & Gangem prope Aceſinem vbi Hiarotis committitur, in Indoſcythia definite pangere, è ficus Indicæ argumento, audaciam exiſtimamus.(Vide Cap. 16.)cum ficus Indica per totam Indiam etiam vltra Gangẽ vſque Sinarum regna progerminet. Si augurari licet in loco quem Deus mortalibus occultiſſimum eſſe voluit, forſan haud abſurde quis eum conſeuerit in Indiæ aliqua regione non procul à Gange citra, vel vltra: vel ſi aliquis malit, in terra aliqua abſtruſa Sinarum. Nam quæ de aromatibus, gemmis,margaritis, pretioſis frugibus,præſtantia & magnitudine arborum, bonitate & opulentia ſoli terræ Indiæ, Sinarumque in ſuperioribus,varijs locis ſparſim nobis ſunt diſputata, facile inducunt vt ſuſpicemur in aliqua iſtarum regionum plantatum fuiſſe Paradiſum. Illud certo affirmamus, non in Meſopotamia aut Perſia, ſed in Orientalioribus terris conditum fuiſſe.

CERTVM EIVS LOCVM INDICARE HAVD TVTVM.

Quod attinet ad plantatum Paradiſum in aliqua Indiæ, aut Sinarum regione, non deſunt Patres qui id vel innuant, vel ſatis aperte edicant, noſtramque coniecturam mirifice iuuent. Horum ſententias è Cap. 11. & 20. vbi eas fuſe poſuimus, delibemus. Tertullianus, vel S. Cyprianus Lib. de Geneſ. Cap. 2. de Paradiſo ait:

IN INDIA VEL SINIS, INDICANT PATRES.

primiq. adſpectat lumina Solis

Lactantius in Carmine de Phœnice:

Eſt locus in primo felix Oriente remotus.

Proba Faltonia in Virgilio centonibus, ait:

Ecce

Ecce autem primi ſub limine Solis, & ortus.

Claudius Marius Victor Lib. 1. in Geneſ.

Eoos aperit felix quà terra receſſus.

S. Alcimus Auitus Lib. 1. De initio mundi:

Eſt locus Eoo mundi ſeruatus in axe,
Secretis natura tuis, vbi Solis ab ortu,
Vicinos naſcens aurora repercutit Indos.

Et paulo inferius:

Ergo vbi tranſmiſſis mundi caput incipit Indis,
Lucus inacceſſa cunctis mortalibus arce
Permanet.

Vides hunc Auctorem Paradiſum vel in India, vel in vlteriore proxima regione plantare. S. Iſidorus Hiſpalenſis Lib. 14. Originũ Cap. 3. Paradiſum facit primam regionem Aſiæ maioris, ab Ortu Solis. Præterea Deo inuiſus Philoſtorgius, ex Theophilo æque impio hæc refert apud Nicephorum Lib. 9. Hiſt. Cap. 19. Et omnino cuncta quæ ad Orientem Solem eſt ora, longe reliquam terram rebus omnibus excellit. Paradiſum autem quem extremũ mare Orientale alluit, cum totius Orientis pulcherrimus & puriſſimus ſit, cælum lætiſſimum, amœniſſimumque habens, & aquis pellucidiſſimis rigetur, ſatis conſtat, incomparabili præſtantia quàm terram quæ ſub ſole eſt omnem, omnia gignere & ferre meliora.] Hæc Philoſtorgius: qui plura adiungit de bonitate & opulentia Orientalis Indiæ, vbi conditum Paradiſum haud obſcure innuit: cum enim hunc dicat extremo mari Orientali allui, ſatis aperte indicat vel in India, vel in Sinarum aliqua ora Zonæ temperatæ fuiſſe conditum.

CLARIVS S. ATHANASIVS. S. Athanaſius Quæſt. 47. ad Antiochum hæc ſcribit: Vbinam locorum Paradiſum putamus eſſe? Quidam enim Ieroſolymis, quidam in cælis eum ſtatuunt. Reſponſio. Nullus horum verus eſt. Et quòd Ieroſolymæ non ſit, teſtatur Adam qui in Caluariæ monte iacet: conſtat autem eum non in Paradiſo ſepultum, ſed eiectum. Quòd autem in cælo non ſit Paradiſus, teſtatur Scriptura inquiens: Plantauit Deus Paradiſum in Eden ad Orientem. Docet igitur nos, quod ex Oriente omnis terræ ſit Paradiſus. Vnde perhibẽt exquiſitiores Hiſtorici, quòd huius rei gratia omnia aromata ſuauiſſimi odoris, circa Orientaliora loca, ſeu Indiæ fines proueniunt, vtpote quæ ſint vicina Paradiſo. Et quemadmodum palmæ maſculæ propinquas ſemellas aſpiratione ventorum contactas, fructuoſas reddunt: ſic etiam ex Paradiſo ventorum aſpiratione fragrantia exhalans, propinquiores illis locis arbores aromaticas efficit.] Hæc S. Athanaſius.

Fide minuit Sixtus Biblioth. ſanctę Lib. 4. hoc teſtimonium, cum Quæſtiones illas ad Antiochum, non eſſe Athanaſij Magni genuinum partum affirmat: duobus potiſſimum argumentis: & quòd Quæſt. 4. citet S. Dionyſium Areopagitam, cuius ſcripta tempore S. Athanaſij incognita erant: & quòd Quæſt. 33. Athanaſium citet diuerſam ab eo ſententiam promens. Fatetur tamen Sixtus Opus ex Sanctis Patribus ab erudito quopiam collectum. Iam igitur ſententiam hanc de Paradiſo in India, vel prope plantato, ex aliquo antiquo Patre acceptam fateri oportet. Sed nec Sixti argumenta conuincunt

cunt

cunt. Nam Dionyſij ſcripta nota fuiſſe S. Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo, qui ea ſub Marco Aurelio Imperatore Commentarijs illuſtrarit, S. Maximus Monachus & Martyr in Scholijs in Areopagitam, auctorem citat Anaſtaſium Antiochenum. S. Gregorium Nazianzenum multa Areopagitæ verba ſuis inſeruiſſe Libris, Iacobus Billius Lib. 1. Sacrarum Obſeruationum, perſpicue demonſtrat. S. Chryſoſtomum nouiſſe probe ſcripta Dionyſij, Anaſtaſius Bibliothecarius Epiſtola ad Carolum Caluum teſtatur. S. Cyrillum Alexandrinum ex Operibus Dionyſij, aduerſus ſui temporis hæreticos teſtimonia deſumpſiſſe, Liberatus Diaconus in Breuiario eſt auctor. Omittimus Recentiores innumeros, quibus notiſſima fuiſſe Dionyſij ſcripta, non eſt dubium. Quod ſi Dionyſio Corinthiaco, Nazianzeno, Chryſoſtomo, Cyrillo, Areopagitæ ſcripta innotuerunt, quid mirum S. Athanaſio fuiſſe quoque cognita? At de Scriptis S. Dionyſij, quæ aliqui olim in dubium reuocarunt, & Nouatores hoc ſæculo exibilant, cum plurimi egerint, præ ceteris conſule Sixtum Lib. 2. Biblioth. Matthæum Galenum in Areopagiticis, Baronium Tomo 2. Annal. Martinum Del rio Lib. 6. Magicarum Diſquiſitionum, Cap. 3.

ASSERITVR OPVS S. ATHANASII.

Nec inſuper nouum eſt, imo familiariſſimum Athanaſio de ſe ſemper in tertia perſona loqui, vt in Apologijs eius, & Epiſtolis cernere eſt. Certe illud potuit eſſe gloſſemma è margine, vt aſſolet, in contextum illapſum. Equidem Opus illud Quæſtionum ad Antiochum nomine Athanaſij magni ab Anaſtaſio Niceno in Quæſtionibus Scripturæ, & ab omnibus citatur: & in nouiſſima S. Athanaſij Operum GræcoLatina Editione tamquam natiuus eiuſdem Auctoris fetus habetur excuſſum. Nec inſolens eſt Opera magnorum virorum adiectionibus, vel è margine illapſionibus quandoque vitiari. Sed iam ad Paradiſum redeamus, quem in aliqua Indiæ, vel Sinarum regione plantatum magna veriſimilitudine prodebamus.

Et ſi veſtigijs litterarum aliquid vtcumque tribuimus, cur quod ait Moſes: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum in Eden, ad Orientem*. Illud *in Eden*, voce colludente, non interpretabimur, in India? certe ex Eden Hebraico effictum Indiæ nomen, & ſono vocabuli ſimili, & ſignificato eodem plane, haud prorſus inepte quiſpiam auguretur. Nam ſi Eden, nomen eſt amœnitatis, & delitiarum, nulla amœnior, & delicatior in toto orbe regio ipſa India, aut Sina, quæ incredibilem rerum omnium præſtantiam & pulchritudinē gignit. Equidē quod in Eſther, & ab Hebræis India vocetur *Hodu*, putamus potius id nouū eſſe vocabulum ex India conflatum, quàm proprie Hebræum. Opportune hoc loco inſerenda fabella multorum ſermone iactata, quam apud Ioannem Gonzales in Itinerario noui Orbis Cap. 18. deſcriptam reperimus: Regem quendam Bengalæ, quam Ganges præterfluit, fontem fluminis, atque adeo Paradiſum inueniendi cupidine incenſum, aduerſo amne miſiſſe quoſdam nauigijs, & plurium menſiū commeatu inſtructos. Hi fluuio longius emenſo multorū dierum nauigatione, ad campos deuenere, vbi Ganges placide ſtagnabat, ſeghius fluens. Ibi aura ſpirabat lenior, florum, aromatumq. mirabilis odor incredibili voluptate animos omniū perfundebat. Rati fontē haud procul abeſſe, remis, velisq. valide in vlteriora conabātur, ſed omnis opera, laborq. euaneſcebat; nā

EDEN FORSAN INDIA

הודו

FABELLA.

quamuis omnia eſſent ſecundiſſima, & ſe celerrime inuehi exiſtimarent, nihil tamen à loco promouebant. Intellectum ab ijs occulta quadam vi ſe detineri, nec longius ex indicijs locorum fontem Gangis, Paradiſumq. diſtare, quò penetrare prohiberentur. Non obſtringo fidem meam, ſed ſincere ex auctoribus repoſui.

Confutatur Secundum Argumentum eorum, qui Paradiſum prope Meſopotamiam plantatum exiſtimarunt, poſitum ſupra Cap. 15. ſimulq. de bonitate & opulentia telluris Indicæ atque Sinicæ diſſeritur. Cap. LII.

MESOPOTAMICI ſeu Arabici Paradiſi ſatores, primũ ſuæ opinionis argumentum à loco Eden Meſopotamiæ ſumebant: ſed id accurate ſupra Cap. 17. & 18. diſcuſſum eſt. Secundum vero ab vbertate & naturæ dotibus Meſopotamiæ ducebant: ſed nullo pacto Meſopotamiam cum India Orientali & Sina in hac parte conferendam, tam perſpicue ex omnium Auctorum conſenſu liquet, vt neminem ſanæ mentis refragaturum putemus. De abundantia, præſtantiaque Indici auri ſupra Cap. 42. multa perſcripſimus. De copia & excellentia vnionum & margaritarum Indicarum & Sinicarum, Cap. 44. abunde diſſeruimus. De gemmis & lapidibus pretioſis Indiæ & Sinæ incredibili & multitudine & valore, vide quæ attulimus Cap. 45. & 46. De aromatibus & miræ virtutis Indiæ, Sinæque frugibus, non pauca diximus Cap. 44. De magnitudine, & pulchritudine arborum Indiæ atque Sinarum nonnulla notauimus Cap. 16. Sed de virtutibus earundẽ, de odoribus, & medicinis admiranda proferunt Plinius Lib. 12. à Cap. 4. ad 8. Solinus in Polyhiſtore Cap. 55. ex Recentioribus Chriſtophorus Acoſta Luſitanus Lib. de Aromatibus Indicis, & alij. De lucis, nemoribus, ſiluis, ſaltibus procerrimarum & opaciſſimarum arborum, de earum quoque ad diuerſos humanæ vitæ vſus bonitate, plura Strabo Lib. 15. Q. Curtius Lib. 8. & 9. Sed pauca Auctorum encomia quibus mirifice fertilitatem rerum optimarum Indiæ celebrant, deſcribamus.

PRETIOSA INDIAE, ET SINAE.

Herodotus Lib. 3. inquit: Et ſane pulcherrimas res India ſortita eſt.] ſequitur mira in eandem ſententiam enarrare, quæ ob prolixitatem vitamus. Strabo Lib. 15. hæc inter alia habet: Magaſthenes felices Indiæ terras hiſce ſignis oſtendit, quòd bis fructus producat, vt etiam teſtatur Eratoſthenes, binas, inquiens, eſſe ſementes, hibernam vnam, æſtiuam alteram. Similiter & nimbos; nullum enim reperiri annum, qui vtroque tempore pluuijs careat. Itaque ob eam cauſam beatos euenire annos, cum terra numquam ſterilis exiſtat. Arboreos quoque fructus late copioſeque produci, ſimul & radices ingentium præſertim calamorum dulces.] Hæc & innumera Strabo de felicitate telluris Indicæ.

FERTILITAS SOLI INDICI.

Plinius Lib. 6. Cap. 17. Alia illius cæli facies, alij ſiderum ortus, binæ meſſes in anno, binæ æſtates, media inter illas hiems, lenes ibi auræ, mare nauigabile, gentes & vrbes innumerabiles.] Et Lib. 7. Cap. 2. Præcipue India

miraculis

miraculis ſcatet. Maxima in India gignuntur animalia. Indicio ſunt canes grandiores ceteris. Arbores quidem tantæ proceritatis traduntur, vt ſagittis ſuperari nequeant. Hæc facit vbertas ſoli, temperies cæli, aquarum abundantia, (ſi libeat credere) vt ſub vna ficu turmæ condantur equitum. Arundines vero tantæ proceritatis, vt ſingula internodia alueo nauigabili ternos interdum homines ferant. Multos ibi quina cubita conſtat longitudine excedere: non expuere, non capitis, aut dentium, aut oculorum vllo dolore affici.] Eadem de arundinibus refert Herodotus Lib. 3. & Solinus Cap. 55. de quibus nos etiam in Antichriſto Lib. 3. Cap. 12. & nuper Petrus Chirinus Ieſuita in Relatione de rebus Philippinarum Cap. 4. miranda prodidit.

Sed pergit Plinius: Cyrnos Indorum genus Iſigonus annis centenis, quadragenis viuere. Oneſicritus quibus in locis Indiæ non ſint vmbræ, corpora hominum cubitorum quinum, & binorum palmorum exiſtere, & viuere annos centum triginta, nec ſeneſcere, ſed vt medio æuo mori. Crates Pergamenus Indos qui centenos annos excedant, Gymnetas appellant, non pauci Macrobios. Cteſias gentem ex his, quæ appellantur Pandoræ, in conuallibus ſitam, annos ducenos viuere, in iuuenta candido capillo, qui in ſenectute nigreſcat.] Hactenus Plinius.

Solinus vero in hunc modum refert Cap. 55. India Fauonij ſpiritu ſaluberrima: in anno bis æſtatem habet, bis legit fruges.] Et poſtea: Vitium vero, & arborum vniuerſarum, quibus gratia dulcis eſt, prouentibus copioſiſſima.] Subdit: Mittit India & calamos adoratos, potentes aduerſus inteſtinæ ægritudinis incommoda. Dat & multa alia fragrantia, mirifici ſpiritus ſuauitate grata.]

Pomponius Mela Lib. 3. C. 7. India tam pinguis alicubi, & tam feracis ſoli, vt in ea mella frondibus defluāt, lanas ſiluæ ferant, arundinum fiſſa internodia veluti nauitas binos, & quædam ternos etiā vehant.] Diodorus Siculus Lib. 2. multa de vbertate Indiæ narrans, ait: Bis annis ſingulis ſegetes fert.]

Sed & Recentiores rerum Indicarum Hiſtorici, atque Chorographi numquam ſatis pro dignitate opes, delitias, ac fertilitatem Indiæ ſe laudare putant. Ludouicus Vartomannus de Bengalæ regno hæc refert Lib. 6. Cap. 13. Huius regni tanta eſt rerum omniū vbertas, vt nihil quod ad humanos vſus pertineat, deſideres, ſi omnifaria animalia, ſi item rei frumentariæ vberiorē copiam, ſi rurſus ſaccarum, zinziber, & id genus aromata, ſi poſtremo goſſipium, ſericumq. reſpicias, nulla eſt profecto in orbe toto plaga fecundior: ob eām rem nuſquam alibi ditiores locupletioresq. inueniuntur negotiatores. Sunt etiam ibi innumeri exteri mangones, qui gemmas, lapilloſq. pretioſos præſtinant ab incolis.] & poſtea C. 14. addit: Inde ſoluimus, eam vrbē deſerentes, quæ omnium rerum fecunditate cunctas exuperat vrbes, ſi humanas ſpectaueris delitias.] Eadem ferme ſcribit Marcus Paulus Lib. 2. Orientalium Regionum, Cap. 45. [a] Opus ſine exitu eſſet ſi cuncta bona telluris cælique Indiæ à Recentioribus prodita huc vellemus attexere: conſuli poterunt Marcus Paulus toto lib. 3. & Vartomannus toto lib. 6.

INDICAE OPES.

[a] Et Oſorius Lib. 11. de Reb. Emanuel.

De incredibili regni Sinarum opulentia, diuitijs, fugum, & rerum omnium copia pleniſſimi ſunt Recentiorum Commentarij: adeo enim in hoc genere ſtupenda proferunt, vt niſi omnes in eandem ſententiam conſentirent,

SINARVM DIVITIAE.

& ex Breuiarijs, publicisque Regni tabulis ſe prodere affirmarent, vix vllam fidem mereri viderentur. Inter alios Bernardinus Scalantius peculiari Libello, Hieronymus Oſorius Lib. 11. de Rebus Emanuelis, Ortelius in Tabula Chinæ, Maffeius Lib. 6 Indicę Hiſtorię, & Ioannes Gonzales integro Opere de Regno Sinarum, inſpiciendi Lectoribus.

Iulius Scaliger qui Exercitatione 99. aduerſus Cardanũ contendebat, longe meliora ac præſtantiora naſci in Regionibus quæ ſunt cis Perſicũ Sinum ad extremam vſque Luſitaniæ oram, quàm in Orientis terris quæ ſunt vltra Perſicum mare ad vltima Sinarum littora, neceſſe eſt vt cauſa ingenue cadat, nedum recentibus, ſed antiquis quoque mercimonijs, emporijs, & prouerbio iactatis Orientis opibus manifeſte redargutus, atq. apertiſſima rerũ experientia omne dubium explodente. Quod ad Indici cęli temperiem attinet, vnde vitam longiſſimam hominibus propagari ſuperius ex Plinio vidimus, non omittimus rem memoratu dignam, quam ex Ferdinando Caſtañeda Lib. 8. & alijs Luſitanicis rerum Indicarum Auctoribus, acceptam Maffeius Lib. 11. perſcribit his verbis: Quidam è Gangaridum gente, quam hodie Bengalam vocant, ad Prætorem adijt, *erat is Nunius Acuña*, natus vt ferebatur annos trecentos triginta quinque: neque mendacij ſuſpicio ſuberat: nam & ſeniores, qui tum erant, ſe de hoc eodem grandæuo aiebant a maioribus accepiſſe: & ipſe filium habebat nonagenarium, & cum litteram noſſet nullam, quæ referebantur ab eo de veterum geſtis rebus, ad fidem annalium optime congruebant. Huic aliquoties iam deciderant dentes, alijs continuo ſubnaſcentibus: & barba vbi prorſus incanuiſſet, in atrum denuo colorem, idque paulatim ſemetipſa vertebat. Ante centeſimum annum idola coluerat; inde æque miſerabili errore ad nefariam Mahometis tranſierat ſectam. Is propter miraculi nouitatem Sultani, *nempe Regis Cambaiæ*, ſtipendijs ali conſuetus, idem vitæ ſubſidium à Nonnio petijt. Nonnius haud grauate aſſignauit.] Hæc Maffæius.

INDVS NATVS CCC. XXXV. NANOS.

At ne cui res iſta bona ſcriptorum fide narrata, incredibilis eſſe videatur, confirmat eam exemplis Pater Delrius Lib. 2. Magicarum Diſquiſitionum Quæſt. 23. Sic ſcribens: Duo legas exempla apud Torquemadam in Dialogo 1. Horti florum: Anno 1531. Tarenti fuiſse centenarium ſenem capularem, qui pilis, cute, vnguibus, & ſitu atque ſqualore ætatis decidentibus, & in melioris ætatis omnia mutatis, de ſene iuuenis prodierit, & quinquaginta poſt annis ſuperuixerit. In Caſtellæ quoque Rioja alteri cuidam viro ſimilem obtigiſse ſortem, idque vulgi fama notiſſimum fuiſse, & ab Ammira Caſtellæ ſedulo exploratum. Monuedrum regni Valentini oppidum eſt, olim Saguntus, hic ſe viuo ſcribit Valeſcus Tarentaſius Lib. 6. Philonis C. 12. fuiſſe Monialium Abbatiſſam, cui iam ſilicernio, ſubito menſtruis fluoribus renouatis, dentes renati, comæ denigratæ, rugæ & ſulci cutis adæquati, mamimæ pendulæ, atque pannoſę ad inſtar virgunculæ ſororiarunt: ſic denique ſe vultu, facie, totoq. corporis habitu iuuenculam exhibuiſſe, vt rei nouitate percuſſa, præ verecundia, ſe cunctorum oculis ſubtrahere niteretur.] Hæc ille. Libet hic dicere cum Plinio Lib. 7. c. 1. Naturæ rerum vis atque maieſtas in omnibus momentis fide caret. Scioli rident, quia ingenio ſuo, non naturæ potentia cuncta metiuntur. At hæc ſatis.

Illud

Illud ex tota Capitis huius diſputatione colligimus, ſi ex vbertate & præſtantia locorum, coniecturæ ſitus Paradiſi ſint ſumendæ, maiores eſse pro India, quàm pro Meſopotamia.

Diluitur Tertia Obiectio Cap. 15. poſita, ſimulque de loco vbi primi Parentes Paradiſo exacti habitarunt, accurate tractatur.

Cap. LIII.

TERTIVM argumentum illorum qui prope Meſopotamiam Paradiſum conſerebant, diſſeri poſtulat de loco vel regione vbi Adam & Heua à Paradiſo expulſi incoluerint. Genebrardus Lib. 1. Chronograph. Pag. 9. & 10. Pererius Lib. 3. in Geneſ. agens de Tygri & Euphrate, & alij putant, eos in Syria Damaſcena, ſeu vicinis regionibus cis Euphratem habitaſſe: nempe non longe à Meſopotamia ſeu Paradiſo: eo potiſſimum argumento, quòd in eiſdem terris eorum poſteri, piorum cœtus apud quos Eccleſia vigebat, ſedes fixerint. Equidem Seth cum Eccleſia fidelium in Syria habitaſſe, vbi memorabiles duas illas columnas lateritiam, & lapideam, ſcientiarum notis exaratas, contra incendia ac diluuia excitauerint, ex Ioſepho Lib. 1. Antiq. Cap. 2. pluribus Lib. 3. de Antichriſto Cap. 18. docuimus. Petrus Comeſtor in Hiſtor. Geneſ. Cap. 31. refert ex S. Methodio Seth habitaſſe in Cordan quodam monte proximo Paradiſo. His adſtipulari videtur Beroſus Annianus, qui Lib. 1. de Temporibus ante diluuium, reſpiciens ad illud Geneſ. 4. 17. de Cain: *Et ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui, Henoch.* hæc inquit: Scribunt, illis temporibus circa Libanum fuiſſe Enoch vrbem maximam gigantum; qui vniuerſo orbi dominabantur ab Occaſu ſolis ad Ortum.] Sic ille. In quẽ locum Annius hæc annotat: Aedificauit autem Cain vrbem Enoch ad Orientalem plagam reſpectu regionis Eden Hebraice dictam, ſiue Latine locum & regionem delitioſam, ſiue Græce Paradiſum. Eſt autem regio Damaſcena, vt quidam ſuſpicantur; quia ad Orientalem plagam eſt mons Libanus, in quo eſt vrbs Enoch diruta; cuius maxima & ingentis molis fundamenta viſuntur: & vocatur ab incolis regionis, Ciuitas Cain, vt noſtri mercatores & peregrini referunt qui in Damaſco & Libano ſunt aſſueti.] Hæc Annius. Si igitur Cain in monte Libano vrbem condidit, cum ipſe non procul à Parentibus habitauerit, ſatis innuitur Adamum loca vicina tenuiſſe.[a]

VRBS HENOCH IN LIBANO.

Verum de Vrbe Enoch in Libano refragatur Genebrardus, ita diſſerens: Enoch vrbium prima de nomine primogeniti Cain: hanc in Libano fuiſſe ſcribunt, vbi erat lignorum copia, nempe mons & ſilua eiuſdem nominis cedrina. Non tamen illic fuiſſe videtur, ſed potius in Aſſyria, vel regione trans Tygrim, quæ eſſet Orientalis ipſi Paradiſo Eden. Nam Geneſ. 4. egreſſus Cain à facie Domini (ideſt, à loco in quo ei apparuerat Dominus, ſiue loco vbi erat cœtus piorum, quem Deus ſolet reſpicere, & fauore proſequi,) habitauit profugus in terra Nod (quaſi exilij & fugæ, vt Latine Latium, quòd illic latuiſſet Saturnus) ad Orientalem plagam Eden, ideſt, vltra Meſopotamiam, vbi erat Eden.] Tantum ille. Nos Cap. 18. Cainum in lo-

a Vide Oleaſtr. & Tſellam in 4. Geneſ.

cis

cis Orientalibus verſus Paradiſum, reſpectu habitationis Adam, & Eccleſiæ, ſedes fixiſſe veroſimilius duximus.

Græci plerique Patres vti C. 15. vidimus, è Græca Septuaginta Tranſlatione arbitrati ſunt Adamum è Paradiſo eiectum non longe ab ipſo Paradiſo locum habitationi, Dei iuſſu, accepiſſe. Sed ex Septuaginta Editione nullum hic ſolidum ſumi argumentum poteſt, quòd ſit aperte deprauata, & cum Hebraico Fonte ac Editione Vulgata perſpicue pugnet. Vnde S. Hieronymus in Quæſt. Hebr. in Geneſim, propoſita huius loci Septuaginta verſione, ſic ait: Et eiecit Adam, & habitare fecit contra Paradiſum voluptatis. Et ſtatuit Cherubim, & flammeam romphæam, quæ vertitur ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Alius multo ſenſus eſt in Hebræo, quàm hic intelligitur: ait enim: Et eiecit Adam, haud dubium quin Dominus: & habitare fecit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, qui verteretur, & cuſtodiret viam ligni vitæ. Non quòd ipſum Adam quem eiecerat Deus, habitare fecerit contra Paradiſum voluptatis: ſed quòd illo eiecto, ante fores Paradiſi Cherubim & flammeum gladium poſuerit ad cuſtodiendum Paradiſi veſtibulum, ne quis poſſet intrare.] Hæc S. Hieronymus. Perperam ergo Septuaginta Adamo tribuerunt quod in Hebræo & Vulgato de Cherubinis eſt dictum. Sed de loco iſto Geneſis 3. v. 24. agendum nobis vberius infra Cap. 81.

SEPTVAGINTA DEPRAVATI.

Alij vero voluerunt, Adamum in Iudæa, ſeu Terra Chanaan habitaſſe, ac forte Ieroſolymis. S.Hieronymus hanc quaſi per manus traditam famam ita refert Epiſt. 17. In hac vrbe, *Ieruſalem*, immo in hoc tunc loco, & habitaſſe dicitur, & mortuus eſſe Adam.] Sic ille. Sed hanc de habitatione Adami in Iudæa ſententiam, eius Auctores non vno modo tuentur: nam S. Baſilius in Cap. 5. Iſaiæ prodit, Adamum quamprimum Paradiſo fuit exactus, in Iudæa locum habitationis habuiſſe, ſic enim ſcribit: Prima vtique Iudæa hominem habebat accolam; nimirum Adam, ſimulatque excidit delitijs Paradiſi, in hac terra collocatum ad mitigandum iacturam bonorum, quibus fuerat exutus.] Hæc ille. Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo Cap. 14. eiuſdem ſententiæ auctores laudat S. Athanaſium & S. Cyrillum, ſic dicens: Athanaſius & Cyrillus inter alia ſcribunt, habitationem primam poſt Paradiſum fuiſſe Adamo in Iudæa.]

ADAMVM IN IVDAEA HABITASSE DOCENT PATRES.

At quòd Adam Paradiſo pulſus, antequam in Iudæam perueniret, plures regiones fuerit peruagatus, S.Cyrillus Alexandrinus affirmat: de quo hæc ſcribit Bar-Cepha Lib. de Paradiſo Cap. 1. Cyrillus in eo Commentario quod in Iſaiam Prophetam condidit, cenſet Adamum, poſtquam Paradiſo eſſet egreſſus, & varia peruaſiſſet loca, in Iudæa primum habitaſſe, & tandem Ieroſolymis obijſſe mortem.] Sic ille. Pererius Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 2. d Paradiſo, & Pineda Lib. 2. Monarchiæ Eccleſiaſt. Cap. 11. §. 2. notant, Adamum è Paradiſo profligatum varias terras luſtraſſe, & forſan iter mille leucarum emenſum.

Verum S.Epiphanius Hæreſi 46. exiſtimat, Adamum, primum non paruo tempore in locis Paradiſo vicinis conſediſſe: poſtmodum vero multis peragratis regionibus, & longo itinere in Iudæam deueniſſe: atque ibi tandem fixo domicilio, & mortuum, & ſepultum fuiſſe. Verba S. Epiphanij ſunt: Egreſſus Adam

ADAMVM MVLTAS REGIONES PERAGRASSE.

Adam de Paradiſo, cum habitaſſet è regione ipſius multo tempore, & per multos dies perueniſſet, poſtea abijt eò, & in loco hoc Ieroſolymorum videlicet, debitum naturæ perſoluens, illic ſepultus eſt.] Hæc ille. Porro quicumque humani generis Parentem in Iudæa habitaſſe exiſtimarunt, inde potiſſimum ſuam ſententiam firmaſſe videntur, quòd fama vulgatum eſſet, Adamum in Caluariæ monte, vel vrbe Hebron mortuum, ac humatum fuiſſe: de qua re tribus ſequentibus Capitibus ſolerter diſſeremus.

Sed audiamus interim Rupertum Lib. 3. in Geneſ. C. 31. de loco vbi Adam poſt exitum è Paradiſo habitauerit, ita diſſerentem: Vbi autem, vel in qua parte terrarum hic infelix operarius habitauerit, non legimus, niſi quod eum ſepultum in Hebron ciuitate quatuordecim millibus ab Ieroſolymis diſtante, ſacra Scriptura teſtatur. Sic enim in Libro Ioſue ſcriptum eſt: Nomen Hebron ante vocabatur Cariat Arbe. Adam autem maximus ibi inter Enacim ſitus eſt.] Hæc ille.

Ex illo Geneſ. 3. 23. *Et emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt*. coniectari vtcumque poſset aliquis, locum habitationis Adæ è Paradiſo deturbati: nam ſi in eam terram tranſlatus, ex qua formatus eſt, quidam eum in Syria Damaſcena, alij in Hebron formatum credidere, vt alterutrius iſtorum locorum eum accolam fuiſse poſſimus ſuſpicari. At verba ſacra vniuerſe tantum videntur innuere, Adamum eiectum è Paradiſo ad excolendam terram extra Paradiſum, ex qua efformatus eſt, quæcumque ſit illa. Sed de his Cap. 58. plenius dicemus.

Nos de loco domicilij Adami poſt egreſsum è Paradiſo, ita cenſemus: Generis noſtri Auctorem quam primum è Paradiſo diſceſſit, non longe à Paradiſo in regione vicina, nutu Dei conſediſse: qua enim fronte (ſileo nunc Septuaginta Tranſlationem) Euſebium Cæſarienſem, S. Epiphanium, S. Cyrillum Ieroſolymitanum, S. Ephræm Syrum, S. Chryſoſtomum, S. Auguſtinum, Theodoretum, tantos Patres, iſtud aſſerentes, vti Cap. 15. eorum ſententias poſuimus, contemnemus? Et ſane maxime vero conſentaneum videtur Adamum, cum dulci coniuge Paradiſo exactum, eam regionem quæ propior Paradiſo commodum humanæ habitationi præſtaret locum, primum inſediſse; cum amore felicis patriæ à qua exciderant, loci propinquitatem qualecumque ſolatium reputantes: tum quia vix ſit veriſimile, duos ſolos homines ſeminudos, inexpertas & longe remotas terras adiſſe: addimus & Patrum rationem, aſſignatum fuiſse Adamo prope Paradiſum incolatum, vt ex contemplatione felicis loci amiſſi, magis ad pœnitentiam peccati patrati commoueretur. NOSTRA SENTENTIA DE HABITATIONE ADAMI, PRIMVM PROPE PARADISVM.

Sed num toto vitæ ſuæ tempore Adamus in regione prope Paradiſum habitauit? Euſebius Cæſarienſis in Græca Catena in Geneſ. 3. affirmare videtur; nam cum dicat Cherubim & fulminantis gladij aſpectum manſiſse ante Paradiſum ad vtilem terrorem Adami, quamdiu vixit, ſatis innuit totum vitæ curriculum peregiſse Adamum in locis Horto vicinis, vnde recte videre poterat Cherubim & flammantem gladium ad vtilem pœnitentiæ terrorem. Nam ſi è conſpectu illorum in alias remotiores regiones diffugiſset, nullus ex aſpectu terror toto vitæ tempore eum ad pœnitentiam incitare potuiſset: cum longe poſitus terrificam viſionem haud intueretur.

At po-

At potius exiſtimamus, Adamum poſtquam non paruo tempore in regione proxima Paradiſo incoluiſset; vel Dei monitu, vel mœrore amiſsæ felicitatis victum, diutius beatum locum quem ſua culpa perdiderat, videre non ſuſtinentem, in Occidentales terras commigraſse, atque in Iudæam deueniſse, ibique vel in Hebrone, vel Ieroſolymis ſedem reliquæ vitæ ac ſenectuti, morti denique & ſepulturæ fixiſse. Id quidem diſerte S. Epiphanius nuper aſseruit: & certe Adamum in Iudæa vixiſse, tantis Patribus aſſerentibus facile credimus. Verum hinc non ſequitur prope Iudæam fuiſse Paradiſum; nam ſi dixerimus primam Adami habitationem fuiſſe in Iudæa, iam ſuperius ex S. Cyrillo, alijsque docuimus, Adamum pulſum à Paradiſo, antequam in Iudæam potuiſſet peruenire, multas regiones peragraſſe: & non niſi longo & laborioſo itinere in Iudæam deueniſſe.

DEINDE IN TERRA SANCTA.

Sed probabilius multo reputauimus, ſecundam habitationem fuiſſe Adamo in Iudæa, procul à Paradiſo: primam vero in locis proximis Paradiſo: ſed hæc proxima Paradiſo loca, noſtræ ſententiæ de ſitu Paradiſi in India vel Sina cumprimis conſentanee, arbitramur fuiſſe Orientalem aliquam Indiæ regionem. Equidem coniecturæ noſtræ ſuffragatores habemus Rerum Indicarum Auctores, qui habitationem Adami in India, ab ipſis Indis, fama à maioribus accepta, creditam referunt. Ludouicus Vartomannus, qui Indiam perluſtrauit, agens de Inſula Ceilano, quæ à Promontorio Cori, Vulgo *Cabo Camorin*, anguſto freto diſpeſcitur, Lib. 6. Cap. 4. hæc narrat: Retulit ea tempeſtate comiti meo Mahometanus negotiator, in faſtigio vaſtiſſimi montis, ſpecum eſſe quandam, quò ſe recipiebant eius regionis cultores omnes orandi gratia, in Protoparentis ſanctiſſimi memoriam. Memorant enim incolæ diuum Adam poſt lapſum, illic fletu ac continentia, pœnitudine ductum culpam redemiſſe. Id aſſequuntur ea coniectura, quòd Parentis adhuc viſuntur impreſſa pedum veſtigia, longitudine geminum palmum excedentia.] Hæc Vartomannus. Hieronymus Oſorius Lib. 4. de Rebus Emanuelis in eandem ſententiam iſta: Eſt in media inſula mons præcelſus, multis paludibus cinctus. Ex illius ſummo faſtigio collis aſſurgit, è cuius medio lacu quodam aquæ dulces atq. perennes emanant. Prope lacum eſt ſilex, in qua cernitur veſtigium hominis impreſſum. Eſt autem inſitum incolis, veſtigium illud eſſe primi Parentis generis humani, qui inde in cælum ſublatus ab illis eſſe dicitur. Non procul autem inde Sacellum viſitur, in quo duo ſepulchra mira ſuperſtitione coluntur. Exiſtimant enim in his condita fuiſſe corpora primi hominis & vxoris illius. Ea vero opinio animis penitus infixa facit, vt eò multi Saraceni, & alij longe diuerſis ſuperſtitionibus impliciti, religionis gratia confluant.] Hæc ille. Quæ quoque Laurentius Ananias in mundi Fabrica, atque alij Rerum Indicarum Scriptores produnt.

ADAMI POENITENTIA IN INSVLA CEILANO.

Maffeius de eodem Ceilani monte verba faciens, rem totam aliò detorſit, Lib. 5. Hiſtoriæ Indicæ ita ſcribens: Vnus montium in arduam & ſurrectam altitudinem pene ſeptem leucarum exurgit: habetque in ſummo æquatam agri planitiem, ex cuius medio bicubitale ſaxum eminens ad inſtar menſæ, veſtigium demonſtrat impreſſum inclyti ſanctitate viri, quem ex Indiæ regno Deli, quondam in ea loca veniſſe tradunt, & gentem ſuperſtitionibus

deditam fabuloſis,ad vnius Dei cultum religionemque traduceret. Ergo
tantæ venerationis eſt locus, vt à leucis amplius mille omnium ordinum
peregrini, ac præſertim Iogues illuc pietatis cauſa contendant ingenti la-
bore. Siquidem præter ceteras itineris difficultates, atque pericula in eius
etiam montis cacumen non niſi per adactos clauos, ferreaſq. catenas aſcen-
ſus eſt.Haud abſimile vero videtur quod aiunt quidam in eo quod dixi veſti-
gio,quamquam extincta iam nominis antiqui, & peregrini memoria, coli
Eunuchum Candacis Reginæ Aethiopum,quem cum alij Scriptores, tum
vero Dorotheus Tyri Epiſcopus,qui Conſtantino Magno imperante, & ſan-
ctitatis & doctrinæ laude praecelluit,in Arabia Felice,totaq. Erythra,& Ta-
probana Chriſti Euangelium promulgaſſe teſtatur.] Tantum Maffæius. De
Eunuchi prædicatione diximus in Antichriſto Lib. 3. C. 7. Falſus in eo Maf-
fæius,qui Synopſim illam de Diſcipulis Domini, Dorotehi Epiſcopi Tyri
eſſe putauit,Opus ſane tanto Martyre indignum : fuit enim Recentioris cu-
iuſdam Dorothei Abbatis Romani, vt exploratum habent eruditi. [a] Ac ve- *[a] Vide Baronium in Notis ad Rom. Martyrol.*
reor ne quod fama & traditione incolarum de Adamo ſemper eſt creditum,
ipſe perperam in Eunuchum attraxerit; nam de Adamo vulgatiorem ſpar-
ſum rumorem,illud inter alia argumento eſt, quòd celſiſſimum illum Ceila-
ni montem vetuſta appellatione indigenæ Roſtrum Adami nuncupent, vt
teſtatur Ioannes Gonzales in Itinerario Noui Orbis, Cap. 20.

Credidere multi Adamum primum parentem in Hebrone vrbe Tribus Iudæ fuiſſe ſepultum. *Cap. LIV.*

IAM quod præcedenti Capite promiſimus, exequamur,& de
loco ſepulturæ Adami, vnde coniectabant quidam eum in
Terra ſancta vixiſſe,paulo accuratius diſſeramus.Fuit multo- VRBS HEBRON CELEBRIS.
rum opinio,Adam in nobili illa ac vetuſtiſſima vrbe Hebrone
ſortis Iudæ fuiſſe ſepultum. Erat hæc vrbs in montanis Tri-
bus Iudæ, Ioſuæ 11.v.21.& Cap.20.v.7.& Cap. 21.v.11.
Primum appellata fuit Mamre, ſeu Mambre à viro inſigni, amico Abra-
hami Geneſ. 14.v.13.Cap.23.v.19.& Cap.35.v. 27. annotante etiam S. Hie-
ronymo in Traditionib.Hebraicis in Geneſ. 35. poſtea dicta eſt Hebron: vt
Euſebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis putant, ab Hebron filio Ca-
leb 1.Paralip. 2.v. 42. ſed num id veritate ſubſiſtat,diſquirimus acriter Lib.
2. Rerum Chriſti,Cap. 57.Fuit propria ſedes & domicilium gigantum Nu-
meror.13.v.23.& Ioſue 11.v.21. fuiſſe antiquiorem ſeptem annis Aegyptia-
ca Tani, in eadem loco Numeror. Moſes affirmat. Erat ciuitas perfugij Io-
ſue 20.v.7.Sacerdotalis, Ioſue 21.v. 10. Sedes regni Dauid integro ſeptena-
rio 2.Reg.2.11.plura de eadem vrbe perſcribimus in Rebus Chriſti. Diſta-
bat ad Auſtrum ab Ieruſalem millibus circiter viginti duobus,vt Euſebius & QVANTVM DISTARET A IERVSALEM.
S.Hieronymus in Locis Hebraicis, aſſerunt. Brocardus octo leucas abeſſe
ſcribit. Sozomenus Lib.2.Hiſtor. C. 3.& Nicephorus Lib. 8.Cap.30. ducen-
ta triginta quinque ſtadia, hoc eſt, millibus circiter triginta. Sed certior

S. Hieronymi fides. Vnde non eſt probandum quod Lyranus in 2. Reg. 15. ait diſtaſſe tantum milliaria quindecim: minus, quod Rupertus Lib. 3. in Geneſ. C. 31. abfuiſſe milliaria dumtaxat quatuordecim.] In hac ergo celebri vrbe nonnulli Adami corpus conditum prodidere, eo potiſſimum argumento, quòd Ioſue 14. v. 14. ſcribatur: *Nomen Hebron ante vocabatur Cariat Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt.* Quo etiam loco permotus S. Hieronymus in Matthæ. 27. hæc ſcribit: Audiui quendam expoſuiſſe Caluariæ locum, in quo ſepultus eſt Adam: & ideo ſic appellatum eſſe quia ibi antiqui hominis ſit conditum caput: & hoc eſſe quod Apoſtolus dixit: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Fauorabilis interpretatio, mulcens aures populi, nec tamen vera. Extra vrbem enim, & foras portã loca ſunt, in quibus truncantur capita damnatorum, & Caluariæ, id eſt, decollatorum ſumpſere nomen. Propterea autem ibi crucifixus eſt Dominus, vt vbi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrij: & quo modo pro nobis maledictũ Crucis factus eſt, & flagellatus eſt, & crucifixus; ſic pro omnium ſalute quaſi noxius inter noxios crucifigeretur. Sin autẽ quiſpiã contendere voluerit, ideo ibi Dominum crucifixum, vt ſangvis eius ſuper Adæ tumulum diſtillaret; interrogamus eum, quare & alij latrones in eodem loco crucifixi ſunt? Ex quo apparet Caluariam non ſepulchrum primi hominis, ſed locum ſignificare decollatorum; vt vbi abundauit peccatum, ſuperabundet gratia. Adam vero ſepultum iuxta Hebron & Arbee, in Ieſu filij Naue volumine legimus.] Hæc S. Hieronymus.

S. HIERONYMVS NON PVTAT VERVM, ADAMVM IN MONTE CALVARIAE SEPVLTVM.

Qui rurſum in Comment. Epheſior. 5. elucidans pericopem illam Pauli: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus*, ita differit: Scio me audiuiſſe quendam de hoc loco in Eccleſia diſputantem, qui in theatrale miraculum numquam ante viſam formam populo exhibuit vt placeret: Teſtimonium hoc, inquiens, ad Adam dicitur in loco Caluariæ ſepultum, vbi crucifixus eſt Dominus. Qui Caluariæ idcirco appellatus eſt, quòd ibi antiqui hominis eſſet conditum caput. Illo ergo tempore quo crucifixus Dominus, ſuper eius pendebat ſepulchrum, hæc prophetia completa eſt, dicens: Surge Adam qui dormis, & exurge à mortuis, & (non vt legimus ἐπιφαύσει σοὶ ὁ χριστὸς, id eſt, orietur tibi Chriſtus, ſed) ἐπιψαύσει, id eſt, continget te Chriſtus. Quia videlicet tactu ſanguinis ipſius, & corporis dependentis, viuificetur, atq. conſurgat: & tunc typum quoq. illum veritate compleri, quando Eliſæus mortuus, mortuum ſuſcitauit: Hæc vtrum vera ſint necne, Lectoris arbitrio derelinquo. Certe tunc in populo dicta placuerunt, & quodam plauſu, ac tripudio ſunt excepta. Verum quod ſcio loquor; Cum loci iſtius interpretatione atq. contextu ſenſus iſte non conuenit.] Tantum Hieronymus.

POTIVS IN HEBRON CONDITVM CREDIT.

Idem in Traditionib. Hebraicis in Geneſ. diſquirens cur Hebron dicta eſt Cariat Arbe, hoc eſt, Ciuitas Arbe, ſic inquit: Sed dicitur Arbee, hoc eſt, quatuor, quia ibi Abraham, & Iſaac, & Iacob conditus eſt, & ipſe princeps humani generis Adam, vt in Ieſu Libro apertius demonſtrabitur.] Et in Libello de locis Hebraicis: Arbee, id eſt, quatuor, eo quòd ibi quatuor Patriarchæ, Abraham, Iſaac, & Iacob ſepulti ſunt, & Adam magnus, vt in Ieſu Libro ſcriptum eſt: licet eum quidam conditum in loco Caluariæ ſuſpi-

ſuſpicentur.] Et in Epitaphio Paulæ Epiſt. 27. relegens itinera S. Paulæ, inquit: Aſcendit Chebron, hæc eſt Cariath Arbee, id eſt, oppidum virorum quatuor, Abraham, Iſaac, Iacob, & Adam magni: quem ibi conditum iuxta Librum Ieſu Naue Hebræi autumant: licet plerique Caleb quartum putent, cuius ex latere memoria monſtratur.] Hactenus S. Hieronymus. S. Iſidorus Hiſpalenſis Lib. 15. Originum, C. 1. inquit: Hebron ciuitas Iudææ: ipſa eſt Arbe, à numero ita vocata, quòd ibi tres Patriarchæ ſepulti ſunt, & quartus Adam.] Ita ille.

Quod vero attinet ad Hebræorum ſententiam, quam S. Hieronymus proximis verbis retulit, non eſt dubium eos exiſtimaſſe Adamum in Hebron ſepultum. In Bereſith Rabbah, hoc eſt, Commentario magno Geneſis, ſic produnt: a Ideo Hebron appellatã vrbem Arba, hoc eſt, quatuor, quia priſcis ſæculis quatuor illic viri pij habitauerint, Aner, Eſcol, Mamre, & Abraham, ijdemq. illic ſint circumciſi. Quatuor itẽ matronæ inclytæ famæ ibidẽ ſepultę, Eua, Sara, Rebecca, Lia: & quatuor quoq Patriarchæ in eadẽ vrbe conditi, Adã, Abraham, Iſaac, & Iacob. Denique, quia Abrahã inde quatuor reges inſecutus percuſſerit.] Ita Hebræi, quibus aſſenſi ſunt Lyranus in Gen. 23. & Ioſue 14. Adricomius in Theatro Terræ ſanctæ in Tribu Iuda cũ agit de Hebrone, Galeſinius in Notis ad Sacrã Hiſtoriam Seueri Numero 216. & alij.

a apud Andr. Maſium in 14. Ioſue v.

IDEM HEBRAEI SENTIVNT.

Sed enim Abraham, Iſaac, Iacob, Saram, Rebeccam, & Liam ſepultos in Hebron, diſerte aſſerit Iacob Patriarcha Geneſ. 49. v. 30. *Sepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Hethæi contra Mamre, in Terra Chanaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in poſſeſſionem ſepulchri. Ibi ſepelierunt eum, & Saram vxorem eius. Ibi ſepultus eſt Iſaac cum Rebecca coniuge ſua: & ibi Lia condita iacet.* Mamre autem eſſe ipſam Hebron, ſuperius initio huius Capitis diximus.

Porro de Adamo ibidem condito, conſtantem eſſe Hebræorum aſſertionem, iam diximus, quam etiam Genebrardus Lib. 1. Chronograph. Pag. 6. expoſuit hiſce verbis: Sepelitur Adam in Terra Iſrael conſtanti Hebræorum traditione, prope agrum Damaſcenum, vbi fuerat procreatus: vbi etiam Aetas ante diluuium traducta eſt hominibus, nondum per terræ fines diſperſis. Rabbi Iſaac in Geneſ. In Hebron ſiue Kiriath Arbee ciuitate Anachim (gigantum) ſepultum, è Ioſue 14. Bereſcith Rabbah, & Midras Cantici Canticorum affirmant: nempe in Valle Mamre, à Ieroſolymis diſtante viginti duobus millibus paſſuum, verſus Auſtralem plagam: vt proinde tam ſedulo illius loci ſpelũcã, à Chananæo Heth Abrahã emerit in eius rei memoriã. Vnde Adã de illis, de quibus Hebræi in Officio mortuorũ canunt: Patres qui dormitis in Hebrõ, Portas Paradiſi Edẽ huic aperite &c.] Hęc Genebrardus.

ASSENTIVNTVR RECENTIORES.

At huic opinioni de ſepulchro Adami in Hebron aſſentiuntur pleriq. ex noſtris, Rupertus in Ioann. 19. & Lib. 3. in Gen. C. 31. S. Thomas 3. Parte Q. 46 Art. 10. ad 3. Lyranus in 14. Ioſue, Brocardus in Deſcriptione Terræ ſanctæ, Petrus Comeſtor in Matth. 27. Toſtatus in 14. Ioſue Q. 10. Dionyſius Carthuſianus in 14. Ioſue, Ioannes Lucidus de Emendationibus Temporum Lib. 1. Cap. 4. Eraſmus in Matth. 27. Claudius Guillaudus in Ioann. 19. Martinus Cantapetrenſis Lib. 6. Hypotypôſeon, Pag. 437. Ianſenius Cap. 143. in Concord. Euang. Ioannes Maldonatus in Matth. 27. V. 33.

Maior ſententia Patrum docet Adamum in Caluariæ loco, vbi Chriſtus crucifixus fuit, ſepultum fuiſſe. Cap. LV.

PLVRIMI atque antiquiſſimi Patres generis noſtri Proauctorem in Caluariæ loco, vbi Chriſtus in Cruce mortem oppetijt, ſepultum tradidere. Tertullianus Lib. 2. contra Marcionem carmine, Cap. 12. ita ſcribit:

Golgotha locus eſt capitis caluaria quondam,
Lingua paterna prior ſic illum nomine dixit.
Hic medium terræ eſt, hic eſt victoria ſignum:
Os magnum, hic veteres noſtri docuere repertum;
Hic hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum:
Hic patitur Chriſtus, pio ſanguine terra madeſcit,
Puluis Adæ, vt poſſit veteris cum ſanguine Chriſti,
Commixtus ſtillantis aquæ virtute lauari.

MONS CALVARIAE MEDIVM TERRAE PALAESTINAE.

Origenes Tractatu 35. in Matthæum, agens de Caluariæ loco vbi Chriſtus eſt paſſus, inquit: Venit ad me traditio quædam talis, quòd corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum eſt, vbi crucifixus eſt Chriſtus: vt ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificentur: vt in loco illo, qui dicitur Caluariæ locus, ideſt, locus capitis, caput humani generis reſurrectionem inueniat cum populo vniuerſo per reſurrectionem Saluatoris, qui ibi paſſus eſt, & reſurrexit.] S. Cyprianus Sermone de Reſurrectione, aut ſi quis alius Auctor eſt ſane vetuſtus hæc habet: Ita nos ad Chriſtum pertinentes, cuius ſanguine conſperſa creditur Adam Caluaria; qui ſub loco quo Crux Domini fixa eſt, humatus traditur ab antiquis, eius ſanguinis ſanctificati elapſu, lætemur & delectemur in Domino.]

SANGVIS CHRISTI IN CALVARIAM ADAE DISTILLAVIT.

S. Athanaſius Sermone in Paſſionem & Crucem Domini, ait: Non alibi patitur Chriſtus, neque in alio loco crucifigitur, quàm in Caluariæ loco, quem Magiſter Hebræorum dicit ſedem eſſe ſepulchri Adæ. Ibi enim poſt maledictionem eum humatum eſſe aſſeuerat. Quod ſi ita ſe res habet, miror eius loci genium & proprietatem. Congruum enim erat, Dominum, cum vellet reuocare primum Adam, in eo loco pati, vt illius abolito peccato, ab vniuerſo eius genere illud profligaret. Iam vero quia audierat Adam; Terra es, & in terram reuerteris; ideo illic denuo poſitus eſt, vt Adamum inibi inuentum, à maledictione liberaret, & pro iſtis verbis: Terra es & in terram reuerteris; eidem diceret: Excitare qui dormis, & ſurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.] Et Quæſt. 47. ad Antiochum: Adam in Caluariæ monte iacet.]

S. Baſilius in Cap. 5. Iſaiæ: Obtinuit fama quædam in Eccleſia memoriam conſeruans, non quidem ſcripto proditam, quæ talis eſt; Quòd prima vtique Iudæa hominem habebat accolam, nimirum Adam, ſimul atque excidit delitijs Paradiſi, in hac terra collocatum ad mitigandam iacturam bonorum, quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit: qui & illic eam, cui addictus fuerat, ſententiam condemnationis plene eſt exequutus. Itaque inſolens eſſe ac nouum videbatur illius ætatis homi-

hominibus ſpectaculum os capitis defluente carne nudum: at illi reconden-
tes cranium loco illi indiderunt nomen Cranion, ideſt, Caluariam. Proba-
bili ratione potuit Noe non ignoraſſe ſepulchrum principis huius, & mor-
talium omnium primigenij: ſiquidem de hac re fama diluuio mox per or-
bem propagata eſt ab ipſo, & dimanauit: eoque Dominus excuſſa origine
humanæ mortis, in Caluariæ loco eſt paſſus.]

S. Epiphanius Hæreſi 46. In libris reperimus, Dominum noſtrum Ieſum
Chriſtum in Golgatha crucifixum eſſe, & non alibi, quàm vbi corpus Adam
iacebat. Egreſſus enim de Paradiſo, cum habitaſſet è regione ipſius multo
tempore, & per multos dies perueniſſet, poſtea abijt eò, & in loco hoc Ie-
roſolymorum videlicet, debitum naturæ perſoluens, illic ſepultus eſt in lo-
co Golgatha. Vnde merito cognomen habuit locus, quem Cranij ſiue
Caluariæ locum interpretantur. Cuius nominis ſimilitudinem aliquam
figura loci non oſtendit. Neque enim in altitudine quadam ſitus eſt, vt hoc
Cranium interpreteris, velut in corpore capitis locus dicitur. Neque ſpe-
culæ interpetationem facere poſſis: nam ne reliquis locis altior eſt. E regio-
ne enim eſt Olineti mons altior, & à ſignis octo Gabaon eſt altiſſima. Sed
& altitudo, quæ olim erat in Sion, nunc vero diſiecta eſt, etiam ipſa altior
loco illo fuit. Vnde igitur cognominatio Cranij eſt? Immo quia primum
formati hominis Adam Caluaria illic inuenta eſt, & illic reliquiæ ſitæ erant,
ea de cauſa Cranij locus cognominatus eſt. In quo crucifixus Dominus no-
ſter Ieſus Chriſtus, per aquam & ſanguinem, qui fluxit ab ipſo per compun-
ctum ipſius latus, in ænigmate ſalutem noſtram oſtendit, ab initio maſſæ pri-
mi patris reliquias reſpergere auſpicatus; quo etiam nobis oſtenderet re-
ſperſionem ſanguinis ipſius, ad mundationem noſtræ inquinationis, & ani-
mæ pœnitentis, & in exemplum rigationis ac purificationis ſordium pecca-
torum noſtrorum factam eſſe, effuſam videlicet aquam ſuper iacentem ſub
loco, & ſepultum, in ſpem ipſius, & noſtram, qui ex ipſo geniti ſumus. Quare
& hic implebatur quod dictum eſt: Surge qui dormis, & reſurge à mortuis,
& illuceſcet tibi Chriſtus.] Hactenus S. Epiphanius.

GOLGOTHA VNDE DICATVR.

S. Ambroſius Lib. 5. Epiſt. 19. Anima Euangelica, quam ſuſcepit in Golgo-
tha Chriſtus, vbi Adæ ſepulchrum, vt illum mortuum in ſua Cruce reſuſci-
taret.] Et Lib. 10. in Lucam Cap. 23. ait; Ipſe Crucis locus vel in medio
terræ, vt conſpicuus omnibus: vel ſupra Adæ, vt Hebræi diſputant, ſepul-
turam. Congruebat quippe vt ibi vitæ noſtræ primitiæ locarentur, vbi fue-
rant mortis exordia.] Hæc S. Ambroſius.

S. Hieronymus, quem huic ſententiæ refragantem ſuperiori Capite vidi-
mus, Epiſtola tamen 17. prædictorum Patrũ aſſertioni ſubſcribit his verbis:
In hac vrbe *Ieruſalem*, imo in hoc tunc loco, & habitaſſe dicitur, & mortuus
eſſe Adam. Vnde & locus in quo crucifixus eſt Dominus noſter, Caluaria
appellatur, ſcilicet, quòd ibi ſit antiqui hominis Caluaria condita: vt ſe-
cundi Adam, ideſt, Chriſti ſanguis de Cruce ſtillans, primi Adam, & iacen-
tis protoplaſti peccata dilueret: & tunc ſermo ille Apoſtoli compleretur:
Excitare qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.] Hæc
ille, nomine Paulæ, & Euſtochij.

S. HIERONYMVS SVBSCRIBIT PATRIBVS.

S. Chryſoſtomus Homil. 84. in Cap. 19. Ioannis: Et exiuit in eum qui di-

citur

citur Caluariæ locus. Vbi quidam dicunt, Adam & mortuum & ſepultum eſſe; & Ieſum vbi mors dominata eſt, ibidem trophæum erexiſſe, hoc eſt, Crucem, quam tulit contra mortis tyrannidem.]

S. Auguſtinus Serm. 71. de Tempore: Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quòd & Adam primus homo in ipſo loco vbi Crux fixa eſt, fuerit aliquando ſepultus: & ideo Caluariæ locum dictum eſſe, quia caput humani generis ibi dicitur eſſe ſepultum. Et vere, fratres, non incongrue creditur, quia ibi erectus ſit medicus, vbi iacebat ægrotus. Et dignum erat, vt vbi occiderat humana ſuperbia, ibi ſe inclinaret diuina miſericordia: & ſanguis ille pretioſus etiam corporaliter puluerem antiqui peccatoris, dū dignatur ſtillando contingere, redemiſſe credatur.]

Nonnus Panopolitanus in Paraphraſi Grçca Ioann. 19. v. 17. hæc ait: Venit Chriſtus in locū nominati Cranij, ferentem nomen ab ambitu ſeu rotūditate capitis Adami primi parētis: quem locum os Syrorum vocabat Golgotha.]

Cyrillus Monachus in Vita S. Theodoſij Coenobiarchæ, hæc ait: Præterea autem multa ex his quæ olim quidem facta ſunt, ſita autem non ſunt in diuina Scriptura, ſola ſcriptis non mandata traditio efficit: vt in hodiernum vſq. diem pro certis habeantur. Qualia ſunt ea quæ dicuntur de loco Cranij, quæ ſunt, inquam, tractata à Magno Baſilio. Ille enim dicit in quadam ſua Oratione, non ſcriptam nobis exponens traditionem: Adam, inquit, primus noſter parens, in hoc qui nunc dicitur Cranij loco, dicitur eſſe ſepultus, vbi meus quoque Chriſtus pro nobis crucem & mortem ſuſcepit.]

ADAMVM IN CALVARIA SEPVLTVS, TRADITIO.

S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 8. Hexaemeron: Chriſtus ad paſſionem in hortū Golgotha ad Adamum egrediens, & lignum Crucis portans,] Et Lib. 11. inquit: Si autem vis videre Chriſtum etiam in horto nudum, & linteo ſolum ſuccinctum, vide eum in Golgotha ſubligaculo tantum ſuccinctum, pendentē in Cruce, ſupra Adæ craniū, pro Adamo & Heua patientem.] Hac ille.

S. Germanus in Theoria Rerum Eccleſiaſticarum inquit: Oblatio quæ ſit in armario, denotat Caluariæ locum, in quo crucifixus eſt Chriſtus: in quo aiunt ſitam eſſe Caluariam primi parentis Adam. Theophylactus in Matthæi 27. eidem ſententia de Adamo in Golgotha ſepulto, accedit.

Euthimius in Matthæi 27. inquit. Aiunt autem quidam in loco Caluariæ Adam mortuum eſſe, ac iacere: & diſpoſitum eſt, vt vbi vetus Adam cecidit in mortem, ibi etiam noui Adam trophæum erigeretur contra mortem, dico ſane crucem.]

IDEM ASSERVNT RECENTIORES.

Equidem Adamum in loco Caluariæ vbi Chriſtus eſt crucifixus, humatū fuiſſe, ex Recentioribus affirmant, Canus Lib 11. de locis Theolog. C. 3. ad 8. Argumentum, Pamelius in Notis ad Serm. S. Cypriani de Reſurrectione, Pererius, Lib. 7. in Geneſ. Toletus in 19 Ioann. Annot. 12. Bellarminus Lib. 3. de Statu peccati, C. 12 Baronius Tom. 1. Annal. Anno Dñi 34. C. 112. Suarez in 3. P. D. Thomæ Quæſt. 40. Art. 10. ad 3. Azorius Inſtitut. Moraliū Parte 2. Lib. 1. C. 16. Quçſt. 11. Feu-ardētius in Notis ad C. 34 Lib. 3. S. Irenæus, & alij.

Honorius Auguſtodunenſis in Chronico opinatus eſt, [a] Adamum primum in Caluaria ſepultū, deinde in Hebron tranſlatū: Genebrardus Lib. 1. Chronogra-

a Vide Martin Cantapetrens. Lib. 6. Hypotyp. colū. 438

nograph.Pag.4.hæc ait: Adam in agrũ Hebron vnà cũ Heua exul è Paradiſo pellitur:vbi & ſepelitur,Ioſue 14.iuxta interpretationem Midras,& D.Hieronymi. Alijs tamen ſepultus dicitur in loco Caluariæ,prope Ieruſalem,deinde tranſlatus in Hebron.] Hæc ille. Verum hæc ſententia perſpicue pugnat cum traditione Patrum nuper allata: quæ tempore mortis Chriſti Adam in Caluariæ loco conditum docet: at ſepulchrum eius ſi aliquando fuit in Hebron,diſerte à S.Hieronymo,Hebræiſq.multo ante Crucem Chriſti contigiſſe aſſeritur,nempe è Ioſue 14.Minus fortaſſe improbaretur,ſi è contrario dicatur,Adam primum in Hebron ſepultum,inde tranſlatum in Caluariæ locũ.

Vidimus tot, tantorumq. Patrum vetuſtiſſimorum aſſertionem de ſepulchro Adæ in Caluariæ loco: quam ipſi traditionem à maioribus acceptam fuiſſe profitentur: quod latuiſſe S. Hieronymum non eſt dubium, cum ipſe aperte dicat ſe quendam tantum aſſerentem audiuiſſe; ſane non ita locuturus ſi tot clariſſimos Patres, Tertullianum, Origenem, S. Cyprianum, S. Athanaſium, S. Baſilium, S. Epiphanium, S. Ambroſium, hoc ipſum prodentes cognouiſſet.

S. Thomæ Theologorum corypheo viſum eſt hac in re ſententiam S. Hieronymi ſectari in 3. P.Q.46. Art.10. ad 3. addita quoq. eiuſmodi probabili ratione; Magis autem Ieſus cricifigendus erat in loco communi damnatorum, quàm iuxta ſepulchrum Adæ, vt oſtenderetur quòd Crux Chriſti non ſolum erat remedium contra peccatum perſonale ipſius Adæ,ſed etiam contra peccatum totius mundi.] Hæc ille. REFRAGATVR S.THOMAS.

Quid ſi quis dicat: Immo conuenientius fuiſſe Chriſti ſanguinem è Cruce fluentem in Caluariam ſtillaſſe Adami, vt oſtenderetur Chriſtus & pro capite auctoreq. & pro toto genere: quòd ex eo capite, omnium hominum vt natura, ſic & culpa propagata fuerit, præcipue mortem oppetiſſe? Integrum igitur per nos ſit Lectori cui maluerit opinion inhæreſcere: cum ſuam vtraque probabilitatem habeat.

Excogitarunt aliqui rationẽ non prorſus ineptam, qua contrariæ iſtæ Patrũ ſententiæ conciliarentur,nẽpe forſan corpus Adæ in Hebron conditũ,caput autem ſeu craniũ in Caluariæ loco ſitũ: vt paſſim fieri animaduertimus in Sanctorũ corporibus,quæ ſibi diuerſæ regiones vendicant: non mendacio, ſed pia & religioſa amplificatione,reliquarũ partem corpus appellantes; nimirum quadam corporis parte in iſta,parte alia in diuerſa regione ſeruata. At iſtam conciliationem non ſatis ſubſiſtere dicemus C.57. ad finem.

Cur locus vbi crucifixus eſt Dominus, Caluaria ſit appellatus. Cap. LVI.

DISERTE ſacri Euangeliſtæ locum in quo Chriſtus Dominus mortẽ in Cruce deuicit, Caluariã appellarũt: Matthæus C.27. v.33. *Et venerunt in locũ,qui dicitur Golgotha,quod eſt Caluariæ locus.* Marcus 15.22. *Et perducunt illũ in Golgotha locũ: quod eſt interpretatũ Caluariæ locus.* Lucas 23.33 *Et poſtquã venerunt in locũ,qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerũt eũ.* Ioann. 19.17. *Et baiulans ſibi crucẽ exiuit in eũ,qui dicitur Caluariæ locũ,Hebraicè autẽ Golgotha: vbi crucifixerũt eũ.*

Notat

GOLGOTHA VOX CHALDAEA.

גולגולתא

גולגולת

a Vide Georgium Amiram Praeludia in Grammaticam Syriacam.

Notat S. Hieronymus Libello de Nominib. Hebraicis, Golgotha proprie, non Hebræum ſed Syrum ſeu Chaldæum eſſe vocabulum: quod etiam omnes fatentur: nam quod Euangeliſta dixit, *Hebraice autem Golgotha.* noluit quidẽ aſſerere nomen eſſe pure Hebraicum, ſed eſſe Syricum & Chaldaicũ; & quia tunc Hebræis lingua Chaldaica erant vernacula, nempe poſt exilium Babylonicum, qua paſſim vtebantur, dictam quoq. Hebraicam, vt eſt omnium conſenſu notiſſimum. a Porro quod Chaldaice dicitur *Golgoltha*, Hebraice pure dicitur *Gulgoleth*, hoc eſt caput, cranium, caluaria, ſic dicta à rotunditate & volubilitate. Inuenitur interdum hoc nomen Gulgoleth poſitum pro toto homine, vt Latine dicimus, per capita. Exod. 16. 16. Numer. 1. v. 18. & C. 3. v. 47. & alibi. Ceterum proprie caput ſeu cranium, aut caluariam notat, Iudicum 9. 53. 4. Reg. 9. 35. & 1. Paralip. 10. 10.

NVM CORRVPTA.

Ex Hebraico Gulgoleth, & Chaldaico Golgoltha exiſtimarunt plerique ſcribentium vitio perperam legi in Editione Vulgata apud Euangeliſtas Golgotha, cum potius duplici ll, legendum Golgoltha, & ita Vulgatum Interpretem poſuiſſe non dubitent. Annotarunt id ex noſtris, Vatablus in Matth. 27. Martinus Cantapetrenſis Lib. 6. Hypotypoſ. Colum. 438. Angelus Caninius de vocibus Hebraicis Noui Teſtamenti Cap. 11. Claudius Guillaudus in Ioann. 19. Marianus Victorius in Notis ad Comment. S. Hieronymi in Cap. 27. Matth. Ioannes Maldonatus in Matth. 27. v. 33. Cornelius Ianſenius in Cap. 143. Concordiæ Euangelior. Ioannes Hentenius in Notis ad Euthimium in 27. Matth. & alij. Ex hæreticis vero, qui ſemper nodum in ſcirpo quærunt, Munſterus in C. 27. Matth. Mercerus, & Bertramus in Theſauro Hebraico, Franciſcus Iunius, & Tremellius Emanuel.

Franciſcus Lucas in Notationibus Loco 456. affirmat inter Latinos Codices quos ipſe viderit, ſoſos Quentelianos anni 1529. habere Golgoltha: ſed qui videantur ſtudio emendati: ceteros omnes cum impreſſos, tum manuſcriptos, Hieronymum de Locis Hebraicis, omnia Græca exemplaria, & Interpretes tam Latinos quàm Græcos diſerte legere Golgotha, proinde hanc lectionem eſſe præferendam. Georgius Amiras Edenienſis è Libano, Præludijs in Syriacam Grammaticam à ſe editam, hæc habet: In Syriaco exemplari Noui Teſtamenti dicitur *Goghulto*, quæ eſt vox Chaldaica, ſeu Syriaca. Ianſenio videtur mendoſe legi in Græcis ac Latinis codicibus Golgotha per ſimplex l, cum legendum potius ſit per duplex ll, ſic Golgoltha: nam ſic Caluariam, inquit, Chaldaica vocat lingua. Sed reuera quòd legatur per ſimplex l, nullũ eſt mendum: mendum tamen eſſet ſi per duplex ll, legeretur, nam hæc vox apud Chaldæos ſiue Syros per ſimplex l, ſcribitur. Si tamen aliquod eſt mendum, eſt in illa litterarum loci permutatione: nam ſic iuxta Chaldaicam ſiue Syriacam Veritatem ſcribendum eſſet, γογολτά. Sed huiuſmodi mendum nihili plane eſt faciendum, cum voces peregrinæ, aliarum linguarum elementis ſcriptæ, fere ſemper aliquam patiantur varietatem.] Hæc ille.

Nos freti fide Græcorum Codicum, & Latinorum, ac præſertim nouiſſime editorum iuſſu Sixti Quinti, & Clementis Octaui, & auctoritate tot antiquorum Interpretum, non dubitamus aſſerere, Golgotha per ſimplex l, meliorem eſſe lectionem, & hanc Interpretem poſuiſſe.

I. Non

I. Nonnulli putarunt, appellatum locum Caluariæ à forma loci, quòd gla ber monticulus in modum cranij extuberaret & aſſurgeret. Refellit hanc ſententiam S. Epiphanius Hæreſi 46. hiſce verbis: Cranij ſeu Caluariæ ſimilitudinem aliquam figura loci non oſtendit. Neque enim in altitudine quadam ſitus eſt, vt hoc cranium interpreteris, velut in corpore capitis locus dicitur.] Sic ille. Sane locum illum Caluariæ monticulum fuiſſe, S. Athanaſius Quæſt. 47. ad Antiochum aperte docet: & Brocardus, atque omnes Terræ ſanctæ deſcriptores montem Caluariæ & deſcribunt, & appellant. Et vt omnis de hac re tollatur difficultas, S. Cyrillus Ieroſolymitanus Epiſcopus qui locum illum ſæpius videbat, atque in eodem ſæpe concionabatur, Catecheſi 10. inquit: Golgotha hic mons ſanctus, & conſpicuus eminenter.]. & Catecheſi 13. Golgothas hic ſanctus, qui ſic elatus eſt, & ad hodiernam diem apparet.] Sic ille. Picturæ omnes, & Scriptores montem, nedum locum Caluariæ miro conſenſu loquuntur.

MONS CALVARIAE A FORMA LOCI ROTVNDA DICTVS:

Suſpicamur S. Epiphanium tantum voluiſſe aſſerere, non ſic dictum locum Cranij, quòd alijs locis vel montibus proximis eſſet altior, vt caput in corpore ceteris membris eminet: nam ſubdit: Nam neque reliquis locis altior eſt; è regione enim eſt Oliueti mons altior, & à ſignis octo Gabaon eſt altiſſima: ſed & altitudo quæ olim erat in Sion, nunc vero diſiecta eſt, etiam ipſa altior loco illo fuit.] Tantum ille. Hæc tamen non impediunt, quin glabritie, rotunditate, forma, monticulus ille humani Cranij figuram vtcumque exprimeret, à qua & nomen Caluariæ ſortiri potuerit.

II. Alij Caluariæ appellationem loco inditam volunt, quòd ibi truncarentur damnatorum capita; locuſque eiuſmodi hominum cranijs plenus eſſet, vbi vel affigerentur, vel proijcerentur. Ita S. Hieronymus in Cap. 27. Matth. inquiens: Extra vrbem & foras portam loca ſunt, in quibus truncantur capita damnatorum, & Caluariæ, ideſt, decollatorum ſumpſere nomen.] Aſſentiuntur huic ſententiæ S. Beda, Strabus, Anſelmus Laudunenſis, Lyranus, Caietanus, Franciſcus Lucas, Caninius, Suarez, Ianſenius, Toletus, Maldonatus, Guillaudus, Sà, & complures alij.

VEL QVOD IBI TRVNCARENTVR CAPITA DAMNATORVM.

Etvero in magnis vrbibus, Romæ præſertim ſupplicia de ſontibus extra portas ſumi ſolita, ne frequenti ſanguine ac cæde oculi ciuium fœdarentur, certum eſt. Plautus,

-- credo ego iſtoc exemplo tibi
Eſſe eundum actutum extra portam, diſpeſſis manibus,
Patibulum cum habebis.

Erat Romæ extra portam Eſquilinam locus vbi damnati plectebantur. Vnde Suetonius in Claudio: Ciuitatem Romanam vſurpantes in campo Eſquilino ſecuri percuſſit.] Et Tacitus Lib. 2. Annal. In Publium Martium Conſules extra portam Eſquilinam, cum claſſicum canere iuſiſſent, more priſco aduertere.] Et Horatius:

Poſt inſepulta membra different lupi,
Et Eſquilinæ alites.

Locum hunc dictum Puticuli, vel Puticulæ, quòd ibi putreſcerent corpora damnatorum, vel in foueam ac puteum abijcerentur, ex Varrone, & Feſto

PVTICVLAE QVAE,

Z

& Feſto Pompeio notiſſimum eſt. De qua re plura vide apud Alexandrum ab Alexandro Genialium Dierum Lib. 6. Cap. 11. Cælium Rhodiginum Lib. 10. Antiq. Lect. C. 17. Baroniũ in Notis ad Martyrolog. Rom. die 10. Februarij.

Porro locum eundem vocatum Seſtertium, quaſi ſemitertio ab Vrbe milliari poſitum, Plutarchus in Galba his verbis prodit: Galbæ caput abiecerant in locum, vbi occidi ſolent in quos Cæſar iuſſit animaduertere. Seſtertium dicitur.] Et Commentator Horatij quem Cruquius edidit, ſic ſcribit: Eſquilinus mons Romæ ex ſeptem montibus. Hinc Eſquilina porta Romæ dicitur, ad Seſſorium, vbi certus erat locus ſepulchrorum ad corpora pauperum, aut ſceleratorum, viliumque comburenda, aut canibus proijcienda.] Lipſius pro, Seſſorium, legere mauult, Seſtertium, è Plutarcho. Sicut in Vita Cypriani: Cum veniſſet ad eum locum qui dicitur Sextus;] emendari vult, Sextertius. Sed nos cum Breuiarium Prædicatorum Ordinis Romæ editum anno Domini 1603. reſtitueremus, noluimus in S. Cypriano veterem mutare lectionem; quòd loca ſub vrbes interdum à notis numerorum nomina acciperent. Septimum, palatium ſub vrbe Conſtantinopolitana celebre, cuius frequens mentio apud Socratem, Sozomenum, Nicephorum, & alios: Decimum, ſuburbanum Carthaginis, apud Procopium de Bello Vuandalico. Septimum quoque Hoſtienſe, Symmachi villa fuit, de qua ipſe Lib. 8. Epiſtolar. Quartum Latinæ, apud eundem Lib. 9. Quartum Pollionis, apud Martialem Lib. 4. Ex Actis Proconſularibus S. Cypriani diximus nos, In agrum Sexti perductus.] ſimilitum ſimili

GETSEMANI VNDE DICTA.
גן שמיני
גי שמיני

appellandi ratione. Adito Lipſium in Notis ad Tacitum Lib. 2. & 15. Annal. Hinc forſan verum eſſe poſſit quod Montanus & Maldonatus in 26. Matthæi annotarunt, locum illum Gethſemani, in quo Chriſtus ante paſſionem orauit, Hebraice dictum quaſi *Gan Semini*, ideſt Hortus Octauus, vel *Gue ſemini*, ideſt, vallis octaui, nempe eadem nomenclaturæ forma, qua nuper Decimũ, Septimum, Sextum, Quartum appellari diximus. Vide quæ notauimus in Antichriſto Lib. 11. C. 8. Erat enim prædium, vel villa, vt aiunt Euangeliſtæ. Sed ad noſtra: Puticulos Varro vltra Eſquilias locat; Sextus Rufus, & Publius Victor, Campum Eſquilinum in Quinta Regione Vrbis ponunt, vbi Puticulos quoq; fuiſſe refert Onuphrius. Ergo quemadmodum Romani locum extra Vrbem habebant, in quo ſcelerati puniebantur, à cadauerum putredine, vel putore Puticuli vocatum; ſic veriſimile videtur, Golgotha, ſeu locum Caluariæ dictum extra portas Ieroſolymæ vbi ſontes plecterentur, & damnatorum truncata capita, vel affigerentur, vel proijcerentur.

LOCVS CALVARIAE A SEPVLTO IBI PRIMI HOMINIS CRANIO.

III. Plerique vero Caluariam illum locum nuncupatum tradunt, quòd ibi primi hominis Adam cranium humatum eſſet, ſuper quod ſanguis Saluatoris è cruce ſtillauerit. Id aſſeruere omnes illi Patres quos ſuperiori Capite produximus aſſerentes, Adam in Caluariæ loco ſepultum: ſed diſtinctius affirmant Tertullianus, Origenes, S. Baſilius, S. Epiphanius, S. Hieronymus, S. Auguſtinus, Nonnus, & alij non pauci Recentiores.

IIII. S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 13. aliam affert eiuſmodi appellationis cauſam hiſce verbis: Golgothas verò interpretatur Caluariæ locus. Aliqui ergo prophetice locum hunc Golgotham appellarunt, in

quò verum caput Chriſtus Crucem ſuſtinuit, ſicut Apoſtolus dicit: Et ipſe caput Eccleſiæ. & rurſus: Qui eſt caput omnis Principatus. Caput hoc in loco Caluariæ paſſum eſt. O magnam propheticam appellationem! Modo enim non & nomen hoc admonet te dicendo: non vt ſimplici homini attendas crucifixo: caput eſt omnis poteſtatis crucifixum?] Sic ille. At putamus potius per alluſionem, & accommodationem voluiſſe S. Cyrillum capitis Chriſti appellationem ad locum Caluariæ pie deducere, quàm vt ſerio crediderit, inde reuera nomen loci factum, quòd caput Eccleſiæ Chriſtus illic montem ſuſtinuerit.

Ex hiſce Caluariæ nuncupationis cauſis, quam magis germanam putemus, haud eſt in promptu edicere. Cur enim tres priores ſimul in nomen non potuerint incidere? nempe vt locus ille dictus ſit Cranium, & à forma & rotunditate, glabritieque monticuli, humano capiti haud abſimili: & quòd illic capita damnatorum truncarentur: & quòd ibidem etiam Caluaria Adæ humata eſſet. Ex iſtis tribus nolim vllam ſeligi: & ſi neceſſario excernenda, ſecundam magis probauerim, ſuo tertiæ ſeruato honore propter Patres.

Non omiſerim, Iudæos Recentiores *Golgaltha*, nedum caput, aut cranium, ſed & cenſum quem pro ſe quiſque pendit, quaſi dicas capitationem, appellare, teſte Dauid Pomario in Dauidis Germine: vnde poſſit quiſquam ſuſpicari, ne forſan eo loco domus aliquæ publicorum vectigalium ex capitatione fuerint, hincque dictum Golgotha. Sunt iſtæ meræ coniecturæ, nec ſatis ſolidæ. In Antichriſto Lib. 11. C. 8. diſſeruimus, num Golgotha fuerit Goatha de quo Ieremiæ 31. v. 39. גלגלתא

Mons Caluariæ erat prope vrbem Ieruſalem extra mœnia ad Occidentalem eius partem, & ad Septentrionalem montis Sion, vt Euſebius & S. Hieronymus in Locis Hebraicis tradunt. Poſtea deſtructa vrbe, & iterum inſtaurata per Hadrianum, Caluariæ locus intra murorum ambitum incluſus fuit, vt aperte teſtatur S. Gregorius Homil. 39. in Euangelia. Habes montem Caluariæ ſcite deſcriptum à Brocardo, & alijs innumeris Recentioribus. CALVARIAE SITVS.

Elucidatur locus Ioſue 14. *V.* 14. Nomen Hebron ante vocabatur Cariat-Arbe, Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt.

Cap. LVII.

HEBRAEA ad verbum ita redduntur: *Et nomen Chebron faciebus*, vel ad facies, ideſt, ante, *Kirjath*, ciuitas, *Arbngha*, vel quatuor, *Adam*, homo, *magnus in Nghanakim ipſe*.

Tria videnda, quinam Enacim, vel Anachim, quis Arba, & quiſnam fuerit Adam maximus. De Enachim Numer. 13. 23. *Et venerunt* exploratores *in Hebron, vbi erant Athiman, & Siſai, & Tholmai filij Enac.* Et Verſu 34. *Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.* Deuteron. 1. 28. *Maxima multitudo eſt, & nobis ſtatura procerior: filios Enacim vidimus ibi.* Idem C. 9. 2. Et Deuter. 2. 10. *Populus magnus & validus, & tam* ENACIM QVI.

excelſus vt de Enacim ſtirpe; quaſi gigantes crederentur, & eſſent ſimiles filiorum Enacim. De Enacim quoque Ioſue 11.22. Cap.14.12. Cap.15.13. Erant igitur Enacim gigantes qui ſedes fixerant in Hebron. De quibus quoque Ioſephus Lib. 5. Antiq. Cap. 2. agens de oppidanis Hebron, hæc ait: Apud hos in eam diem ſuperſtites erant quidam è gigantum genere, ſtatura & ſpecie ceteris mortalibus diſpares, viſu ſimul & auditu horribiles: quorum oſſa adhuc oſtenduntur, qualia vix credant qui non viderunt ipſi.] Tantum ille.

GIGAS ANAK. ענקים ענק

Quidam exiſtimarunt dictos *Anakim* à viro quodam *Anak*, nomine proprio, prodigioſæ ſtaturæ, generis proauctore, vnde ſoboles illa gigantum propagata eſt. Theodoretus Quæſt. 26. in Numeros quærit: Quàm dicit eſſe generationem Enak? *Reſpondet:* Hic, vt veriſimile eſt, propter magnitudinem corporis famatiſſimus erat; & vulgatiſſimus, genere vero patrem omnino repræſentabat.] Sic ille. Idem ſentiunt Maſius in Ioſue 11. v. 21. & 22. & in eundem locum Montanus, Pineda in Iob. 26. v. 5. Numero 7. Sd in Deuter. 1. v. 28. Clarius in Numer. 13. v. 23.

Hinc putant quidam deductum nomen illius gigantis apud Poetas famoſi, qui dictus eſt Anax, Cœli & terræ filius: de quo refert Pauſanias in Atticis, in Aſterij inſula, ante Mileſiorum vrbem ſita, repertum fuiſſe cadauer Aſterij decem cubitorum, quem fuiſſe Anactis gigantis filium à pleriſq. eſt exiſtimatum. Hunc ergo Anak vaſtæ molis gigantem fuiſſe patrem, hoc eſt, vel genitorem, vel auctorem generis Achiman, & Siſai, & Tholmai, & omnium gigantum, qui dicti ſunt Enakim, ex locis Scripturæ dudum adductis, affirmari poſſe videtur. Extitiſſe vero filium Arbe qui nomen indiderit Hebron Ioſue 15. v. 13. indicatur, de quo tamē loco paulo poſt agendū eſt nobis.

ANAK, TORQVATVS. ענק

Alij vero potius crediderunt, Anac, vel Enacim non eſſe proprium nomen vel viri, vel gentis: ſed appellatiuum, ab *Anac*, Hebraico, quaſi dicas Torquatum, vel Torquatos, à torque, inſigni gentis illius gigantea, vt apud Romanos Torquati, quo nimirum ornamento natio illa immanis proceritatis vteretur. Ita Hebræi, Vatablus, Marinus, Mercerus, Montanus, & alij. Friget quibuſdam hic etymon. Si nomen eſt appellatiuum, potius expoſuerim ex Hebraica notione, Torrores, maſtiges, oneratores, oppreſſores: genuinum epithetum gigantum, quorum ſuperbia, immanitas, violentia, atheiſmus, hominum oppreſſio ſacris & profanis litteris ſugillatur. Vide Geneſ. 6.4. Ioſephum Lib. 1. Antiq. C. 3. Macrobium Lib. 1. Saturnal. Cap. 20. S. Gregorium Nazianzenum Oratione 16. Vel ſi mauis, reddi poſſit, Torti, onerati, colligati, quòd eiuſmodi gigantes quaſi pro damnatis haberentur, & in inferno catenis igneis colligati torquerentur, ſic enim Aloidas, Briareum, & eiuſmodi terrificum hominum genus canunt Poetæ apud inferos cruciari; ſic in Scriptura gigantes pro damnatis ad inferos, pro manibus, mortuis, ponuntur. Prouerb. 9. 18. de ſtulto iuuene ſequente ſcortum: *Et ignorauit quòd ibi ſint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius.* & Cap. 21. 16. *Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.* Iſaiæ 14. 9. *Suſcitauit tibi gigantes.* & C. 26. 14. *Morientes non viuant, gigantes non*

רפאים

reſurgant. quamuis hiſce locis ſit alia vox, nempe *Raphaim*, ſed eadem res.

Equi-

Equidem Enacim pro nomine appellatiuo, ideſt, gigantes, Chaldæus Interpres vſurpaſſe videtur, cum Deuter. 1. 28. Cap. 2. 10. Num. 13. 23. & 34. pro filijs Enac, vel Enacim, reddit ſemper, *Filios gigantum*. Et Septuaginta Deut. 1. v. 28. *Filios Enacim*, exponunt, *Filios gigantũ*. Incertũ igitur vnde ſint dicti Enakim, & Enac, niſi quòd hanc poſteriorem ſententiã magis probauerim.

Iam quis fuerit iſte Arba cum cura diſquirendum. Huius fit mentio Geneſ. 23. 2. *Et mortua eſt Sara in Ciuitate Arbee, quæ eſt Hebron, in terra Chanaan.* Item Ioſue 15. 13. & 54. Cap. 20. 7. & Cap. 21. 11. Iudic. 1. 10. Nonnulli hoc loco Arba non pro nomine proprio alicuius viri, ſed pro appellatiuo acceperunt, interpretatique ſunt Cariat-Arba; hoc eſt, Ciuitas quatuor. Sed cur hæc dicta ſit Ciuitas quatuor, non eſt omnium eadem ſententia. Quidã apud Lyranum & Maſium in 14. Ioſue aiunt ita vocatam, quòd in ea quatuor iſti gigantes Achiman, Siſai, & Tholmai, cum patre eorum Enach, vel regnauerint, vel ſepulti iacuerint. ARBA QVIS.

S. Hieronymus Vrbem quatuor, nuncupatam aſſerit, quia ibi quatuor Patriarchæ conditi fuerant, Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob. Eius ſententiam fuſe deſcriptam habes ſupra Cap. 54. Hebræi vero, vti eodem loco diximus, nomen eiuſmodi nactam perſcribunt, & quia ibi quatuor viri inſignes habitauerint, Aner, Eſchol, Mamre, & Abraham: & quia ibidem quatuor matronę ſanctæ humatæ fuerint, Heua, Sara, Rebecca, Lia: & quatuor quoque Patriarchæ in eadem ſepulti, Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob: denique quia Abraham inde quatuor reges inſecutus fuerit.

Verum cunctis exacte inſpectis, magis putamus Arba, vel Arbee hic eſſe nomen proprium viri cuiuſdam inſignis, à quo vrbs Hebron, ante vocata ſit Ciuitas Arba. Quod luculentius mox oſtendemus.

De Adam maximo modo diſſeramus. Vidimus Cap. 54. S. Hieronymum, Hebræos, & pleroſq. Recentiores putaſſe, hunc ipſum fuiſſe Adamum primũ parentem, atque hinc duxiſſe argumẽtum, noſtri generis ſatorem in Hebron conditum. Eluſere nõ pauci & interpretationem, & argumentum, quòd Adã hoc loco non poſſit eſſe proprium nomen Protoplaſti: ſed eſſe commune & appellatiuum generis, ac ſignificare abſolute hominem. Neque hic eſſe ſermonem de Adamo primo parente, ſed de quodam alio homine: nam Hebraicum Adam, vt eſt nimis perſpicuum, in Scriptura ſacra eſt commune & appellatiuum, nempe Homo; interdum vero eſt proprium nomen illius primi patris, qui dictus eſt Adam; ſed hoc intereſt, quòd cũ eſt commune, præfixũ ſolet habere *He Haiediah*, hoc eſt, litterã *He* præpoſitam, tamquam articulũ notificatiuum, ſeu demonſtratiuũ, hoc modo Ha Adam: cum vero eſt nomen propriũ viri, excidit *He*, ſimpliciterq. dicitur Adam. Canones enim Grammatici Linguæ ſanctæ præcipiunt, nominibus proprijs non addi *He*, ſed tantum appellatiuis & communibus adiectiuis, & gentilitijs. Sicuti nos Hiſpani non dicimus *el Pedro, el Iuan*: bene tamen *el hombre, el leon*. [a] At cum hoc loco Ioſue poſitum ſit Ha Adam, cum articulo emphatico & oſtenſiuo, hoc eſt, Ille homo, ſeu Hiſpanice *el hombre*, non de Protoplaſto, ſed de quopiam alio homine locutus diuinus Auctor videtur. Iſto argumento vſi ſunt Maldonatus, Toletus, Bellarminus, & alij, vt probarent hoc loco Ioſue Adam, non eſſe intelligendum primum parentem. ADAM MAXIMVS. אדם ה האדם ה אדם ה האדם

a Vide Sancti Lib. 1. Hebraic. Inſtit. Cap. 16. & Ludouic. S. Franciſci Lib. 6 Globi Linguæ ſanctæ Cap. 3.

Quod

Quòd etiam inde firmari poteſt, quòd Vulgatus Interpres ipſum Hebraicum Adam, etiam vbi perſpicue non de primo homine eſt ſermo, ininterpretatum relinquere ſolet, cum tamen vniuerſe homo proculdubio intelligatur: vt 2. Reg. 7. 19. *Iſta eſt lex Adam*, hominis, *Domine Deus.* & Oſee 11. 5. *In funiculis Adam.* ideſt, hominis. Non ſecus etiamſi hic dicatur, *Adam maximus.* poſſumus rite, hominem maximum interpretari.

אדם

HE ADDITVR ALIQVANDO NOMINIBVS PROPRIIS HEBRAICIS.

Vtcumque ſit, illa ratio, non ſolere in lingua Hebraica proprijs nominibus adiungi *He* notificatiuum, non videtur omnino ſolida; nam 2. Reg. 18. 22. *Quid impedit ſi ego curram poſt Chuſi?* Ha Chuſi, cum ſit nomen proprium, habet *He*, & quater in eodem Capite præfigitur *He*, eidem nomini; quamquam quidam velint eſſe gentilitium, hoc eſt, Aethiops; ſed eſſe proprium eſt melior ſententia. Ieremiæ 48. v. 41. *Capta eſt Cariotb.* Hebraice, HaKerijoth. Et fatetur Sanctes in Theſauro auctoritate Kimchij, nominibus proprijs interdum addi *He Haiediah*, etſi id rariſſime contingat. Equidem cum in Geneſi primus homo vocatur Adam, & de ipſo tantum eſt ſermo, ſæpius ſcribitur cum *He* notificatiuo. Notarunt enim viri prudentes, humani generis parentem nullum aliud propriū habuiſſe nomen, niſi hoc, Adam, quod eſt ſpeciei toti commune. Quin Mercerus in Radice *Karab*, & Marinus in Radice *Adam* obſeruant, non eſſe inſolēs nominibus proprijs affigi *He* notitiæ, quando ex appellatiuis propria euadunt: vt Ha Kerioth, ideſt, vrbes, Ha Adam, ideſt, homo. Ergo quòd in iſto Ioſue loco dicatur cum articulo *Ha Adam maximus.* non eſt inuictum argumentum, Adam non eſſe proprium nomen illius primi parentis.

הכושי ה הקריות קרת אדם

Addedemus eſſe appellatiuum, cur Homo maximus, non potuit intelligi ipſe Adam per antonomaſiam, quia ipſe primus & maximus noſtri generis, quod ad naturæ dotes ſpectat, nondum tunc temporis nato Chriſto &c. Fatemur nos ingenue Auctorem Libri Ioſue nequaquam locutum de Adamo primo parente, ſed non ex allata ratione, quòd præfixus *He* articulus emphaticus nomini Adam fuerit: de quo ergo eſt ſermo?

Hebræi hunc magnum hominem Abrahamum exiſtimant, qui in Hebron & vixerit, & vita functus, ſepultus fuerit. Sed horum ſententiam Maſius in 14. Ioſue v. 14. refellit, quòd eam non niſi figmentis compinxerint, nulla firma auctoritate aut ratione.

ADAM MAXIMVS ARBA.

Sedenim nihil ad loci præſentis elucidationem afferri poſſit ſimplicius ac ſolidius, quàm ſi dicamus hunc Adam, hoc eſt, hominem maximum, non aliū eſſe quàm ipſum Arbee, qui nomen ſuum vrbi Hebron indiderit. Hebræa vtì prædiximus, ſunt expreſſa: *Nomen Hebron ante Ciuitas Arba: homo magnus in Enacim ipſe.* ſcilicet Arba. Chaldæus: Homo magnus in fortibus ipſe. Ac ſi diceat: Hebron prius vocabatur Vrbs Arbee, qui Arbee fuit homo magnus inter Enacim. Vidimus Enacim fuiſſe gigantes, qui Hebronē tenuerint, inter quos magnus fuit Arba, à quo nomē Hebron acceperit, dicta Ciuitas Arba.

Equidem Arba nomen fuiſſe proprium viri cuiuſdam, qui inter Enacim, Hebronem incolentes, fuerit magnus, ac pater eorundem dictus, diſerte proditur Ioſue 15. 13. *Caleb vero filio Iephone, dedit Ioſue partem in medio filiorum Iuda, Cariat Arbee patris Enac; ipſa eſt Hebron.* Et Cap. 21. 11. *Cariat Arbe patris Enac; quæ vocatur Hebron.* Et licet pro *Patris Enac*, Septuaginta vtroque loco

loco dixerint, *Metropolim Enac*: ad ſenſum rei tantummodo reſpicientes: at ad verba Hebraica, & Latinæ Editionis, & ad propiorem mentem ſacri Auctoris, illud *Patris Enac*, non niſi ad Arbe referri queat, qui dictus ſit pater Enac. Verum quis non cernat mira locorum conſonantia, qui in prædictis locis Arbe dicitur pater Enac, iſto quem elucidamus loco, appellari hominem magnum, vel maximum inter Enacim: idemque prorſus eſſe patrem Enac, & maximum inter Enacim? & ſi quid diuerſum ſit, haud dubie eundem hominem vocatum Arba, & fuiſſe patrem Enacinorum & maximum inter Enacim, hoc eſt, gigantes illos habitantes in Hebron.

Cur autem Arba, appellatus ſit pater Enach, vel maximus inter Enacim, multis rationibus potuit accidere. Vel quia reuera fuit genitor Enac, à quo progenati ſunt Achiman, Siſai, & Tholmai gigantes, filij, vel poſteri Enac: vel quia Arbe fuerit primus generis Enacinorum, hoc eſt, gigantum proauctor, ac parens: vel quia fuit princeps Enacinorum; qui ſummum imperium in Hebrone inter Enacinos obtinuerit: vel denique quia vaſti corporis mole, robore, viribuſque atque induſtria, & rei bellicæ peritia inter Enacim ſeu gigantes Hebronis excelluerit. Quidnam enim horum extiterit, in tanta rerum vetuſtate haud liquet: & potuiſſe omnes iſtas cauſas in vnum Arba ſimul confluere, non eſt à veriſimili prorſus alienum. ARBA CVR DICTVS PATER ENACH.

Scite notatum à quibuſdam, Arba Hebraice dictum, quaſi Quadratum, Quadrigeminum, ab immani corporis magnitudine, quòd inſtar quatuor corporum eſſet. Solita enim eſſe eiuſmodi nomina gigantibus olim imponi, certum eſt: hinc Gerion dictus Trigeminus, Briareus Centigeminus, vel Centimanus. Igitur à priſco illo viro Arba, qui fuit inſignis proceritatis gigas, quòd vrbem Hebron forſan inſtaurauerit, auxerit, amplificauerit; aut quòd in ea inter gigantes imperium obtinuerit, atque in eadem conditus fuerit, nomen vrbi factum, dictamq. Ciuitatem, vel oppidum Arbe, claſſici ferme omnes Explanatores conſentiunt; nec alium putant Adam maximũ, vel hominem magnum inter Euacim, niſi ipſummet Arbam. Ita docent Clarius, Caietanus, Vatablus, Maſius, Montanus, Sà, in 14. Ioſue. Oleaſtrius in 23 Geneſ. Pererius Lib. 4. in Geneſ. Quæſt. 3. de Formatione Mulieris. Marinus in Radice *Anak*, Maldonatus in 27. Matth. v. 33. Toletus in 19. Ioann. Annot. 12. Bellarminus Lib. de Gratia Primi hominis, Cap. 12. Baronius Tomo 1. Annal. Anno Chriſti 34. Cap. 115. & alij. ענק

Porro cum Hebraice tantum ſit, *Arba Homo magnus inter Enacim ipſe*. vel, fuit. Nouantes critici, Vulgatum vellicant, quòd addiderit, *Ibi inter Enacim ſitus eſt*. cum tres iſtæ dictiones, *Ibi ſitus eſt*. non ſint in Fonte; nec vlla fiat mentio de ſepulchro Arbæ, ſed tantum aſſeratur Arbam ipſum fuiſſe hominem magnum inter Enacim. ASSERITVR VVLGATVS.

Sed nos gratias ingentes ſacrato Interpreti habemus, quòd & ſua auctoritate teſtatum reddiderit id quod ex Fonte Hebraico quiſque facile intelligere poterat: nam ſi Arba in Hebron vixit, ac inter gigantes regnauit, vrbemq. de ſuo nomine appellauit, nonne in promptu erat cognoſcere etiam ipſum ibidem fuiſſe ſepultum? cum nihil magis fieri ſoleat quàm vt hi qui nomen alicui vrbi ſuum imponunt, in eadem ſepulti iaceant, exemplis vbique obuijs.

Septua-

Septuaginta hoc loco nihil curantes de verbis,ſenſum rei tantum expreſſerunt : *Nomen autem Chebron prius Ciuitas Arboc, metropolis Enacim ipſa.*

De Caluaria Adæ quiddam peculiare.

Piaculum foret hoc loco præteriſſe quæ de Cranio primi parentis S. Iacobus Niſibenus magni nominis Scriptor memoriæ prodidit, à Moſe Bar-Cepha Syro Epiſcopo fideliter deſcripta : is enim Lib. de Paradiſo Cap. 14. iſta prodit : Quidam Doctorum dixere, Adamum, poſteaquam per plurimas regiones vagatus, in alijs atque alijs habitaſſet locis, tandem ſub vitæ finem veniſſe in montem Iebus, ibique ſepultum eſſe : certum eſt autem Iebus eſſe Ieruſalem. Et vero dominus Iacobus Orrohaita tradit etiam Noham illic habitaſſe, atque in regione Sodomorum plantaſſe illas cedros, ex quibus Arcam conſtruxit : quam Arcam cum eſſet vnà cum liberis ſuis conſcenſurus impendente diluuio, ſecum in eam intuliſſe oſſa Adami; eaque deinde poſt diluuium Arca egreſſum, ſuis filijs diſtribuiſſe, prout orbem terrarum inter illos habitandum partiebatur. Verbi gratia, Caluariam Adami dediſſe primogenito ſuo Sem, & terram aſſignaſſe ei Iudæam: atque ita poſteritatem Sem, cum in Iudæam ceu ſuam hæreditatem veniſſet, illam Adæ Caluariam, quæ ſibi de illius oſſibus ex paterna diſtributione obuenerat, in Adæ ſepulchro, quod alioquin iam tum illic extabat, repoſuiſſe.] Hæc Moſes.

NOE RECIPIT OSSA ADAMI IN ARCAM, ET FILIIS DISTRIBVIT.

Quocirca etiamſi corpus Adæ ante diluuium in Ieruſalem, & in Hebron per partes ſepultum fuerit ; ex ſententia tamen S. Iacobi Orrohaitæ dicendum erit, poſt diluuium diſtributis oſſibus Adæ inter filios Noe, & in diuerſas orbis partes diſtractis, Caluariam tantum Ieroſolymis, & non in Hebrone repoſitam ; nihilq. tunc oſſium Adæ in Hebrone manſiſſe, niſi forſan Sem præter Caluariam aliquid è reliquijs Adæ à parente Noacho acceperit, quod in Hebrone condiderit.

Soluitur Quarta obiectio Cap. 15. allata, ſimulq. de loco vbi Adam efformatus fuit, tractatur. Cap. LVIII.

QVARTA ratio pro Meſopotamico Paradiſo, de loco vbi Adam è terra formatus fuit, ediſſeri poſcit. Honorius Auguſtodunenſis Presbyter in Chronico hæc ait: Adam primus homo in Hebron à Deo formatus &c.] Brocardus in Deſcriptione Terræ ſanctæ, cum agit de ſpelunca duplici agri Hebron, ſic ait : A ſpelunca duplici ad Occidentem ad iactum arcus vnum, eſt ager Damaſcenus, vbi plaſmatus dicitur Adam ; habetq. argillam rubeam, flexibilem in modum ceræ, quæ per camelos in magna quantitate in Aegyptum, Aethiopiam, Indiam, & alia loca deportatur : nam abutuntur ea in varias ſuperſtitiones. Iuxta hunc agrum Damaſcenum oſtenditur etiam locus vbi Cain fratrem ſuum Abel occidit. Fabulantur quoque illic Adam & Euam multo tempore luxiſſe Abel filium ſuum in ſpelunca rupis cuiuſdam, quæ ad Auſtrum patet.] Hæc ipſe. Eadem Adricomius in Theatro Terræ ſanctæ in Tribu Iudæ, Nu-

mero

mero 90. ex Saligniaco, Breindembachio, & alijs Terræ ſanctæ luſtratoribus ſcribit: quæ quoque retulit Toſtatus in 14. Ioſue Quæſt. 10. Qui addit locum illum vbi Protoplaſti luxerunt Abel, vocatum Vallem lacrymarum.

Idem Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 138. hæc ſcribit: Aliqui dicunt, quòd Adam fuit formatus in ciuitate Hebron, vel apud illam in campo Damaſceno. Eſt enim campus Damaſcenus, vt aſſerunt, locus quidam campeſtris iuxta ciuitatem Hebron, quæ non erat quando Adam formatus eſt: ſed poſtea longo tempore condita fuit in loco illo, vbi formatus fuerat Adam.] Et cum coniecturas iſtorum retuliſſet, ſubdit: Dicendum quòd licet iſtud teneatur à multis, & nos illud non abijciamus, tamen veritas eſt, quòd non eſt nobis certum, an ibi in campo Damaſceno iuxta Hebron, vel alibi formatus fuerit.] Tantum ille. In agro Damaſceno formatum Adam, docet Petrus Comeſtor in Hiſt. Scholaſt. Geneſ. Cap. 13. & Cap. 24. Alfonſus Salmeron Tomo 1. in Euangelicam Hiſtoriam Prologomeno 7. refert traditionem eſſe, Adamum in campo Damaſceno non procul ab Ieruſalem formatum fuiſſe, nempe in agro Hebron. Reperiuntur huiuſce ſententiæ aſſertores innumeri, ſed quod ſciamus, omnes recentiores, nec vllus ex Patribus. Vide Lyranum & Steuchum in 2. Geneſ.

Genebrardus Lib. 1. Chronograph. Pag. 4. & 8. ita ſcribit: Adam in agro Damaſceno (Hebræorum alijs in ipſa terra Iſraelitica) è terra virgine producitur.] Et rurſum: In agro Damaſceno formatus fertur Hebræorum, ex humo rubra: nam Adama ex qua dictus eſt, humum rubram in Traditionibus ſonat, qualis eſt gleba Syriæ & Armeniæ. Alij in terra Iſrael: quod reijcit Aben Ezra.] Ita ille. Verum Alben-Ezra in 2. Geneſ. hæc ait: hæc ait: Neque ignorare debes, terram è qua homo factus eſt, non procul à Paradiſo Eden extitiſſe. Et ſunt qui putent hanc eſſe terram Iſrael: ſed non conſiderant illud: Et factum eſt dum proficiſcerentur ab Oriente &c.] Hæc ille, ſatis innuens primigenios homines terras Orientales vltra Chaldæam incoluiſſe, atque in eiſdem effictum à Deo primum hominem, nimirum in locis Occidentalibus Indiæ, non procul à Paradiſo.

At illud mirandum quòd Genebrardus agrum Damaſcenum vbi formatus fuit Adam, in Syria Damaſcena collocet: & Terræ ſanctæ Geographi, annotante Salmeron Prologomeno 41. prodant, Damaſcenos Syriæ oſtendere locum in quo Abel occiſus ſit à Cain: ex quo coniectura fit, Adamum de Paradiſo pulſum illas partes cum filijs habitaſſe: cum tamen Brocardus, & alij vti nuper dicebamus, agrum Damaſcenum, vbi Adam formatus fuit, & vbi Cain interfecit Abel, fuiſſe in valle Hebron affirment. AGER DAMASCENVS VBI.

Cum Capite 53. tanta probabilitate docuerimus, Adamum in Iudæa habitaſſe & mortuum fuiſſe, voluerunt quidam hinc probare Adamum in Iudæa, vel Ieroſolymis, vel in Hebron fuiſſe plaſmatum: quòd eiectus è Paradiſo in eam regionem à Deo amandatus ſit, in qua & efformatus & mortuus ſit Geneſ. 3. verſ. 24. *Et emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt.* Et verſ. 19. *Donec reuertaris in terram de qua ſumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* q. d.

poſitus eſt extra Paradiſum in ea terra ex qua formatus eſt; hæc autem fuit terra Iudææ: & morte reuerſus eſt Adam in eam terram vnde effictus fuit, fuit autem in Iudæa ſepultus, ibi ergo & efformatus. Tractat accuratè hæc duo loca Toſtatus in Geneſ. 3. & in 13. Quæſt. 138. Recteq. monet relatiuum illud, *de qua*, vtroque loco, non referre indiuiduum terræ, puta illam præciſe regionem extra Paradiſum vbi effictus, & mortuus fuit Adam: ſed vniuerſe ſpeciem terræ extra Paradiſum, q. d. eiectus eſt è Paradiſo in terram extra Paradiſum, ex qua efformatus eſt, vt incoleret eam, & in eam tandem diſſolueretur: nam Adam efformatum ex terra extra Paradiſum, mox dicemus: in quam quoque morte conuerſum, non eſt dubium.

Nec ſi proterue contendas, Adamum habitaſſe in ea terra ſingulariter ex qua compactus eſt, proinde quod habitauerit in Iudæa, inde conficies formatum in Iudæa: nam potuit efformari in aliqua regione Indiæ proxima Paradiſo, in quam eiectus à Paradiſo, primum habitauerit aliquo tempore: vnde poſtea in Hebronem vel Ieroſolymam venerit, vt Cap. 53. diximus. Ceterum nonnulli arbitrati ſunt Adamum Ieroſolymis fuiſſe formatum. Moſes Bar Cepha Lib. de Paradiſo, Cap. 27. inquit: Igitur quidam putant Deum ex Ieruſalem ſublatum Adamum tranſtuliſſe in Paradiſum: nam in Ieruſalem formatum eſſe, vbi & mortem etiam obierit.] Hæc ille. Vbinam igitur putamus nos Adamum efformatum fuiſſe? S. Anaſtaſius Sinaita Homil. 9. in Hexaemeron, locum vbi Adam compactus fuit extra Paradiſum, ignorari ait, his verbis: Quando ergo audieris, quod Deus infert Adam ex quodam loco ignoto, & qui nec poteſt explicari, nec comprehendi, ſolum nudum & incompoſitum in Paradiſum, &c.] Hæc ille, quæ nos tutius dici exiſtimamus. Et ſi humanæ mentis audacia conari quid amplius cupimus, veriſimile ducimus Adamum in loco aliquo Paradiſo proximo conglutinatum è terra; hunc autem conſone ſententiæ noſtræ eſſe in Orientis regione aliqua, vel in India, vel Sina. Ceterum vbicumque Deus Adamum formauerit, tam facile ei fuit eundem ex remoto, quam ex proximo loco in Paradiſum transferre, nimirum miniſterio Angelorum, vt cenſet S. Auguſtinus.

INCERTVM VBI ADAM FORMATVS

Adamum extra Paradiſum formatum, Heuam in Paradiſo, & cauſa diſcriminis. Cap. LIX.

OMNIVM Patrum, Hebræorum, & Recentiorum conſenſu habetur exploratiſſimum, Adamum non intra, ſed extra Paradiſum efformatũ. Singulos citare operoſum & immenſum, cum ſint Scripturæ verba perſpicua Geneſ. 2. verſ. 15. de iam creato homine: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.* & Geneſ. 3. verſ. 23. *Emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* Si Deus hominem creatum accepit, & poſuit in Paradiſo vbi antea numquam fuerat, non igitur creatus in Paradiſo. Si eiectus extra Paradiſum ad incolendam terram ex qua efformatus eſt, iam extra Paradiſum è terra plaſmatus fuit.

Porro Heuam extra Paradiſum conditam, Ioſephus Lib. 1. Antiq. Cap. 1. haud

haud obſcure videtur innuere, cum narrata Adami, Euæq. productione, deſcribens quoque Paradiſi pulchritudinem & amœnitatẽ, ita ſubdit: Narrat præterea Moſes Deum hortum ad Orientem plantaſſe omni virenti planta: in hunc hortum cum introduxiſſet Deus Adamum cũ vxore, iuſſit eos plantarum curam habere &c.] Hæc Ille. Adamum ergo & Heuam alibi procreatos, deinde in Paradiſum à Deo introductos aperte Ioſephus affirmare videtur. Tertullianus Lib. 2. aduerſus Marcionem, idem indicare viſus, cum ait: Nullus mortalium, ne ipſe quidem Adam in Paradiſo Dei natus eſt.] Hoc ipſum Rupertus affirmat Lib. 2. in Geneſ. Cap. 22. S. Alcimus Auitus Lib. 1. in Geneſ. Cap. 10. in eandem ſententiam abiiſſe ſe innuit, cum deſcripta Heuæ formatione, ſubdit:

HEVAM EXTRA PARADISVM CONDITAM QVI CREDIDERINT.

Interea primi, ſummus quos iunxerat Auctor,
In Paradiſiaca ponuntur ſede parentes.

At melior habetur ſententia, Heuam in Paradiſo formatam ex coſta Adæ: nam ſuauis decurſus Moſaici contextus, relicta duritia recapitulandi, hoc nimis aperte demonſtrat, introducto iam homine in Paradiſum, ibique mirabili ſomno ſopito, ex coſta eius eductam Heuam.

HEVA IN PARADISO FORMATA.

S. Anaſtaſius Sinaita initio Lib. 9. in Hexaemeron, iſta perſcribit: Conſiderandum eſt, cur non indigenam è Paradiſo genitum, & è Paradiſo effictum, intus in Paradiſo Deus fecit hominem, ſed ipſum extrinſecus, nudum & incompoſitum, aliunde inducit in Paradiſum; intus autem è Paradiſo fabricatur mulierem ex Adamo. Opportebat enim vel & mulierem cum homine foris fingere; vel etiam intus conſtruere virum, vbi mulier fuit conſtructa.] Hæc S. Anaſtaſius. Hoc ipſum docuit S. Baſilius Libro de Paradiſo. Ex quo S. Ambroſius accipiens Lib de Paradiſo, Cap. 4. hæc inquit: Illud aduerte, quia extra Paradiſum vir factus eſt, & mulier intra Paradiſum: vt ſcias quòd non loci, non generis nobilitate, ſed virtute vnuſquiſque gratiam ſibi comparat. Denique extra Paradiſum factus, hoc eſt, in inferiore loco, vir melior inuenitur; & illa quæ in meliori loco, hoc eſt, in Paradiſo facta eſt, inferior reperitur. Mulier enim prior decepta eſt, & virum ipſa decepit.] Hæc S. Ambroſius.

Theologi omnes Scholaſtici in 2. Sent. Diſt. 17. & S. Thomas 1. Par. Quæſt. 102. Art. 4. ad 3. Interpretes Libri Geneſ. in 2. Caput, magno conſenſu docent, Heuam in Paradiſo productam. Vide ſeorſim Honcalam, & Pererium in 2. Geneſ. v. 15. Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 137. in fine hæc ait: Communiter tenetur quòd Heua fuit formata in Paradiſo: ſi quis tamen voluerit contendere formatam eam foris, non poterimus eum conuincere.] Sic ille.

Idem Pererius & Toſtatus ex S. Auguſtino, Petro Lombardo, S. Thoma, aliique Theologis rationes aliquas collegerunt, ob quas decuerit Adamum extra Paradiſum plaſmari. I. Cum ipſe eſſet caput & origo totius naturæ humanæ, ne videretur locus ille naturaliter debitus hominum generi; ſed à Deo potius liberaliter conceſſus. II. Quia non ſemper ibi erat manſurum genus humanum, ſed exturbandum: quod difficilius fit à ſolo natiuo. III. Vt ex differentia & comparatione loci in quo homo conditus, & in quem intromiſſus, præſtantiam huius magis admiraretur, bonitatemque Dei inſe

magis celebraret. IV. Vt redderetur attentior ad ſeruandum Dei mandatum, cum locus ex ſola Dei liberalitate conceſſus, facile amitti poſſet, ſi vel tantillum officio deforet: promptius enim gratuita quàm naturalia perduntur. V. Ne homo cum Deo conqueri poſſet, quòd ferme iniuſte è ſolo natali pelleretur: cum naturalia ipſi manſerint integra. Auctores inuiſe: nos in his plura non addimus, quòd huiuſce rerum quæ è ſola diuina voluntate pendent, genuinæ cauſæ in ipſis diuini pectoris arcanis ſecreto condantur: proculdubio ſi hominem in Paradiſo voluiſſet efformare, magnæ & permultæ rationes diuino conſilio non defuiſſent.

Sed cur homine extra creato, Heuam intra Paradiſum produxerit, vt
CVR HEVA IN PARADISO FACTA. omittam alias cum allegoricas, tum non ſatis aptas rationes, hanc S. Thomas reddit: Mulier facta fuit in Paradiſo non propter dignitatem ſuam, ſed propter dignitatem principij ex quo corpus eius formabatur: quia ſimiliter & filiſ in Paradiſo fuiſſent nati, in quo parentes iam erant poſiti.] Sic ille. Quaſi dicat oportebat & mulierem, & genus humanum vniuerſum, ſi felix iſte ſtatus perſeueraſſet, è fonte perfecto, & in loco eximio poſito generari.

Quanam ex terra primus homo Adam efformatus ſit. Cap. LX.

ADAMVM COMPACTVM EX QVATVOR MVNDI PARTIBVS.

PLERIQVE veterum Patrum exiſtimant, Adam effictũ ex terra ſumpta à Deo ex quatuor mundi partibus, nempe ex Oriente, Occidente, Meridie, & Septemtrione, ſcilicet è quatuor portionibus terræ, ſingulis ex vnaquaq; cardinali mundi parte acceptis, & in vnam maſſam compactis, plaſmatum à Deo arbitrantur: indeque nomen Adam nactum, quòd ſingulæ huius vocabuli litteræ inchoent ſingulas quatuor illas mundi præcipuas partes Græce nuncupatas. S. Cyprianus in Tractatu de Montibus Sina & Sion, vel ſi quis eſt alius eius Operis Auctor, ſane S. Auguſtino vetuſtior, hæc ait: Nomen accepit à Deo Adam. Hebraicum Adam in Latino interpretatur terra caro facta, eo quòd ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit, ſicut ſcriptum
Iſai. 40. 12. eſt: Palmo menſus ſum cælum, & pugno comprehendi terram, & finxi hominem ex omni limo terræ. Ad imaginem Dei feci illum. Opportuit illum ex his quatuor cardinibus orbis terræ, nomen in ſe portare Adam. Inuenimus in Scripturis, per ſingulos cardines orbis terræ, eſſe à Conditore mundi quatuor ſtellas conſtitutas in ſingulis cardinibus. Prima ſtella Orientalis dicitur ἀνατολὴ: ſecunda Occidentalis δύσις: tertia ſtella Aquilonis ἄρκτος: quarta ſtella Meridiana dicitur μεσημβρία. Ex nominibus ſtellarum numero quatuor, de ſingulis ſtellarum nominibus tolle ſingulas litteras principales, de ſtella Anatole, a; de ſtella Dyſis, d; de ſtella Arctos, a; de ſtella Meſembria, m; in his quatuor litteris cardinalibus habes nomen Adam.] Hæc Auctor.

S. Auguſtinus Tractatu 9. in Ioan. hæc ait: In Adam vocabulo quatuor litteris, quatuor orbis terrarum partes per Græcas appellationes demonſtrantur. Si enim Græce dicantur Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies,

ſicut

ſicut eas pleriſque locis ſancta Scriptura commemorat, iu capitibus verborum inuenis Adam: dicuntur enim Græce quatuor memoratæ mundi partes, ἀνατολὴ, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία. Iſta quatuor nomina ſi tamquam verſus quatuor ſubinuicem ſcribas, in eorum capitibus Adam legitur.] Hæc S. Auguſtinus; eadem repetit Tractatu 10. vbi addit: Hæc fratres mei, etiam ab anterioribus maioribus noſtris dicta ſunt.]

Eandem nominis Adam etymologiam S. Beda in Comment. Ioann. deſcripſit. Sed & Sibylla Lib. 2. Oraculorum, ita cecinit:

Nimirum Deus is fixit tetragrammaton Adam,
Qui primus fictus eſt, & qui nomine complet
Ortumque, Occaſumque, Auſtrum, Boreamque rigentem.

Riſit iſta omnia ſuo more Eraſmus, alijque Nouantes, quòd etymon nominis Adam cum ſit Hebraicum, ex Hebræa, non Græca lingua ſit petendũ; in Hebræa autem & eſt trium tantum litterarum: nec illas Orientis, Occidentis, Aquilonis, & Auſtri notiones patitur. At Sixtus Lib. 5. Biblioth. Pamelius in Argumento & Notis ad Tract. S. Cypriani de Sina & Sion, Feu-ardentius in Notis ad Lib. 2. S. Irenæi, C. 41. Salmeron Prologomeno 7. in Euangelicam Hiſtoriam, Pererius in 1. Geneſ. & alij permulti, nec iudicio Eraſmi, futuri inepti, Patrum etymon ſuſpiciunt: & nos plane exoſculamur vt pium, nec vllo pacto improbabilem. Non enim Patres primigeniam Hebraici nominis notionem, Græcam produnt: ſed potius in Græce pronuntiato vocabulo eam Græcarum vocum colluſionem, & elementariam expoſitionem, Priſcorum ritu vſurpari ſolitam, ſcite & pie annotarunt. Sic S. Optatus Cepham, Petri celebre nomen, non Syriace, ſed Græce interpretatus eſt, Caput; & ſunt alia ſexcenta exempla. Nam etſi eiuſmodi nomina è prima origine ſint Hebræa, at cum fiant communia alijs linguis, quid ineptum aut abſonum, in eiſdem quoque linguis, eorum etymos, aut certe vocum alluſiones, & notionum conuenientias quærere? Quis ſolida ratione demonſtret, Deum in formatione Adami, non potuiſſe, aut non accepiſſe humum ex quatuor mundi cardinalibus plagis? aut, quod vero ſimilius eſt, cur nomen Græce elatum Adam, non indicet quatuor illas orbis partes, quòd in illis quatuor ſparſum ſit genus humanum?

ASSERVNTVR.

Theodoretus Quæſt. 25. hæc ſcribit: Et plantauit Deus Paradiſum in Eden ad Orientem. Quidam Paradiſum ipſum dici putant Edem, alij vero locum vniuerſum, in quo Paradiſus erat: vnde & Adam formatus eſt, & denominatus eſt Adam, ex eo quod ortus ſit à terra illa quæ eſt in Edem. Edem enim rufum ſignificat. Quemadmodum & Eſau, qui pro lenticula rufa vendidit primogenita ſua, appellationem ſortitus eſt *Edom:* quod verius puto.] Sic ille.

Mirati ſumus Theodoretum, Syriace & Hebraice doctum, non obſeruaſſe, Eden locum Paradiſi ſcribi *Eden*, cum ע, *Aijn*, & ן, *nun:* Adam vero *Adam*, cum א *aleph*, & ם *mem:* & illud ſignificare delitias, hoc rufum: nec illud nomen vllo pacto ab illo altero deriuari.

עדן אדם אדם אדמה

Conſentiunt omnes primum hominem Hebraice dictum *Adam*, ab *Adamah*, ideſt, terra, ſeu argilla rubra, quæ facilius ſubigitur & conglutinatur, ex qua plaſmatus à Deo fuit. Quod Moſes haud obſcure indicauit cum forma-

ADAM AB ADAMAH.

formationē hominis deſcribens Geneſ. 2. v. 7. in Hebraico Fonte inquit: *Et effinxit Iehueh Elohim ipſum Adam, puluerem de Adamah*. ideſt, de terra rubra; pulchre Noſter dixit *de limo terræ*. vt oſtenderet, terram illam fuiſſe madefactam & quaſi ſubactam inſtar luti figuli. Ioſephus Lib. 1. Antiquitatum Cap. 1. ait: Finxit Deus hominem humo telluris ſumpta: immiſitq. in eum ſpiritum & animam. Homo autem hic vocatus eſt Adamus, Significat autem hoc Hebræorum lingua, Rufum: quandoquidem è rufa humo fermentata eſt factus. Talis enim eſt intacta terra & vera.] Hæc Ioſephus.

Euſebius De Præparatione Euangelica Lib. 11. Cap. 4. Nam & nomen ipſum Adam terrigenam aut terrenum poteſt ſignificare. Adam enim apud Hebræos humus dicitur: quamuis per translationem, rubram, corpoream que naturam ſignificet. Ita terrigenam atque terrenum, ſeu corporalem hominem hac appellatione ſignauit.] Theodoretus Quæſt 36. in Numeros: Nomen Adæ terram rubram ſignificat, ex qua corpus ipſius formatum eſt.] Ergo Adam dictum quaſi terreum ac terrenum, nullum eſt dubium: quò etiam putant alluſiſſe Paulum 1. Corinth. 15. v. 45. *Primus homo de terra terrenus*. Sed non vtcumque terreum, verum terreum quaſi rufum, hoc eſt, ex

אדם rubra humo, nempe argilla compactum. Hebraice enim *Adam* eſt rube-

אדמה ſcere: & *Adamah*, terra, ſed à rubedine dicta, qualis eſt argilla. Hinc Eſau

אדם Hebraice dictus eſt *Edom*, cuius nominis ratio Geneſ. 25. 30. aperitur, cum ipſe ad Iacob ait: *Da mihi de coctione hac rufa*. nempe ex lenticulis. & ſtatim infert Moſes: *Quam ob cauſam vocatum eſt nomen eius Edom*. nimirum quaſi Rufus.

NVM ADAM NOMEN SYRIACVM. Qui linguam pure Syriacam, & non Hebraicam exiſtimauit primigeniam & mundo coæuam Georgius Amiras Edenienſis è Libano, nomen Adam, hoc eſt, Syriace *Odom*, arbitratur, in Præludijs ad Grammaticam Aramæã, natiuum etymon habere in lingua Syriaca, dictumque *Odom*, ab *Odomotho*, hoc eſt, terra rubra. Cui adſtipulari videtur Theodoretus Quæſt. 59. in Geneſ. proponit enim huiuſmodi Quæſtionem: Quænam lingua eſt antiquior? *Reſpondet*: Nomina ipſa indicant. Adam enim, & Cain, Abel, & Noe, propria ſunt linguæ Syriacæ. Syrorum enim mos eſt, terram rubram appellare Adam. Interpretatur ergo Adam terrenus aut puluerofus.] Sic Theodoretus in Syria Epiſcopus.

Et Moſes Bar-Cepha, Syrus quoque Epiſcopus Lib. de Paradiſo Cap. 28. ait: Porro de voce Adam dicunt apud nos Syros plerique, appellationem eſſe particularis hominis, perſonamque vnam repræſentare: verum alij exiſtimant, apud Hebræos nomen eſſe ſpecificum, & totum genus humanum ſua notione amplecti, ſicut antehac diximus in Commentario noſtro de Sex diebus. Rurſus alij ſunt qui putant, nomen Adam ſumptum eſſe ex ipſo hominis corpore, & ei proprie impoſitum eſſe: eo quòd ex terra, quæ Adamotho dicitur, conformatum ſit. Ceterum quid ſibi velit illud terræ vocabulum Adamotho, illic quoque à nobis eſt explicatum.] Hæc Moſes. At de antiquitate linguæ Hebraicæ, quòd ipſa ſit originaria, & antiquior Syricà, non dubitem, ob multas rationes alibi tractandas: & forſan Theodoretus Syriacam intellexit Hebraicam.

Porro quòd Ioſephus ſuperius dixerit Adamum effictum ex terra rubra, quæ

quæ ſolet eſſe vera & intacta; inde Patres ſublime myſterium hauſerunt: Vt primus Adam plaſmatus eſt è terra pura & virgine, nec vmquam humanis manibus exculta: ita ſecundum Adam Chriſtum ex integerrima Virgine, nulla virili opera fuiſſe generatum: atque hac præſertim in re Adamum primum fuiſſe *formam futuri*. S. Irenæus Lib. 3. Cap. 31. inquit: Quemadmodum protoplaſtus ille Adam de rudi terra & adhuc virgine (nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram) habuit ſubſtantiam, & plaſmatus eſt manu Dei, ideſt, verbo Dei: omnia enim per ipſum facta ſunt: & ſumpſit Dominus limum à terra, & plaſmauit hominem: ita recapitulans in ſe Adam ipſe, Verbum exiſtens, ex Maria quæ adhuc erat virgo, recte accipiebat generationem Adæ recapitulationis.] Hac ipſe. Tertullianus Lib. de Carne Chriſti Cap. 17. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compreſſa, nondum ſementi ſubacta, ex ea hominem factum accipimus à Deo in animam viuam. Igitur ſi primus Adam de terra traditur, merito ſequens, vel nouiſſimus Adam, vt Apoſtolus dixit, proinde de terra, ideſt, de carne nondum generationi reſignata in ſpiritum viuificantem à Deo prolatus eſt.] ADAM EFFICTVS E TERRA VIRGINE, IN TYPVM CHRISTI E VIRGINE NATI.

S. Auguſtinus Serm. 5. de Natali Domini, qui eſt 21. in Appendice, ait: Innouatur in nobis quodammodo per Chriſti diuinitatem ſpecies illius antiqui & incipientis ſæculi, quando primus Adam de limi materia figuratur. Ecce etiam nunc ſecundus Adam, quaſi de intacta ac rudi terra, Virginis de carne formatur.]

Galatinus Lib. 7. Arcanor. Catholicæ veritatis C. 5. Caniſius Lib. 1. de Maria Cap. 7. Suarez Tom. 2. in 3. P. Diſput. 3. Sectione 5. & alij, cum de Conceptione beatæ Mariæ Virginis diſſerunt, citant S. P. N. Dominicum, Prædicatorum Ordinis Fundatorem, qui in Tractatu de Corpore Chriſti, hæc ſcripta reliquerit: Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, & numquam maledicta formatus, ita decuit in ſecundo Adam fieri.] Hæc ille. At cum Operis illius de Corpore Chriſti editi à S. Dominico, nec Vincentius Bellouacēſis, nec Theodericus de Appoldia, nec S. Antoninus, nec alij rerum tanti Patris Scriptores meminerint, ſuſpicamur, alterius potius fuiſſe Auctoris. Iacobus de Suſato in Chronico Ordinis Prædicatorum, & Antonius Senenſis in Bibliotheca virorum Illuſtrium eiuſdem Ordinis, referunt Fratrem Dominicum de Pantaleonibus inter alia ingenij ſui monumenta compoſuiſſe Tractatum de Corpore Chriſti: quem claruiſſe memorant circa annum Salutis 1262. nempe annos quadraginta & vnum poſt obitum S. P. N. Dominici. Illius ergo potius, quàm S. Dominici videtur fuiſſe Tractatus ille de Corpore Chriſti, quem Galatinus & alij citant. Et vtinam diuini illius ingenij aliquod certum monumentum extaret, nam tamquam incomparabilem theſaurum toto pectore amplecteremur. S.P.N. DOMINICVS NVM AVCTOR OPERIS DE CORPORE CHRISTI.

Vltimum argumentum pro Meſopotamico Paradiſo Cap. 15. allatum, reſtat confutandum: quod tantum coniecturas quaſdam afferebat, quæ ſi ſolidiori aliarum rationum & auctoritatum præſidio deſtituantur, facile à nobis contemnuntur. Siquidem vox *Pardes*, ſeu Paradiſus, ſiue illa Hebræa ſit, ſiue Perſica, numquam in Scriptura reperitur dicta de ſingulari illo & eximio Paradiſo voluptatis: ſed eſt vox communis omnibus pomarijs ſeu viridarijs, vti ſupra Cap. 3. docuimus: Vnde quòd ea ſit propria Perſiæ, non פרדס

inde

inde conficitur in ea Prouincia, vel non longe conſitum fuiſſe Paradiſum.

Quando conſitus eſt Paradiſus à Deo. Cap. LXI.

CVM Scriptura diſerte aſſerat, Deum ſex diebus creationis mundi, cuncta creata perfeciſſe, dubium exiſtit, quonam ex hiſce diebus Paradiſum condiderit: nam abſolutis ſex dierum operibus Deum requieuiſſe, nec amplius quidquam creaſſe quod ad ſpecies rerum Vniuerſi attinet, Moſes, & omnes Doctores perſpicue affirmant. S. Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis in Geneſ. elucidans illud quod Moſes inquit, Paradiſum plantatum à principio. hæc ait: Ex quo maniſeſtiſſime comprobatur, quòd priuſquam cælum & terram Deus faceret, Paradiſum ante condiderat: ſicut & legitur in Hebræo: Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum in Eden à principio.] Hæc ille.

EXPLICATVR S. HIERONYMVS. Pererius exiſtimat forſan S. Hieronymum locutum de ſpiritali Paradiſo, ideſt, vita æterna, à Deo electis ab æterno præparata. Sixtus Lib. 5. Biblioth. Annot. 37. non putat ſic adeo ſtupidum fuiſſe S. Hieronymnm, vt Paradiſum locum terrenum, ac in terra poſitum, ante terram conditum crediderit: ſed illud tantum indicaſſe, quòd Deus ante quàm cælum & terram diſtinguendo & ornando ſecundum omnia plene perfeciſſet, Paradiſum tertia die conſeuerit: cum adhuc dies tres integri abſoluendo mundo ſupereſſent. Probant hanc verborum S. Hieronymi interpretationem Pererius in 2. Geneſ. & Bellarminus Lib. de Gratia primi Hominis, Cap. 11. & alij.

Porro Bellarminus ſcite obſeruauit, S. Hieronymum locutum forſitan ex aliorum opinione, eorum ſcilicet, qui Paradiſum ſpiritaliter tantum accipiebant. Id enim moris eſſe S. Hieronymo aliorum Scriptorum ſententias etiã abſurdas & abſonas, ſuppreſſis Auctorum nominibus, interdum ſuis ſcriptis ſine diſcrimine inſerere: omiſſis interim confutationibus, quòd eas alibi plenius confutarit; ex eodem S. Hieronymo perſpicue demonſtrat Sixtus Lib. 4. Biblioth. in Hieronymo, & Lib. 6. Annotat. 287. & 290. Sed ad noſtra.

Robertus Bellarminns loco citato hæc inquit: Sanctus Baſilius in Libro de Paradiſo, exiſtimat Paradiſum, eiuſque arbores creatas fuiſſe ſpeciali quadam prouideutia Dei, non cum ceteris plantis tertia die, ſed ſeorſim alio tempore.] Sic ille.

PARADISVM TERTIO DIE PLANTATVM. S. Thomas 1. P. Q. 102. Art. 1. ad 5. hæc ſcribit: Dicendum, quòd ſecundum Auguſtinum tertio die productæ ſunt plantæ, non in actu, ſed ſecundum quaſdam rationes ſeminales: ſed poſt opera ſex dierum productæ ſunt plantæ, tam Paradiſi, quàm aliæ in actu. Secundum alios vero Sanctos opportet dicere, quòd omnes plantæ productæ ſunt in actu tertio die: & etiam ligna Paradiſi: ſed quod dicitur de plantatione lignorum Paradiſi poſt opera ſex dierum, intelligitur per recapitulationem eſſe dictum: vnde Litera noſtra habet: Plantauerat Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio.] Hæc S. Thomas. Habes verba S. Auguſtini Lib. 5. de Geneſi

ad Lit-

ad Litteram Cap. 4. & Lib. 8. Cap. 3.

Hanc ſecundam ſententiam de Paradiſo cum omni ſua pulchritudine, tertia die plantato, Recentiores ferme omnes ſequuntur, Petrus Lombardus in 2. Sent. Diſt. 17. Petrus Comeſtor in Hiſt. Scholaſt. Geneſ. Cap. 13. Albertus Magnus 2. P. Theolog. Tract. 13. Q. 79. Lyranus, Toſtatus, Caietanus, Vatablus, Naclantus, Bellarminus, Sixtus, & alij. Pererius Communem & peruagatam eſſe ait. Equidem quia Paradiſi plantatio res erat memorabilis atque inſignis, etſi tertia die cum omni genere arborum & plantarum, herbarumque facta fuerit, tamen peculiari anacephaleoſi ſeorſim poſt opera ſex dierum deſcribendam reſeruauit Moſes: nam & hominis productionem, & Heuæ ex coſta Adæ eductionem, quæ proculdubio ſexto die fuere peracta, Moſes in partem poſt ſex dierum fabricam narranda ſeponit, ob rerum dicendarum præſtantiam.

Moſes Bar Cepha ſuam, & antiquorum Patrum hauddubie de die quo Paradiſus eſt plantatus, aſſertionem explicans, Lib. de Paradiſo, Cap. 5. in hunc modum diſſerit: Paradiſum eſſe quidem à Deo conſitum Moſes commemorat, ſed non quoto die. Nos tamen tertio & conditum & conſitum eſſe, ex his verbis, quæ de ipſo apud Moſen habentur, intelligimus: ait enim dixiſſe Deum die tertio: Producat terra herbas germinantes, ſeminiſque feraces in ſuo genere. Necnon arbores fructiferas ſui quaſque generis, &c. Paradiſus itaque ante Adamum conditus eſt, & veluti ſponſo thalamus à Deo præparatus atque inſtructus. Nam quòd Moſes Paradiſi conditi mentionem poſt creatum Adamum facit, ideo fit, quòd ad nondum ſatis explicatam de Paradiſo condito narrationem ſibi reuertendum, eamque abſoluendam putauit: non autem quaſi ille poſt conditum Adamum factus ſit.] Hucuſque Bar-Cepha.

Atqui cum hæc ſit conſenſu ferme omnium recepta ſententia, miramur Ambroſium Catharinum in 2. Geneſ. hæc prodidiſſe: Veriſſimum credimus, ab initio, ideſt, prima die, non tertia (quia tertia dies non fuit vere initium) fuiſſe plantatum Paradiſum. Non obſtat autem aquas à ſuperficie terræ tertia die remotas fuiſſe: ex quo videtur Paradiſi ornatum non potuiſſe conſiſtere. Aquarum enim regio Paradiſum non attingebat: vel quia ipſe erat loco eminentiore; vel quia Deus remouit eas ab initio, vt huiuſmodi locum à ſe ornatum cuſtodiret & ſeruaret. Nec placet locum illum tertia die ornatum fuiſſe plantis & arboribus. Indignum quippe erat, vt tantus locus cum reliqua terra componeretur. Nam & hac nota voluit Moſes diſtinguere Paradiſum & ligna ibi plantata à ceteris lignis & plantis terræ: quoniam de Paradiſo ſingulariter dicitur: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio.* De ceteris autem nihil tale audis, ſed ſolum Domini iuſſu factum, terra vt germinaret.] Tantum Ambroſius. Quæ quidem ſunt à communi ſenſu penitus aliena, & nulla ſolida ratione ſubnixa. Vnde enim habetur, duobus primis diebus conditi orbis, cum terra eſſet inanis & vacua, & immenſa abyſſus aridam obrueret, nullibi extante vel apparente humo, Paradiſum vel eminuiſſe, vel à Deo intra voraginem & chaos conſeruatum? Quis vmquam hoc dixit? aut quanam id ratione aſtrui poſſit? Nam illud quod Catharinus vrget, *à principio*, neutiquam cogit primo die

REFRAGATVR CATHARINVS.

conditũ Paradiſum, nam Dñs Ioann. 8. etiam dicit, Diabolum homicidã fuiſſe ab initio. cum tamen eiuſmodi non fuerit, niſi poſt ſex dies conditi orbis. Exponunt igitur omnes ſinceriſſime, à principio creationis rerum omnium, vno ex illis diebus ſex, quibus initium mundus accepit, nempe tertio die, Paradiſum à Deo plantatum. Refellit Catharini ſententiam pluribus Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 119. Sane quod Noſter ait: *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio*. poſſis apposite ad Hebraicam notationem reddere pro à *principio*, antea. vt manifeſta recapitulatione dicat, Iam antea, nempe die tertio, plantauerat Deus Paradiſum voluptatis.

Quàm amplus ſit locus Paradiſi. Cap. LXII.

SANCTVS Auguſtinus Lib. 8. in Geneſ. C. 10. ita inquit: Neque enim exiguus locus erat Paradiſus, quem tantus fons irrigabat.] Hæc ille.

PARADISI LATITVDO. S. Anaſtaſius Sinaita, Antiochenus Epiſcopus, Homilia 9. in Hexaemeron, ait: Cum latitudo Paradiſi ſit magnitudinis incomprehenſibilis, adeo vt abundantia eius irrigationis efficiat quatuor fluuios vniuerſam prope terram irrigantes, &c.] Ita S. Anaſtaſius.

Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo C. 15. ſic ſcribit: Siue autem Paradiſus in regione modo Orientali poſitus eſt, vt dixere Baſilius, Gregorius, Seuerus, & complures alij; neceſſum eſt, ſpatioſum admodum atq. amplum fuiſſe. Ei enim rei fidem facit ingens illud flumen, quo rigabatur. Nam ſi hoc, vbi Paradiſum ſatis abluit, in quatuor grandes fluuios diſſecatur, qui magnam orbis huius quem nos colimus, partem ſuo curſu alluunt, maximum profecto, ampliſſimum, atque profundiſſimum vt ſit, conſentaneum eſt, antequam in quatuor illos diductum atque diſpertitum eſt grandes fluuios: iam vero ex fluminis mignitudine conficitur, Paradiſum, qui illo rigatur, ampliſſimum quoque eſſe.] Hæc ille: quæ etiam repetit Cap. 28.

DVODECIM LEVCARVM IN ORBEM TOSTATO. Toſtatus Quæſt. 98. in Cap. 13. Geneſ. ait: Apparet quòd Paradiſus eſſet terra aliquantulum lata, tamen non multum: non enim videtur quòd opporteret habere maiorem magnitudinem, quàm habeat inſula, ſcilicet, in longitudine tres, vel quatuor leucas: in circuitu autem duodecim, aut parum plus.] Ita Toſtatus.

Diſplicuit hæc ſententia Pererio Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 3. de Paradiſo, & Viegæ in 11. Apocalyp. Comment. 5. Sect. 5. quòd multo ampliorem locum Paradiſi arbitrentur: propter ingentem vaſtitatem quatuor illorum fluminum qui inde promanant: cum ſolis eorum alueis vix ſufficiant tres vel quatuor leucæ latitudinis.

Dixerunt alij Paradiſum tantæ magnitudinis eſſe, quanta eſt vnius ex præcipuis terræ partibus, vt Aſiæ, aut Africæ, vel Europæ: aut forſan quanta eſt vnius Prouinciæ, qualis eſt Germania, aut Italia, vel Hiſpania. Reijcit hanc ſententiam Toſtatus, quòd tanta laxitas Paradiſi, non poſſet vllo pacto niſi raro & ingenti miraculo in terra latere ad Orientem: addimus nos, cum orbis circumnauigetur præſertim hoc tempore, toto Occidente & Oriente

luſtra-

luſtrato. Steuchus Cap. 2. Coſmopœiæ, inquit: Locum Paradiſi credo non magnum, ſed tamen ſpatioſum.] & inferius: Erat enim ducenta ſtadia patens exempli cauſa Paradiſus.]

Qui rem accurate velit æſtimare, in incerto proculdubio ſemper iudicium habeat, neceſſe eſt. Coniecturis augurari poſſumus, ex Paradiſi & horti nomenclatura, locum fuiſſe non ita magnum vt Prouinciam aliquam, ſed vt viridarium & pomarium aliquod, multo tamen maius & pulchrius quam ſint Regum horti & viridaria: forſitan ambitu quadraginta, vel quinquaginta leucarum. Toſtatus in 2. Geneſ. Quæſt. 9. ait, quoſdam putaſſe ambitum Paradiſi eſſe quaſi centum leucarum: longitudinem, triginta. FORSAN QVINQVAGINTA.

Sedenim cum Cap. 17. & 18. fuſe oſtenderimus, Paradiſum conſitum fuiſſe in regione quadam quæ proprio nomine vocaretur Eden; dubium exoritur, num Paradiſus eſſet tota regio illa Orientalis Eden, an vero pars eius maior, & melior: vt quod inquit Scriptura Paradiſum plantatum in Eden, ſit intelligendum in illa ampla regione Eden ſelectiorem partem fuiſſe Paradiſum. Theodoretus Quæſt. 25. in Geneſ. in hanc ſecundam ſententiam concedit, dicens: Quidam Paradiſum ipſum dici putant Eden: alij vero locum vniuerſum, in quo Paradiſus erat; vnde & Adam formatus eſt, quod verius eſt.] Quod etiam eſſeruit Moſes Bar-Cepha Libro de Paradiſo Cap. 16. his verbis: Ceterum Eden locus eſt amplus ac ſpatioſus, ſic dictus, quòd delicatus, ac multis varijſque arboribus exornatus ſit. Porro vt regio Eden cunctas reliquas præcellit terras, ita & ea eius pars, in qua ſitus eſt Paradiſus, cetera omnia, quæ Eden complectitur loca ſuperat: neque enim in Eden vllum eſt ſolum præſtantius eo, in quo Paradiſus eſt conſitus.] Et Cap. 21. Eſt autem à nobis iam dictum, Eden eſſe regionem ſpatioſam, amplam, amœnam, variam: Paradiſum vero locum eſſe pulchris, fructuoſis, præſtantibus, laudabilibuſque arboribus præ quibuſuis alijs in tota Eden locis ornatum. Paradiſum enim eius regionis quæ Eden dicitur, partem eſſe inter alias omnes præſtantiſſimam, laudabiliſſimam, atque cultoribus ſuis commodiſſimam.] PARADISVS PARS MELIOR REGIONIS EDEN.

Et rurſum Cap. 28. Eden locus erat magnus atque amplus, cui id nominis dabatur, propterea quod amœnus, & multarum arborum varietate ſpectabilis eſſet: huius pars ea quæ ceteras omnes pulchritudine atque decore anteibat, Paradiſus dicebatur, accommodatiſſimus ad habitationem oblectationemque hominum. Sed quanta fuerit huius amplitudo, ſatis arguit fluuius magnus, qui ex ipſo affluebat, & poſtquam elapſus eſſet, diuidebatur in quatuor flumina. Si enim fluuius ipſe magnus erat, manifeſtum eſt, Paradiſum, quem rigabat, magnum, ſpatioſumque fuiſſe.] Hæc Moſes. Quibus nos quoque aſſentimur.

Verum illud opportune monuerim, ex magnitudine & vaſtitate quatuor ingentium illorum fluminum Gangis, Nili, Tygris, & Euphratis, non poſſe adamuſſim æſtimari magnitudinem illius fluuij præterlabentis Paradiſum, ex quo quatuor illa diducuntur: nam quis neſciat interdum maxima flumina à ſuo primo ortu perexigua eſſe: deinde infuſu aliorum, fontiumque ſcaturiginibus in decurſu augeri in immanem confluentem. FLVMINA PARADISI ACCESSIONIBVS CRESCERE.

Num ſi Adam non peccauiſſet, omnes homines eius poſteri habitaſſent in Paradiſo; nec vllus extra in reliqua terra.

Cap. LXIII.

IN STATV INNOCENTIAE OMNES HOMINES HABITATVROS IN PARADISO QVI DOCVERINT.

TOSTATVS in 13. Geneſ. Quæſt. 98. exiſtimat, ſi homo non peccaſſet, futuram omnium hominum habitationem in Paradiſo: neminemque in his terræ partibus in quibus nunc habitamus, fuiſſe manſurum. Rectéq. omnium hominum in felici illo immortalitatis ſtatu, locum illum futurum capacem: nam non omnes quotquot tunc erant naſcituri, ſemper in Paradiſo manſiſſent: ſed per generationes certis temporibus in cælum transferrentur, eo modo, quo docet Petrus Lombardus in 2. Sent. Diſt. 20. Deinde nec ingens hominum multitudo tunc magno aliquo indiguiſſet loco, vti modo, cum terra tota vix nunc hominibus ſufficiat: quia nec illo in ſtatu opus habuiſſent animalibus pro ſeruitio hominum, nec magnis paſcuis ad ea alenda, nec latis campis ad culturam & ſementem: cum ſola humus Paradiſi ob fertilitatem ſatis ſuperque fuiſſet & victui & delitijs electorum, qui ſoli tunc naſcerentur. Inhæſerunt alij huic Toſtati ſententiæ, quos retulimus ſupra Cap. 8. & Dominicus Bañes 1. P. Quæſt. 102. Art. 1. ad 5.

ASSENTIRI PARTES VIDENTVR.

Adſtipulari videntur nonnulli Patrum cum aiunt, Paradiſum fuiſſe locum deſtinatum habitationi humani generis, ſi Adam innocentiam conſeruaſſet: peccato autem factum vt in hanc terram habitandam extruderetur: ſicque hanc non niſi culpæ demerito datam incolendam hominibus. Philoxenus Mabugæ Epiſcopus Oratione de Contemplatione Ligni Vitæ, ſic ſcribit: Paradiſus prima fuit generis noſtri habitatio. Nam vt Angelorum ſedes eſt cælum: dæmonum vero poſt ipſorum caſum eſt aer, nimirum medio poſitus loco: inſuper animantium brutorum, & hominum poſt violatam legem, hæc terra in qua nunc verſamur: denique piſcium & natatilium omnium aqua: ſic quoque deſtinatus fuerat Paradiſus vt eſſet hominum, priuſquam peccaſſent, domicilium. Spreto autem Dei mandato Adamus, per ignominiam deiectus eſt in hanc terram peccato obnoxiam, vt in ea cum brutis pecudibus verſaretur.] Hæc ille.

Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo, Cap. 22. Tria, inquit, loca condiderat Deus pro Adamo, Cælum, Paradiſum, & hanc quæ extra Paradiſum eſt, terram. Et morigero quidem præmium culti præcepti daretur regnum cæleſte, in quod ex Paradiſo ſuſtolleretur: rebellis vero atque præuaricator è Paradiſo in hanc maledictam terram detruderetur. Igitur Adam atque Heua cum omni ſua poſteritate, ſi Legi diuinæ paruiſſent, inde ad cæli regnum erant euehendi. Abiecti ergo ſunt in hanc deteſtabilem terram propter ſuum peccatum.] Sic Moſes. Qui tamen Cap. 23. perſpicue docet, omnes Adami poſteros manſuros in Paradiſo fuiſſe, ſi ipſe non deliquiſſet: ſic enim ait: Eius enim rei gratia tam ſpatioſum, amplum,

amplum, capacem condiderat Deus Paradiſum, vt vniuerſæ poſteritati Adæ ſatis in ipſo eſſet loci ad morandum.] Hæc ille.

Verum re probe conſiderata, magis arbitramur, etiamſi originaria iuſtitia humano generi conſtitiſſet, habitaturos nihilominus homines terram quoque extra Paradiſum. Idque bonis rationibus firmare Recentiores ſolēt. I. Nam ſi poſt Adæ peccatum vixerunt aliqui homines prope mille annos, vt Adam, Mathuſalem &c. proculdubio in ſtatu innocentiæ vixiſſent nō minus quàm ter aut quater mille annos, ſaltem quàm duo millia: quo ſpatio temporum innumera proles, nullo tunc moriente, propagata fuiſſet, cui impoſſibile erat, vt ſatis eſſet vnus hortus, nempe Paradiſus, quantumuis pomariū amplum ad habitandum. II. Deinde Geneſ. 1. 28. creato Adamo & Heuæ cum iuſtitia originali ante peccatum, *Benedixit illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam: & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, et vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam.* Equidem de terra vniuerſa nuper à ſe creata, etiam extra Paradiſum, loquitur Deus: vt de piſcibus omnium marium, de volatilibus omnium regionum ſub cælo, de animantibus, herbis, arboribus totius orbis. Si ergo totam hanc terram & mare cum omnibus animantibus, volatilibus, aquatilibus, herbis, arboribuſque ſubiecit Deus homini ante peccatum, voluitque vt ſobole ſua terram repleret, coleret, ſuis vſibus eam cum omni eius ornatu inſeruire cogeret: putabimuſne, non peccante homine, hæc ei in caſſum dicta? & genus humanum tunc intra Paradiſi ſepta concluſum, vniuerſam reliquam terram, vaſtam, deſertam, habitatore vacuam in ſempiternum relicturum, cum terra potiſſimum in vſum hominum condita fuerit?

VEROSIMILIUS, HABITATVROS HOMINES ETIAM EXTRA PARADISVM.

TOTA TERRA HOMINI CONCESSA.

Nec iuuat quod quidam aiunt, Deum idcirco permiſiſſe homini vniuerſam terram cum omni eius ornatu; quia præſciebat ipſum eſſe in peccatum lapſurum, atque ex Paradiſo in hanc terram eijciendum: celebre enim eſt illud axioma Theologorum vſurpatum à Theodoreto Quæſt. 24. in Geneſ. Deum non tractare hominem in præſentia, ex præſcientia futurorum: hoc eſt, ſecundum ea quæ facturus eſt homo, ſed ſecundum præſentem eius ſtatum. Ridendum quoque aliorum figmentum, Deum amplam illam benedictionem de imperio in terras, maria, animantia &c. dediſſe homine poſt peccatum, ſed à Moſe prolepſi quadam, ante peccatum deſcriptam: nam Geneſ. 5. 2. manifeſte dicitur, datam ipſo die quo creati ſunt Adam & Heua: & vero poſt peccatum, non eiuſmodi benedictionem, ſed diram maledictionem impertijt terræ propter Adam: & ipſi pœnas & labores, terræq. rebellionem in ſempiternum denuntiauit, Geneſ. 3. verſ. 17. & 18.

III. Quia ſi vniuerſa terra extra Paradiſum, caruiſſet cultore homine, non eum ornatum, pulchritudinem, & amœnitatem habuiſſet, quæ felicem illum conſeruatæ ſanctitatis ſtatum deceret: cum ex hominis cultura & induſtria præcipuā telluri fertilitas, & decor obueniat. Huc faciunt illa Iſaiæ 45. 18. *Ipſe Deus formans terram, & faciens eam, ipſe plaſtes eius: non in vanum creauit eam: vt habitaretur formauit eam.*

IV. Propter perfectionē intellectus humani opportebat homines illius per-

beati

beati ſtatus à cũctis rebus creatis experimentũ capere: Vnde non eſt dubiũ, tunc homines orbem terræ, maria, inſulas, variasq. regiones & climata perluſtraturos: omnium animantium, ac terræ naſcentium naturas, proprietateſque indagaturos: cunctaq. naturæ miranda, quæ certum eſt non omnia vno tantum in Paradiſi loco contineri, inueſtigaturos: vt ex tanta rerum naturæ varietate, quæ in diuerſis mundi partibus cernitur, & ingentem Dei potentiam atque benignitatem admirari, celebrareque, & ſuauiſſimam voluptaptem capere potuiſſent. Haud obſcure hanc rationem S. Thomas indicauit. 1. P. Q. 96. Art. 1. ad 3. Sed vide de his accurate differentes Catharinũ in 1. Geneſ. in illa verba. *Ecce dedi vobis omnem herbam.* & in 2. Geneſ. Pererium Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 3. de Paradiſo, Valentiam in 1. Par. Quæſt. 102. Puncto 1. & alios: qui hanc noſtram ſententiam ſtudio diligenti tuentur.

NON TANTUM ADAMUM ET HEVAM, SED ET ALIOS VICTUROS IN PARADISO TUNC.

Nec tamen illud omittimus, etiam ſi terra illo in ſtatu felici ab hominibus incoleretur, non paucos tunc in Paradiſo habitaturos: neque enim putandum ſolos Adamum & Heuam illic fuiſſe manſuros: vnde Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo Cap. 24. inquit: Conficitur itaque Adamum & Heuam ſobolem numeroſam propagaturos fuiſſe, neque ſolos illos Paradiſum habitaturos, ſi obedientes manſiſſent.] Ita ille. Sed cum naſcituros cunctos Paradiſus tunc capere non potuiſſet, vti prædiximus, difficile eſt indicare quinam intra, quinam vero foris Paradiſum eſſent habitaturi. Catharinus in 1. Geneſ. hæc ait: Credibile eſt igitur ex propagatione hominis, repleri terram debuiſſe, & nihilominus Paradiſum illum præſertim propter lignum vitæ, & propter alios fructus & pulchritudinem, futurum fuiſſe certis, & alternis temporibus cunctis habitaculum, atque ſolatium.] Hæc ille. Sed quid certi de hac re diuinare poſſumus?

Forſitan maiores natu ordinarie in illo habitaſſent, curamq. illius culturà geſiſſent, quouſque in cælum transferrentur; ſuccedentibus ſemper nouis colonis in locum traſlatorum, ordine antiquitatis: alij vero extra Paradiſum degentes, vel animi delitiandi, vel edendi è fructu vitæ cauſa, ſæpius in illud per vices aduentaſsent. Forſan quoque cum Adam & Eua cœpiſsent genus propagare, in Paradiſo omnes manſiſsent, quouſque excreſcente multitudine, quam iam Paradiſus capere nequiſset, è iunioribus nouæ coloniæ extra Paradiſum mitterentur. Sed heu, cogimur in his hallucinari, quòd noſtra culpa locum perdidimus: recepturi meliorem ſi Chriſti gratia reſipiſcamus.

Num animantia rationis expertia fuerint in Paradiſo; in quo non ſolum homines, ſed & illa quoq. habitaſſent in ſtatu innocentiæ: & num etiam hoc tempore ibidem maneant. Cap. LXIV.

ANIMANTIA PARADISO QVI TRIBVANT EX ANTIQVIS.

EXISTIMAVERE plerique cum Adamo & Heua fuiſse quoque animantia in Paradiſo: & ſi felix ille ſtatus manſiſset, non ſolum homines, ſed & alia animalia in delicato illo horto habitatura fuiſse. S. Baſilius Lib. de Paradiſo hæc ſcribit: In Paradiſo omnia erant auicularum genera, quæ & pulchritudine colorum, & dulcedine concentus incredibiliter oblectabant hominem. Erant illic etiam variorum animalium ſpectacula: ſed erant omnia manſueta,

ſueta obedientia homini, inter ſe concorditer & pacifice viuentia, quæ & audiebant interſe & loquebantur ſenſate. Serpens autem non erat tunc horrendus, ſed mitis & manſuetus: nec terribiliter in terræ ſuperficie velut natans reptabat, ſed ſublimis & erectus pedibus inſiſtens ingrediebatur.] Hęc S. Baſilius. S. Auguſtinus Lib. 14. de Ciuit. Dei Cap. 11. inquit: Superbus ille angelus colubrum in Paradiſo corporali, vbi cum duobus illis hominibus maſculo & femina, animalia etiam terreſtria cetera, ſubdita & innoxia verſabantur; animal ſcilicet lubricum & tortuoſis anfractibus mobile, operi ſuo congruum, per quem loqueretur, elegit.] Sic ille.

Adiungunt in eandem ſententiam Ioſephum iſta dicentem Lib. 1. Antiq. Cap. 1. Cum autem per id tempus nullum eſſet inter animalia diſſidium, & ſerpens familiariter cum Adamo & vxore degeret, &c.] Et S. Damaſcenũ, qui Lib. 2. de Fide Orthod. Cap. 10. iſta perſcribat: Omnia animalia ante transgreſſionem homini ſubdita, & ad manum parentia erant: nam omnium conſtituerat eum Deus principem, quæ in terra & quæ in aquis erant. Serpẽs autem erat familiaris homini, plus alijs ad ipſum accedens, & placidis motionibus congrediens.] Tantum ille. Theodoretus etiam Quæſt. 18. in Geneſ. ait: Siquidem Adæ, priuſquam peccaſſet, aſſiſtebant beſtiæ obſequium profitentes.] Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo, Cap. 28. aperte innuit in Paradiſo fuiſſe animalia, cum ait Adamum iuſſum à Deo cuſtodire Paradiſum ab incurſu beſtiarũ. Vide eius verba Capite ſequenti à nobis exſcripta.

Ergo qui hanc de habitatione animantium in Paradiſo opinionem acrius præ ceteris tuentur, Bellarininus Lib. de Gratia primi Hominis, Cap. 15. & Pererius in 2. Geneſ. V. 9. his eam quoque rationibus inſtruunt. I. Quia ſi homini in Paradiſo exiſtenti datum eſt imperium in animantia, veriſimile eſt in Paradiſo animalia etiam fuiſſe in quæ imperium exercere poſſet. II. Non potuiſſet Heua non vehementer exhorruiſſe ad primum ſerpẽtis aſpectum: ſi numquam nec ſerpentem nec animal aliud ante vidiſſet. III. Non parum ornatus ac pulchritudinis Paradiſo defuiſſet, ſi nulli in aquis piſces, nullæ in arboribus auiculæ, præſertim diſcolores & canoræ, nullæ in ſiluis animãtes, nulla in campis pecora conſpici poſſent. IV. Defraudatus quoque homo felix fuiſſet multis varijſq. honeſtiſſimis voluptatibus in Paradiſo exiſtens, quæ ex animalibus, volucribusq. percipi poſſunt. EX RECENTIORIBVS.

At alij è contrario docent, animalia neutiquam fuiſſe in Paradiſo, nec ibi cum hominibus in ſtatu innocentiæ habitatura. S. Damaſcenus Lib. 2. de Fide Orthodoxa Cap. 11. apertis hiſce verbis id aſtruit: Diuinus profecto locus Paradiſus, ac dignus eius, qui ad imaginem Dei creatus fuerat, incolatu: in quo nullum irrationalium habitabat: ſed ſolus homo, diuinarum manuum factura.] Ita ille. ALII NEQ FVISSE NEC FVTVRA ANIMALIA IN PARADISO, NEC ESSE DOCENT.

S. Thomas Theologorum decus 1. Par. Quæſt. 102. Art. 2. ad 2. oſtendens Paradiſum adeo præclarum locum, non fuiſſe locum conuenientem habitationi animalium, hæc inquit: Paradiſus terreſtris erat locus congruens homini & quantum ad animam & quantum ad corpus, inquantum ſcilicet in anima erat vis præſeruandi corpus humanum à corruptione, quod non competit alijs animalibus: & ideo, vt Damaſcenus dicit, in Paradiſo nullum irrationalium habitat: licet ex quadam diſpenſatione animalia fuerint illuc

diuinitus

diuinitus adducta ad Adam: & ſerpens illuc acceſserit per operationem diaboli.] Hæc S. Thomas: habet eadem in 2. Sent Diſtin. 17. Quæſt. 1. Art. 2. ad 1. Aſsentiunturq. alij Theologi, item Clicthouæus in Comment. Damaſceni, loco citato, Yſtella in 2. Geneſ. in illud: *Vt cuſtodiret & operaretur illum*. & alij.

RATIONIBVS FIRMANT. Nec deſunt rationes I. Quia locus ille proprius immortalitatis, non congruebat animantibus morti & corruptioni obnoxijs: nam equidem ſi fuiſſent in Paradiſo animalia omne genus, cum aliquando morerentur, & corrumperentur, fœdaſsent Paradiſum, nec loci puritatem corruptiones eiuſmodi decebant. II. Quando poſuit Deus animalia in Paradiſo? nam certũ eſt non ea ibi creaſse, cum nec ibi creauerit Adamum. Dices, Quando ea introduxit ad Adamum vt eis nomen imponeret. Rogo fuerunt ne ibi tunc omnia relicta, vel pars tantum: pars vero foras emiſsa? Aſseres vel omnia, vel partem ſaltim quæ magis ad ornatum Paradiſi pertinebat, relictã. Quæro, fuitne ſemper hæc pars ibi, an aliquando extruſa? ſi ſemper ibi manſit, cum Deus initio ex vnaquaque ſpecie non niſi duos condiderit, maſculum & feminam, vt eſt probabilis opinio Theodoreti Quæſt. 39. in Gen. ſaltem locis illis proximis Paradiſo oportuit vel in hac noſtra terra nullam factam propagationem illarum ſpecierum quæ in Paradiſo includebantur: quod eſt abſurdum & contra experientiam; vel inde ſobolem eductam in hanc noſtrã tellurem: at eiecto homine ante ſobolem illam propagatam, poſtea fuiſse animalia aliqua ex Paradiſo egreſsa, manente ſepto Paradiſi & terrifica Cherubinorum ſpecie, neſcio an tuto affirmari queat. Dixere quidam, ſimul cum homine cuncta animantia quæ erant in Paradiſo profligata foras: ſed præterquam quod in extruſione Adami è Paradiſo nulla mentio animalium eiectorum: nulla ratio eſse videtur quòd tunc omnia eijcerentur: nam ob peccatum Adæ, quid commeruerant? niſi ſolus ſerpens: & alioquin opportuiſset etiã omnes arbores exſcindi, ornatum diſſipari, & Paradiſum illico euerti. III. Hæc probe ſecum quiſque reputans, forſan agnoſcet haud habuiſſe S. Thomam leues cauſas opinandi, Paradiſum non habuiſſe animantes. Nam etiam videmus regum pomaria, & eos quos proprie hortos appellamus, ſeu Giardinos, eiuſmodi animalibus carere, ne ordines, & pulchritudinem deſtruant: auiculis canoris dumtaxat ornatos: neque id ſemper.

TOSTATVS VARIAT. Alfonſus Toſtatus in 2. Geneſ. Quæſt. 11. ad finem hæc ſcribit: Paradiſus magni ambitus eſt, arboribus plenus, & auibus dulciter cantantibus, & alijs animalibus. De quibus verum nunc ſint aliqua, dubium eſt: ante tamen fuerunt, quando ſerpens tentauit Heuam. Nunc autẽ magis videtur quòd ibi non ſint; maxime de ſerpentibus, quæ ſint ad excitandum & monendum peccantes: ibi autem peccator nullus eſt. Nec etiam erunt animalia fera, vel iumenta ad adiutorium humanum; quia ibi talibus opus non eſt. Si ergo dicantur eſſe aliqua animalia, erunt principaliter aues harmonijs mirabilibus concinentes, & aliqua animalia pulchra viſu, in quibus Henoch & Elias ibidem quieſcentes delectentur.] Hæc Toſtatus.

Qui in 13. Geneſ. Quæſt. 87. aſſerit in Paradiſo non fuiſſe animalia, ſaltem quadrupedia, quia nec Scriptura id prodit, cum tamen de plantis & pulchritudine Paradiſi mira narret: nec ad eſum eſſent neceſſaria, cum homo car-

nibus

nibus tunc non veſceretur, ſed frugibus: nec ad pulchritudinem Paradiſi conducerent, cum illum potius proculcarent & euerterent. De volucribus verò ſatis poſſe concedi fuiſſe in Horto; præſertim ſuaue canentes: cum hæ incertis ſedibus hinc inde vagentur, & aliùnde poterant in Paradiſi arbores inuolare. De piſcibus quoque autumat veriſimile eſſe, in fluuio qui irrigabat Paradiſum, innataſſe piſces.

Idem Auctor Quæſt. 89. probabile exiſtimat, manſiſſe animalia in Paradiſo eo tempore quo ibi manſit Adam & Heua: non tamen manſura deinceps ſi Adam & Heua non peccaſſent. Ceterum rationi magis conſentaneum putat, vſque ad caſum Adæ fuiſſe animalia in Paradiſo: poſtea vero ſiue Adam peccaret, ſiue non peccaret, non futura animalia in Paradiſo: vnde nec nunc in eo exiſtere magis arbitratur. Eadem confirmat multis rationibus Quæſt. 113. & Quæſt. 114. Vbi addit, neq. aues futuras in Paradiſo, nec nunc ibi eſſe.

Difficile eſt in re prorſus ambigua rei ſcopum certo collimare: & Patrum auctoritates, & coniecturæ diuerſæ quaſi libramento quodam nos in diuerſa ſuſpenſos detinent: ſuæ cuique opinioni honos; ſi ſeligendum, S. Thomæ, qui res ſemper magnis oculis inſpicere ſolet, ſententiam amplecti iuuabit, nempe: Nec fuiſſe animalia, nec futura in Paradiſo, in ſtatu innocentiæ: nec vlla nunc ibi habitare: ſed paruo illo dumtaxat tempore, quo ad Adamum in Paradiſum, vt illis nomina inderet, introducta ſunt, ibi manſiſſe: mox emiſſa. AVCTOR S. THOMAM SEQVITVR.

Et Patres qui animalia in Paradiſo fuiſſe, ſentiſſe viſi ſunt, poſſint ad illud exiguum tempus non incommode referri, quo animalia ſecure & amice cum homine verſata fuere, cum eis nomina impoſuit. Coniecturæ in oppoſitum allatæ, facile depelluntur. Primo, Poterat homo extra Paradiſum in animantia imperium exercere: & coepit iam exercere in Paradiſo, cum omnia vidit ante ſe ſiſti, tamquam obſequium ſpondentia, & veluti ſacramento in nomen eius adigi, cum ipſe ſingulis nomina daret iure dominij. Secundo, Non exhorruit Heua ſerpentem, nunquam ante viſum, quia plene iam à Deo, vel à viro edocta fuerat de creatione rerum, & variorum animantium, naturiſque eorum. Acceperatque etiam ipſa ſimul cum viro, conceptis verbis, imperium in animalia Geneſ. 1. v. 28. Tertio, Lædunt potius quàm ornant animalia cultiſsimos hortos: puriores fontes piſcibus carent: auiculas quoque tametſi canoras excluſerim, quòd excellentioris cuiuſdam præſtantiæ Hortus ille extiterit, cui non multum pulchritudinis volucres inueherent, quæ interdum etiam & ſemina depaſcunt, ac flores fructuſque Paradiſiacos temerarent. Potuiſſet forſan felix homo illuc eas caueis incluſas ad tempus inferre. Quarto, Maiores delitias ex pulchritudine & amœnitate Paradiſi ex natura loci homo cepiſſet, quam ex animantibus: & ſi has aueret, in promptu erant extra Paradiſum.

Qui animalia & fuiſſe, & nunc eſse in Paradiſo putarunt, geminam curam ſubeunt oſtendendi, primum, cur ſi guſtarent de fructu vitæ non manſiſsent immortalia: deinde, quid opus erat ſeruari in Arca Noe, cum melius in Paradiſo conſeruata ſint: vnde potuerint propagari. De primo dicemus Cap. 72. de ſecundo, parum laborant, qui Paradiſum aquis diluuij euerſum exiſtimant: alij excogitant, animalia Paradiſi, nihil ad hanc noſtram

terram pertinere, ſicut Henoch, qui extra arcam Noaticam, in Paradiſo ſeruatus fuit. Vide Toſtatum Q. 113. in C. 13. Geneſ. Verũ hæc nihil ad nos.

Elucidatur locus Geneſ. 2. v. 15. Poſuit Dominus Deus hominem in Paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum. *Cap. LXV.*

ANTE omnia expendi velim verbum illud, *Poſuit*, in Fonte ſiquidem, & ex natura ſua, & ex formula Hiphil, in qua ponitur, non paruam vim indicat: ex verbo reddi poteſt; Quietauit, quieſcere, ſeu requieſcere fecit, refocillare fecit. Vt intelligas, hominem in Paradiſo poſitum ad omnẽ quietem, iucunditatem, & voluptatem: vt ibi quietam & tranquilliſſimam vitam duceret, ſine vlla inquietudine aut moleſtia. Sed ambigua ſunt poſtrema illa verba: *vt operaretur & cuſtodiret* TRIPLEX SENSVS. *illum*. nempe vel Deus Adamum; vel Adamus Paradiſum. Addit Toſtatus; vel vt operaretur Adamus Paradiſum, & Deus cuſtodiret Adamum. Priores duos ſenſus late exponit S. Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi ad litteram, Cap. 10. & S. Thomas 1. Par. Quæſt. 102. Art. 3. ſed primum præfert S. Auguſtinus. Burgenſis, Caietanus, Catharinus, Pererius, Sà, & alij notant, primum illum ſenſum ab S. Auguſtino laudatum, nullo pacto ſtare poſſe: nam pronomen *illum* etſi Græce ac Latine ſit ambiguum, & ad hominem & ad Paradiſum referri poſſit: at in Hebraico Fonte perſpicue eſt generis feminei, & nullo pacto de homine, Adamo, ſed de Paradiſo dici queat.

Expendamus iſtud. Hebraice habetur: *Vajanichehu be gan Eden le abedah* וינחהו *vle ſamerah.* ad verbum: *Depoſuit*, vel requieſcere fecit, *eum*, Adamum *in* בגן עדן *Paradiſo Eden ad colere eam, & cuſtodire eam.* Vbi vides affixa aperte feminea; ולשמרה vt ſunt quoque eiuſdem generis in Chaldaica Paraphraſi poſita. Sed ea aiũt לעבדה Recentiores non poſſe Adamum indicare, cum ſit ipſe generis maſculei: volunt igitur vt Paradiſum referant: at eadem difficultas, cum *Gan*, ideſt, Hor- גן tus, ſeu Paradiſus ſit maſculei generis conſenſu omnium Grammaticorum; & exemplo Scripturæ Cantic. 4. 12. vbi ponitur cum Pahul maſculeo: *Hor-* גן נעול *tus concluſus Gan nahul*, & alibi. Quid igitur referent feminea pronomina? Simpliciſſime dici poſſet, referre terram Paradiſi, quæ hic intelligitur, & eſt ארץ frequentius Hebraice feminei generis *Erez*: Poſuit Adamum Deus in Paradiſo voluptatis, vt operaretur eam, & cuſtodiret eam; nempe terram Para- עדן diſi. Nam ad voluptatem referri non poſſe videntur, quòd Hebraice *Eden*, ſit maſculinum.

VARIAE EXPOSITIONES Verum, vt diſcas quantum honorem Patres mereantur, ne eorum explanationes ante plene excuſſas cauſas reijciamus, palam oſtẽdemus, rectiſſime ſenſum illum primum S. Auguſtini ſubſiſtere, & pronomina feminea Hebraica ad Adamum apposite reduci poſſe. Ergo expoſitiones ſequamur. I. *Vt operaretur*, ſcilicet, Adam ipſe Paradiſum, ad verbũ Hebr. *ad inſeruire ei.* proprie de cultura terræ Paradiſi, quòd homo terram excolens, illi inſeruire videatur. Quænã autẽ hæc fuiſſet cultura Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo Cap. 28. his verbis exponit: Quid ſibi volunt verba illa, vt coleret eum? Reſpondemus

mus,non id ſignificare,fodiendas illi fuiſſe ſcrobes,in quibus plantas conſereret, vt Noha vineam : aut laborioſis ipſum inſtrumentis operando moleſtiam vllam ſubire debuiſſe, ſed in eo poſitum fuiſſe cultum illum,vt inibi locum ſibi pro habitatione aptaret : viaſq. ac ſemitas quibus cōmode poſſet obambulare , complanaret : ne ſcilicet otioſus eſſet , quando ex otio plurima naſcantur mala .] Hæc ille .

Sedenim agricultura illa , qua Adamus Hortum illum erat exculturus, quænam eſſet præſtitura, & quomodo non eſſet futura laborioſa & moleſta, vt poſt peccatum,ſed iucunda ac voluptuoſa,facilisq. S. Auguſtinus his verbis exponit Lib.8.in Geneſ. Cap. 9. Numquid forte agriculturam Dominus voluit operari primum hominem? An non eſt credibile quòd eum ante peccatum damnauerit ad laborem? Ita ſane arbitraremur, niſi videremus cum tanta voluptate animi agricolari quoſdam , vt eis magna pœna ſit inde ad aliud euocari . Quidquid ergo delitiarum habet agricultura , tunc vtique longe amplius erat quando nihil accidebat aduerſi,vel terra vel cælo. Non enim erat laboris afflictio,ſed exhilaratio voluntatis , cū ea quæ Deus creauerat,humani operis adiutorio lætius feraciusq. prouenirent: vnde creator ipſe vberius laudaretur,qui animæ in corpore animali conſtitutæ rationem dediſſet operandi,ac facultatē quantum animo volenti ſatis eſſet,non quantum inuitum indigentia corporis cogeret.Quod enim maius mirabiliusque ſpectaculum eſt , aut vbi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui poteſt,quàm cum poſitis ſeminibus,plantatis ſurculis , tranſlatis arbuſculis,inſitis malleolis, tamquam interrogatur quæque vis radicis & germinis,quid poſſit,quidue non poſſit;vnde poſſit, vnde non poſſit:quid in ea valeat humorum inuiſibilis interiorque potentia,quid extrinſecus adhibita diligentia:inque ipſa conſideratione perſpicere,quia neque qui plantat eſt aliquid,neque qui rigat,ſed qui incrementum dat Deus.] Sequitur S. Auguſtinus plura in eandem ſententiam pulchre diſſerere:tandem ſubdit:Quid ergo abhorret à vero,ſi credamus hominem ita in Paradiſo conſtitutum , vt operaretur agriculturam,non labore ſeruili, ſed honeſta animi voluptate? Quid enim hoc opere innocentius vacātibus, & quid plenius magna cōſideratione prudentibus?] Hucuſq. S. Auguſtinus.Similia Moſes Bar-Cepha.

AGRICVLTVRA ANTE PECCATO FACILIS AC IVCVNDA.

In eandem ſententiam S.Thomas 1.P.Q.102. Art.3. inquit:Nec tamen illa operatio eſſet laborioſa,ſicut poſt peccatum : ſed fuiſſet iucunda propter experientiam virtutis naturæ.] Egregie . Nam & ſuas , & omnium terræ naſcentium varias vires experiretur . Nec dubium , quin ipſa Paradiſi humus accedente humana cultura , multa & vberiora & meliora ediſiſſet , quàm ſponte.Hanc interpretationem Recētiores ferme omnes amplectuntur, quæ eſt quoque S.Chryſoſtomi Homil. 14.in Geneſ. & aliorum Græciæ Patrum.

Hinc vides primam humanarum artium fuiſſe agriculturam , de cuius laudibus innumeri ſcripſerunt:vide Plinium Lib.18. Cap.1.& ſeqq. nunc ſufficiat quod Xenophon apud Ciceronem de Senectute dicebat:Nihil ſibi tam regale videri,quàm ſtudium agri colendi.] *Et cuſtodiret illum*.ſcilicet,Paradiſum.ſed inquit S.Auguſtinus:Contra quos?Nullus certe vicinus metuebatur inuaſor,nullus limitis perturbator,nullus fur,nullus aggreſſor. Quomodo ergo intellecturi ſumus, corporalem Paradiſum potuiſſe ab homine cor-

PRIMA HVMANARVM ARTIVM.

poraliter cuſtodiri?] Hæc ille. Moſes Bar-Cepha ait: Ceterum quod de cuſtodiendo Paradiſo dictum eſt, id ad arcendas inde beſtias ſpectat: Paradiſi enim vineæ, hortiq. alij quando ab hominibus deſerti manent, conculcantur opprimunturq. à feris.] Tantum ille. Cuius expoſitionem Pererius, & alij ſunt ſecuti. Verum S. Auguſtino parum hæc probatur interpretatio, ſic enim ſcribit Lib. 8. de Geneſi Cap. 10. Cuſtodire autem homo Paradiſum poſſet, non aduerſus improbos aut inimicos, qui nulli erant, ſed fortaſſis aduerſus beſtias. Quomodo iſtud aut quare? Numquid enim beſtiæ iam in hominem ſæuiebant? quod niſi peccato non fieret. Aut ſi erat iam quod timeretur in beſtijs, quonam pacto poſſet vnus homo illum munire Paradiſum? Neque enim exiguus locus erat, quem tantus fons irrigabat. Cuſtodire quidem ille deberet, ſi poſſet Paradiſum tali ac tanta maceria communire, vt eò ſerpens non poſſet intrare. Sed mirum ſi priuſquam communiret, omnes ſerpentes inde poſſet excludere. Proinde intellectum ante oculos cur prætermittimus?] Subdit S. Auguſtinus alium iſtius loci ſenſum, quem ipſe magis laudat, de quo nos mox.

Ergo nobis haud prorſus arridet, quod exponunt, Adamum cuſtodiſſe Paradiſum à beſtijs: cum nec à beſtijs quę intra Paradiſum eſſent: (ſi quidē has ibi non fuiſſe veroſimilius præcedenti Capite diximus) nec ab illis quæ poſſent irrumpere, (nam hoc eſt minus probabile, vt argumentatur S. Auguſtinus: & alioqui locus ille animalibus erat inacceſsus, nempe illo indignis:) cuſtodire potuiſse videatur.

Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 203. iſta inquit: Poſitus fuit homo ad cuſtodiam Paradiſi, ideſt, ad hoc quod teneret illum: & non accipitur cuſtodia pro vigilantia quadam contra inuaſores: ſed cuſtodia pro poſseſsione ſcilicet, vt poſsideret homo locum illum, & teneret tanquam ſuum.] Hæc ille: quæ poſtea pluribus repetit Quæſt. 205. Nos ex notione verbi *Samar*, quod curam, ſollicitudinem, & diligentiam indicat, ne quid excidat, aut deperdatur; exiſtimamus, Adamum præter agriculturam Paradiſi, iuſſum quoque vt maximam curam adhiberet in ornando, decorandoque Paradiſo, eiuſque pulchritudine ſollicite cuſtodienda & conſeruanda, ne quid excuteretur, dilaberetur, deturparetur.

שמר CVSTODIA PARADISI QVAE.

Sed cur reddi non poſsit: *Et curaret illum?* hoc eſt ornaret, illuſtraret, perpoliret. Quam intelligentiam Ioſephus Lib. 1. Antiq c. 1. innuit, cum ait: Iuſſit eos plantarum curam habere.] Nec prorſus inepte adhuc transferes: *Et obſeruaret illum*, vel conſideraret; ſic enim verbum *Samar* exponitur à noſtro Vulgato Geneſ. 37. v. 11. *Et pater eius conſeruauit verbum*. Noſter: *Pater vero eius rem tacitus conſiderabat*. Voluntque huius locutionis vim expreſſam à Luca Cap. 2. v. 19. & 51. *Maria autem conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo*. Sic hoc loco poſuit Deus Adamum in Paradiſo, vt coleret locū, & obſeruaret illum, hoc eſt, attente conſideraret pulchritudinem & præſtātiam Horti, quo dignus poſseſsor à Deo conſtituebatur: indeq. ſummā Dei benignitatē admiraretur, perpetuoq. celebraret, qui talē, tamq. fœlicem locū ſibi conceſsiſſet. Hæc videtur interpretatio Moſis Bar Cepha C. 18. cū ait: Huc cultus ille & cuſtodia pertinēt, vt eſſet Adamus vigil & cautus, agnoſceretq. parentem ſuum ex ipſis plantis fructibuſq. Paradiſi, ceu colonus plantarum

immor-

immortalium, hoc eſt diuinarum cogitationum, vt ait Gregorius.]

S. Auguſtinus meliorem hunc reputat ſenſum; Et Adamus cuſtodi-Paradiſum: hoc eſt, ne quid deſignaret homo, ob quod inde mereretur expelli. Sic enim Lib. 7. in Geneſ. C. 10. ſcribit: Poſitus eſt quippe homo in Paradiſo vt operaretur eundem Paradiſum per agriculturam non laborioſam, ſed delitioſam, & mentem prudentis magna atque vtilia commonentē: cuſtodiret autem eundem Paradiſum, ipſi ſibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli. Deniq. accepit & præceptum, vt ſit per quod ſibi cuſtodiat Paradiſum, id eſt, quo conſeruato, nō inde proijciatur. Recte enim quiſq. dicitur non cuſtodiſſe rem ſuam, qui ſic egit vt amitteret eam, etiamſi alteri ſalua ſit, qui eam vel inuenit, vel accipere meruit.] Hæc ille. Probant eandem explanationem S. Thomas, & ex Recentioribus Yſtella, Sa, & alij.

II. Vt operaretur Deus, & cuſtodiret Adamum. Nimirū vt ipſum Adamū Deus magis ac magis operaretur, id eſt, gratia ſua, iuſtitia, virtutibus, donisq. alijs ſupernaturalibus in dies excoleret, augeret, ornaret: & cuſtodiret, corpus nempe ſeruans à morte & corruptione, & omni læſione atque offenſione liberū: animum vero ab omni malo purum & integrum, eundemq. in perenni originaria iuſtitia cōſeruaret: niſi ipſe diuinis præceptis rebellis extitiſſet. Hanc interpretationē S. Auguſtinus alijs antepoſuit, in hunc modum diſſerens: Eſt alius in his verbis ſenſus, quem puto non immerito præponendum, vt ipſum hominem operaretur Deus & cuſtodiret. Sicut enim operatur homo terram, non vt eam faciat eſſe terram, ſed vt cultam atque fructuoſā: ſic Deus hominē multo magis, quem ipſe creauit vt homo ſit, cum ipſe operatur vt iuſtus ſit, ſi homo ab illo per ſuperbiam non abſcedat. At per hoc Deus idē qui creat hominem vt homo ſit, ipſe operatur hominē atq. cuſtodit vt etiā bonus beatuſq. ſit. Quapropter qua locutione dicitur homo operari terram, quæ iam terra erat, vt ornata atq. fecunda ſit; ea locutione dicitur Deus operari hominē, qui iam homo erat, vt pius ſapienſq. ſit; eumq. cuſtodire, quòd homo ſua poteſtate in ſe, quàm illius ſupra ſe delectatus, dominationemq. eius contemnens, tutus eſſe nō poſſit.] Deinde reddens rationē cur nomen, Dominus, hic primum poni coeptum, non antea ab exordio Geneſis nominatum, inter alia inquit: Nuſquam hoc ponere voluit, niſi vbi peruentū eſt ad eum in Paradiſum collocandum, operandum, & cuſtodiendum: vt non diceret, ſicut & cetera omnia ſuperius; Et ſumpſit Deus hominē quem fecit: ſed diceret: Et ſumpſit Dominus Deus hominē quem fecit, & poſuit eum in Paradiſo, operari eum vt iuſtus eſſet, & cuſtodire vt tutus eſſet, ipſa vtiq. dominatione ſua, quæ non eſt illi, ſed nobis vtilis.] Hactenus S. Auguſtinus: cuius quoq. explanationem S. Thomas, & alij Theologi excceperūt.

S. AVGVSTINVS EXPONIT, VT DEVS CVSTODIRET ADAMVM.

Sed quonam pacto ea ſtabit, cum Fons ad verb. habeat: Ad colere eam, & cuſtodire eam? vti iam initio capitis obſeruabamus. Non eſt inſolens, Scripturam Hebraicè interdum de rebus maſculis femineæ loqui, vt è conuerſo de femineis, maſculine. Exempla habes complura collecta apud Sanctem Hebraicarum Inſtitut. Lib. 2. C. 3. Ioannem Quinquarboreum in Opere Grammatico Pag. 30. Ludouicum S. Franciſci Libr. 6. Globi Linguæ ſanctæ C. 2. Et nos in Antichriſto nonnulla notabamus Libr. 8. C. 3. & 11. At qui fieri id non ſine myſterio recte ſemper cum eruditis putauimus.

HEBRAICVS FONS FEMINEA MASCVLEIS TRIBVIT, ET E CONTRA.

Ad

Ad inſtitutum nunc tantum exempla dabimus de maſculis feminee in Hebraico Fonte ſermonem fieri non ſemel. 2. Reg. 13. 39. *Ceſſauitq. Rex Dauid*
ותכל *perſequi Abſalom*. verbum *vathecal*, & ceſſauit, eſt femineum. Eccleſ. 1. v. 2.
אמר קהלת *Dixit Eccleſiaſtes. Amar Kobeleth.* Dixit, eſt maſculinum, & Eccleſiaſtes femineum. En Cap. 7. Verſ. 28. *Amerah Kobeleth.* vtrumque eſt femineum:
אמרת קהלת cum tamen de Salomone dicatur. Kimchius, Sanctes, & alij Grammatici in eiuſmodi locutionibus latere aliquod aliud ſuppoſitum femineum putant, quod intelligatur. *Ceſſauit Dauid.* ideſt, ira Dauid, vel anima Dauid. Dixit concionatrix, vel congregatrix; hoc eſt, anima intellectiua Salomonis, quæ congregauit ſibi ſapientiam. At neque Vulgato, nec nobis iſtud probatur, exiſtimamusq. myſterium aliquod ſubeſſe. Equidem Dauidi tribuitur verbum femineum ad indicandum tenerrimum eius amorem in filium, qui in matribus eſſe ſolet ardentior erga filios. 2. Reg. 1. v. 26. Salomoni concionanti, & verbum & participium femineum adiungitur, ob leporem, & venuſtatem concionum, quòd verba mulierum ſoleant eſſe ſuauiora, & gratiora.

Nec diſplicet obſeruatio Franciſci Riberæ in 1. Aggæi Numero 22. Hebraicam linguam myſterio quodam femineis pro maſculeis interdum vti ad rei præſtantiam ſignificandam. Sic Salomon dicitur *Kobeleth*, hoc eſt, cōcionatrix, quaſi elegans ac pulcher concionator: ſolent enim feminæ in
במלאכות quoque genere eſſe pulchriores. Aggæi 1. v. 13. *Et dixit Haggæus nuntius Domini de nuntijs Domini.* Heb. *be malachoth*, de nūtiatricibus: ſic enim legen-
המבשרות dum putat Hebraice. hoc eſt, de veris & probatiſſimis Prophetis. Pſal. 67.
SCITA OBSERVATIO v. 12. *Dominus dabit verbum euangelizantibus. Hambaſroth*, euangelizatricibus. hoc eſt, præſtantiſſimis Prædicatoribus Euangelij. Quamquam hoc magis retulerim ad imbecillitatem & infirmitatem miniſtrorum Euangelij: quibus Deus mundum deuicit: nam *infirma mundi elegit Deus &c.* vt illud quoque Aggæi, qui ſe modeſtiæ cauſa, ex infimis Prophetis vnum appellare videatur. Ergo quod hoc loco Geneſis de Adam dicatur: Vt Deus operaretur eam & cuſtodiret eam. ſi intelligas eam, nempe Adami animā, quam Deus præcipue erat exculturus & conſeruaturus, vt in explanatione S. Auguſtini vidimus; non multum repugnauerim. Sed ſatius eſt locutum Spiritum ſanctum de Adamo, feminco genere: vt innueret pulchritudinem eius, & decorem, quem Deus vt pulcherrimam ſponſam omni gratiarum ſpiritualium & corporalium genere magis ac magis in dies eſſet ornaturus, innumeriſque diuinorum donorum monilibus illuſtraturus. Vel ſi mauis, vt indicaret Adamum tunc recens creatum tamquam teneram & delicatam plantulam excolendum & cuſtodiendum à Deo. At hæc ſatis.

S. Auguſtinus putauit ſuam interpretationem è textu Græco Septuaginta iuuari: ſic enim ait: Quamquam ſi de Græco diligentius ad verbum exprimatur, ita ſcriptum eſt: Et poſuit eum in Paradiſo operari eum, & cuſtodire.] Qua ratione legit S. Ambroſius Lib. de Paradiſo, Cap. 4. & Latina Carrafæ Septuaginta Interpretum Editio: ſed Complutenſis habet: Et poſuit eum in Paradiſo voluptatis: ad operandum eum & cuſtodiendū.] Sed ſemper ambiguitas manet, vt idem S. Auguſtinus notauit. Vide tamen de loci intelligentia Toſtatum in 13. Geneſ. à Quæſt. 200. vſque ad 205.

De arbo-

De arboribus Paradiſi. *Cap. LXVI.*

MOSES Geneſ. 2. v. 9. inquit: *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu & ad veſcendum ſuaue.* Hebraice ad verbum: *Germinare fecit Iehoueh Elohim omne lignum appetibile viſui, & bonum cibo,* vel comeſtioni. S. Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi, C. 3. ita legit: Et eiecit adhuc Deus de terra omne lignum pulchrum ad aſpectum; & bonũ ad eſcã.] non male illud *eiecit,* nempe de protruſione germinum, cum prorumpũt. Incredibilem Paradiſi amœnitatem & præſtantiam hæc verba indicant, cum omnes Paradiſi arbores eſſent pulcherrimæ, quæ vero fructiferæ, ſuauiſsimi guſtus. Diſquirunt, an eſſent in Paradiſo arbores non fructiferæ, vel quarum fructus non eſſet aptus ad eſcam humanam. Habes quæſtionem tractatam à Toſtato in 13. Geneſ. Quæſt. 145. 146. & 147. & à Pererio Lib. 3. in Geneſ. alijſque, quorum ſententiæ libenter aſſentimur, aſſerentium, in Paradiſo fuiſse non paucas eiuſmodi arbores non ferentes fructum congruentẽ humano guſtui. Nam Ezechiel 31. v. 8. ſatis iſtud innuitur hiſce verbis: *Cedri non fuerunt altiores illo in Paradiſo Dei, abietes non adæquauerunt ſummitatem eius, & platani non fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignum Paradiſi non eſt aſſimilatum illi.* At cedri, abietes, platani quas Vates refert fuiſse in Paradiſo Eden, arbores ſunt infrugiferæ. I. IN PARADISO ARBORES ETIAM INFRVGIFERAE.

Equidem & ſi eiuſmodi arbores in Paradiſo neque ad eſum, neque ad vſum ignis, aut ædificiorum, vel medicamentorum, aut alias conſimiles humanæ vitæ tantum non neceſsarias vtilitates minime conducere viderentur in ſtatu innocentiæ: at ad ornatum, varietatem, pulchritudinem, amœnitatem, ad oblectandum viſum, & odoratum, alioſque ſenſus humanos plurimum faciunt: ac proinde magnam iſtius generis arborum copiam in Paradiſo à Deo plantatam non ambigimus. Quod etiam diſertiſſime aſſerunt Tertullianus, Proba Faltonia, Marius Victor, quorum ſententias deſcriptas habes ſupra Cap. 11. Quis vero Paradiſo detrahet innumeram florum ſuaue olentium, vel aſpectu pulcherrimarum varietatem, multo maiorem quàm vllibi fingi poſsit?

Sed de arboribus Paradiſi hæc pauca ex Moſe Bar-Cepha Lib. de Paradiſo, C. 17. relegamus: Illud porro affirmamus quoque neque arbores, neque fructus Paradiſi, etſi arbores, fructuſque appellentur, tales omnino fuiſse, quales hic apud nos progignuntur: ſed longe his præcellentiores, elegantiores, maiores: nam vt ita ſtatuamus, hiſce inducimur rationibus: Primum illi fructus non fuere execrationi diuinæ obnoxij, neque damnati vt hi noſtri. Deinde ſi in hac noſtra deteſtabili terra, atque infelice alia loca alijs præſtantiores arbores & fructus meliores ferunt; quanto magis exiſtimandum fuerit arbores fructuſque Paradiſi his noſtris multo præcellentiores, melioreſque fuiſſe? Et vero hanc noſtram ſententiam approbat etiam Philoxenus ea Oratione quam de arbore Vitæ ſcriptam reliquit. Nam de Paradiſo eiuſque plantis verba faciens, ait: Nequaquam ſubiectæ ſunt execrationi atque damnationi: hæ enim in eam modo terram pronuntiatæ ſunt, quæ extra ARBORES ET FRVCTVS PARADISI MVLTO NOSTRIS PRAESTANTIORES.

Paradiſum eſt, poſt violatam ab Adamo legem, ita vt ab ipſis Paradiſus maneret immunis: ſicut in hanc vſque diem quoque immunis liberque eſt: eoque delicatiſſimæ & ſpecioſiſſimæ arbores in ipſo etiam extant.] Hactenus Bar-Cepha. Sed vide de eiſdem plura quæ ex Patribus adduximus Cap.

II. 11. Quæres num frondes arboribus aliquando in Paradiſo defluerent: Tertullianus De Iudicio Domini, Cap. 8. canit:

ARBORES SEMPER CVM FRONDIBVS.

Aeternumque virent ſolæ ſine grandine ſiluæ:
Nulla cadunt folia, & nullo flos tempore deſit.

Lactantius in Carmine de Phoenice:

Lucus perpetuæ frondis honore viret.

Marius Victor Lib. 1. Carminum in Geneſ. de Paradiſo ait:

Semper flore nouo frondens, fructuque recenti.

S. Alcimus Auitus Lib. 1. de initio mundi:

- ſlant ſemper collibus herbæ,
Arboribuſque comæ, -

S. Damaſcenus Lib. 2. Fidei Orthod. C. 11. Plantis, ait, ſemper virentibus.] Porro S. Baſilius, Proba Faltonia, S. Iſidorus, & alij quorum ſententias Cap. 11. exſcripſimus, qui aſſerunt in Paradiſo fuiſſe perpetuum ver; ſatis indicant, nunquam arboribus decidere frondes. Competet in Paradiſiacas arbores benedictio illa Pſal. 1. v. 3. *Et folium eius non defluet.* Ezechiel 47. v. 12. videtur ad illas reſpicere cum ait: *Et ſuper torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius.*

Nos de tota re ita meditamur: Extra Paradiſum quidē ſunt arbores quæ hieme amittunt folia, nudæque manent: aliæ quæ conſeruant: in Paradiſo nulla arbor frondibus vnquam tota nudaretur: verum cum Paradiſi arbores nō eſſent penitus immortales, arbitramur ſeneſcentibus quibuſdam folijs, ſenſimq. defluentibus, noua ſemper in locum labentium ſuccreſcere, nec vnquā totam arborem ſpoliari: ſed ſemper mira pulchritudine & ſplendore virere: vt oleam, palmam, & alias apud nos: & hoc innuiſſe haud dubie videntur Patres dudum citati.

III. De fructibus quærunt, Nū ſemper arboribus ineſſent, an vero ſtatis tēporibus duntaxat producerentur; & num aliarum æſtate, aliarū autūno fructus matureſcerent, vt apud nos. Exiſtimamus, perenni ſucceſſione atq. continua omnes arbores fructiferas extruſiſſe flores, qui mox in fructus celeri maturitate coaleſcerent: decerpto autem vel deciduo maturo fructu, ſtatim florem nouum in locum eius enaſci, qui deinde in fructum matureſceret: ſicque ſemper continuam iſtā viciſſitudinem efflorendi & fructificandi in arboribus perſiſtere: ita tamen quòd alterna & mirabili varietate in vnaquaq. frugifera arbore & ſemper ineſſent aliqui flores, & fructus, alij virides, alij matureſcentes, alij maturi: quod ad pulchritudinem arborū, & ad prꝍſtantiam loci eximie facit. Nec id naturam arborum immutat, ſed eximiæ perficit pro ſoli cœliq. præſtanti qualitate. Audiamus Patres:

ET CVM FRVCTIBVS.

Tertullianus de Iudicio Domini Cap. 8.

Virenteſque grauant vberrima germina ramos:
Nulla cadunt folia, & nullo flos tempore deſit:

Arbos

Arbos ſtat cum flore nouo pulcherrima pomis.

Marius Victor Lib. 1. in Geneſim:

Illic quæque ſuis diues ſtat fructibus arbor,
Pomaque ſucciduis pelluntur mitia pomis.

S. Alcimus Auitus Lib. 2. in Geneſ. Cap. 2.

- fruticis quin ſemper opimi
Sumitur alternus tenui de ceſpite fructus.
Nam ſi curuato fecundo pondere rami,
Mitia ſubmittunt ſublimi ex arbore poma;
Protinus in florem vacuus turgeſcere palmes
Incipit: inque nouis fructum producere gemmis.

Nullus curioſitate præpoſtera cauſetur Poeticas iſtas eſſe hyperboles: nam erat loci felicitas maior quàm pro humano captu: credimus illa & longe maiora. Vnde haud aſſentimur Aſcanio Martinengo ad finem primi Tomi Gloſſæ magnæ oppoſitum adſtruenti.

IIII. QVI TAMEN DECIDVNT.

Num fructus qui non decerperentur, deciderent: & quid modo de illis fit. Lactantius videtur dicere non decidiſſe, illis verſibus:

Hic genus arboreum procero ſtipite ſurgens,
Non lapſura ſolo mitia poma gerit.

At cadere non dubitamus, ex nuper dictis: nam in continua efflorítione, & fructificatione ſunt arbores Paradiſi. Cum vero in terram fructus decidunt, leui & facili diſſolutione ſoluuntur in humum, vt nihil putre, vermiculoſum, aut corruptum exiſtat.

V. ET ALIQVAE INTERDVM ARBORES SICCANTVR.

Arbores Paradiſi exſiccantur & intereunt aliquando, an vero perpetuo viuunt & virent? Non ſunt plane immortales; aliæ alijs longioris æui vt noſtræ: ſed Paradiſiacæ omnes, noſtras omnes diuturnitate ſuperant. Quòd ſi aliquæ in Paradiſo ſeneſcant & moriuntur, ſoluuntur facili conuerſione in terram, & in locum earum rediuiuis germinibus eiuſdem naturæ aliæ nouæ repullulant, vt fieri in noſtris oleis cernimus. Haud obſcure iſta innuit S. Athanaſius Quæſt. 43. ad Antiochum, cuius verba Cap. 83. reddemus.

De Arbore ſcientiæ boni & mali, num Ficus fuerit. Cap. LXVII.

I. ARBOR SCIENTIAE, VERA ET REALIS.

CVM diuinus Moſes arbores Paradiſi à Deo plantatas fuiſſe, deſcripſiſſet, de arbore iſta ſubiungit Geneſ. 2. v. 9. *Lignumq. ſcientiæ boni & mali.* Extitiſſe vere & realiter in Paradiſo Arborem veram & corpoream quæ dicta ſit Arbor ſcientiæ & boni & mali; nec quæ de illa Moyſes ſcripſit, myſtice dumtaxat ac ſpiritaliter eſſe intelligenda, fides Catholica docet, contra Origenem & alios allegoricos Paradiſi ſatores, vti pluribus oſtendimus ſupra C. 5. 6. & 7. Tã perſpicua ſunt verba ſacra; vt mirum ſit, niſi cuncta miſceãtur, aliò poſſe torqueri. Geneſ. 2. v. 9. *Produxitq. Dominus Deus de humo omne lignum pulchrũ viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignũ etiã Vitæ in medio Paradiſi; lignumq. ſcientiæ boni & mali.* Et C. 3. v. 6. *Vidit igitur mulier quod bonũ eſſet lignũ ad veſcendũ, & pulchrũ oculis, aſpectuq. delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditq. viro ſuo, qui comedit.* Poſſuntne hæc vel per delirũ de corporea & naturali arbore non intelligi?

Si de humo arborē ſcientiæ boni vel mali produxit Deus, terreſtris ergo illa erat. Quæſo ſi Moſes apertiſſime voluiſſet edicere Arborē illā fuiſſe realē & corporeā, poterat ne luculētioribus verbis mentē ſuā explicare; quàm à terra ex qua germinauit, à ſenſu viſus, guſtus, tactus oſtendiſſe corpoream, & naturalē arborē? Quocirca reſpuēda prorſus eſt abſurdiſſima quorumdā ſententia, de quibus ita refert Bar-Cepha Lib. de Paradiſo C. 19. Sunt quidem qui exiſtimēt nō fuiſſe arborem id de quo guſtauit Adam, ſed venereū amplexū, quo cum vxore ille corpus miſcuit: eamq. ob rem autem partum mulieris eſſe per Dei ſententiam doloribus factum obnoxium. Neque aliud ſibi voluiſſe illud præceptum: Ne edatis de illa arbore, quàm, Ne coeatis, ſed ſanctè & abſque omni venere viuatis. Et quo die de illa edetis, morte moriemini: id eſſe, Quo die corpora miſcebitis. Verum hanc ſententiam minime veram eſſe, vel id ſatis arguit, quòd integra virginitate pulſi ſint illi Paradiſo.] Hæc Moſes. Auctorem huius delirii fuiſſe Origenem, S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 9. in Hexaemeron, his verbis affirmat: Nefandorum autem effector, ſicut obſcœnorum perpetrator Origenes exiſtimauit eam arborem eſſe mulierem.] Equidem Adamum & Heuam quamdiu morati ſunt in Paradiſo, manſiſſe virgines, communis eſt Patrum ſenſus: de quo tamen aliàs.

II. NEC TRITICVM, NEC VITEM FVISSE.

Cuiuſnam ſpeciei arbor illa ſcientiæ boni & mali fuit? Moſes Bar Cepha quorundam ſententias ita recitat: Cenſent ergo alij frumentum fuiſſe hanc arborem, atque ideo Chriſtum quoque ſuum corpus in pane dediſſe, vt qua re contractum eſſet debitum, eadem & exolueretur. Rurſus alij vitem fuiſſe contendunt, & idcirco ſanguinem ſuum dediſſe Chriſtum in vino pro expiāda primorum Parentum noxa. Sed nos hæc vera non eſſe putamus: frumentum enim ſeges, non arbor dicitur: vt neque vitis.] Sic ille, ſane prudenter confutans geminas illas opiniones.

Exiſtimarunt alij fuiſſe ficum. S. Athanaſius Quæſt. 49. ad Antiochum ſic ait: Quod vero nunc eſt illud lignum, ex quo fructum comedit Adam? Reſponſio. Neque in hoc conſentiunt Patres: & iure. Quod enim diuina Scriptura abſcondidit, nemo exquiſite dicere poteſt. Vnde hi ficum fuiſſe aiunt fructum illum: illi vero Heuæ contemplationem. Fortaſſe prior de ficu verior eſt opinio.] Hæc ille. S. Iſidorus Peluſiota Lib. 1. Epiſt. 51. ad Theopompum agens de ficu illa quæ ad imperium Chriſti exaruit Matth. 21. v. 19. hæc ſcribit: Exaruit igitur arbor, vt hominibus terrorem inijciat. Quin in hac quoque re arcanus quidam ſermo annexus eſt à ſenibus ſapientibus ad nos graſſatus, nempe hanc tranſgreſſionis arborem eſſe, cuius etiam folijs ad corpus tegendum hi qui mandatum violarunt, vſi ſunt.] Sic ille. Theodoretus Quæſt. 28. explicans id quod Moſes ait de primis parentibus illico poſt peccatum conſuentibus ſibi folia ficus ad tegendam nuditatem, hæc ait: Nam dum adhuc conſuerent folia, audierunt vocem Dei deambulantis, & ſub arbore latitarunt, non alia videlicet, quàm vnde folia decerpebant. Hæc autem erat de qua præceptum acceperant, vt Propheta inquit, In medio ligni Paradiſi. De eo autem cum manducaſſent, etiam folia texebant, propterea quod ſuæ nuditatis eos puderet. Vniuerſa autem erant folia ficus. Certe ſine controuerſia arbor illa erat ficus, de qua præceptum acceperant. Sed non aſſentiuntur quidam, præ nimia, vt mihi videtur, ſimplicitate; qui

PLVRES PVTANT FICVM.

putant

putant opportere nouum quoddam eſſe lignum; non attendentes, quòd non ligni qualitate, neque nouitate cibi peccata cenſentur, ſed ex præcepto dato: cuius tranſgreſſio quantulacumq. pari reprehenſione digna eſt.] Hæc Theodoretus. Gennadius Græcus Auctor in Catena Græca Geneſis à Zephyro conuerſa, elucidans illud Geneſ. 3. Conſuerunt folia fici &c. ait: De ficu proculdubio patet ex his, præcepiſſe Deum ne quid illi veſcerētur. Neque enim veriſimile eſt, cum deguſtationem illico ſecutos ſit pudor, relicta proxima arbore, alias errabundos quæſiſſe cuius folijs contegerentur. Sed neque cum aduenientem Deum perſentirent, ſub ea arbore latitaſſent, quæ reos feciſſet illos, niſi ſub ea etiamnum comedentes deprehenſi fuiſſent.] Hæc ille.

S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 8. in Hexaemeron, ait: Theodoretus autem Cyrenſis Epiſcopus dixit ficum eſſe lignum fructus quem comedit Adam. Similiter etiam Theodorus Antiochenus: ſimiliter etiam infelix Origenes.] Hæc ille.

S. Alcimus Auitus Lib. 3. in Geneſ. Cap. 1. elucidans illud Geneſ. 3. v. 7. *Cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*; ita canit:

Idumenta petunt folijs è mollibus ambo, vt
Membra tegant, nudumq. malum ſub veſte lateſcat.
Vmbroſis propter ſtabat ficulneæ ramis,
Frondentes diffuſa comas, quas protinus Adam
Humentem capiens raſo de cortice librum
Aſſuit: & viridi ſolatur veſte ruborem.
Induitur ſimili mulier lacrymabilis arte.
Quoſque aluit miſero, fallax inſania pomo;
Veſtiuit folio: & quos ſæua ex arbore nudos
Reddidit, hos grauius tenui de cortice texit.

Bar-Cepha Lib. de Paradiſo Cap. 19. inquit: Igitur Philoxenus Mabugenſis Oratione de Arbore vitæ, & multi alij exiſtimant, ficum fuiſſe eam arborem, qua cum eſſet Adamo interdictum, non abſtinuit. Huic ſententiæ nos quoque vt veroſimiliori ſubſcribimus. Credibile enim eſt, ſimulatq. de ea Arbore ediſſent, pudore correptos, ex eo quod proxime ad manum erat, ſubligacula ſibi comparauiſſe, quibus ſua obuelarent pudenda. Ea vero ex ficulneis fuiſſe folijs facta, teſtatur ipſa Scriptura, Neque enim ſimile veri poteſt exiſtimari, ipſos prætermiſsa ea arbore, quæ proxima erat, ad aliam longiuscule diſſitam feſtinaſse: ex cuius folijs concinnatis ſubligaculis, ſuā contegerent nuditatem. Erat ergo ficus arbor illa ſcientiæ boni & mali: qua non veſci cum eſsent iuſſi, non paruerunt edicto.] Ita Bar Cepha. Eandem quoque ſententiam adſtruunt Procopius Gazæus in 2. Geneſ. & Nicephorus Calliſtus Lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Cap. 27. Ex Recentioribus Petrus Comeſtor in Hiſtoria Scholaſtica Geneſ. Cap. 23. Lyranus in 2. Geneſ. Martinus Cantapetrenſis Lib. 2. Hypotypos. Cap. 1. Colum. 89. Oleaſtrius & Catharinus in 3. Geneſ. Feu-ardentius in Notis Lib. 3. Cap. 37. S. Irenæi, & alij.

REFRAGANTVR ALII RATIONIBVS INVALIDIS.

Toſtatus & in 13. Geneſ. Quæſt. 164. & Pererius Lib. 3. in Geneſ. Arborem illam non fuiſse ficum his argumentis oſtendunt. I. Quia mox vt comederunt fructum illius, ſenſerunt bonum quod amiſerant, & malum in quod ſe

coniecerant, pudore penitus ſuffuſi: vnde veriſimile eſt ingenti horrore & odio illius arboris affectos, ex qua exitium in ſe exciuerant, longius ab ea receſſiſſe, nec manum ad folia eius extendere auſos, ne maius aliquod damnum in caput ſuum accerſerent: præſertim cum Heua Serpenti dixerit Geneſ. 3. 6. *De fructu ligni quod eſt in medio Paradiſi præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud*. 11. Arbor ſcientiæ boni vel mali, erat pulcherrimi viſus Geneſ. 3. 6. at certe eiuſmodi non eſt ficulnea.

Verum nos tot Patrum ſententias haud contemnendas ducimus, eo vel maxime nomine, quòd S. Iſidorus Peluſiota dixit, ab antiquis Patribus ſapientibus dimanaſſe eam famam, Arborem tranſgreſſionis fuiſſe ficum. Nec argumenta oppoſita quidquam euincunt: fieri enim potuit, vt ſimulatque Heua fructum guſtauit, elabente Serpente, ad virum detulerit, ipſeque cum vxore inuiſurus tam pulchram, tam egregij fructus ferentem arborem acceſſerit: patratoque ſcelere, pudore, confuſione, turbationeque trepidos, primum quod ad manum ſe obtulit velandæ nuditati præſidium, arripuiſſe folia ficus, nihil amplius tunc derepente conſiderantes: nec neſcij erant tantum ſibi eſum fructus interdictum; nec tangendum ad eſum ſcilicet.

Porro ſi arbor illa ficus fuit, non eſt plane cogitandum fuiſſe vt noſtram iſtam in terra maledicta, ſed multo pulchriorem. Ficum certe fuiſſe eiuſdem cum noſtris ſpeciei, illam ex qua Parentes primi ſibi ſubligacula conſuerunt, S. Irenæus Lib. 3. Cap. 37. S. Ambroſius Lib. de Paradiſo, Cap. 13. S. Auguſtinus Lib. 11. de Geneſi Cap. 32. & ferme omnes affirmant. At Cap. 16. magna probabilitate docuimus fuiſſe ficum Indicam diuerſi admodum generis à ficulnea noſtra; eſſeque arborem ſpecioſiſſimam, & ingentium foliorum, ad tegendum aptiſſimorum: quam ibi fuſe deſcripſimus ex magnis Auctoribus. Vnde ficum Indicam ſuſpicari poſſumus fuiſſe Arborem ſcientiæ boni vel mali.

FORSAN FVIT FICVS INDICA.

Verum his obſtare videtur, quod eodem capite ex Plinio annotauimus; fructum ficus Indicæ eſſe paruum, nec fabæ magnitudinem excedere: in quem neutiquam competere videtur, quod de fructu Arboris ſcientiæ boni & mali Moſes ait, fuiſſe pulchrum oculis, aſpectuque delectabile. Niſi dicamus Moſem pulchritudinem, & ſpecioſum aſpectum non fructui, ſed arbori tribuiſſe illis verbis: *Vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile: & tulit de fructu eius*. Equidem arborem eſſe pulcherrimam Auctores omnes produnt. De fructu Plinius Lib. 12. Cap. 5. hæc: Foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet: ea cauſa fructum integens, creſcere prohibet. Rarusque eſt, nec fabæ magnitudinem excedens. Sed per folia ſolibus coctus, prædulci ſapore, dignus miraculo arboris.] Et Solinus Cap. 55. Pomum eximiæ ſuauitatis.]

FRVCTVS RECLAMAT.

Si Indica ficus, arbor ſcientiæ boni & mali fuit, non te prætereat, & rarum, & paruum, & inter folia occultatum fuiſſe fructum eius, vt diſcas quàm parua & vili occaſione prolapſi fuerint primi Parentes, tanto maiori eorum ingratitudine & culpa.

Num

Num Arbor ſcientiæ boni & mali, Malus fuerit, aut quanam tandem arboris ſpecies. Cap. LXVIII.

PLERIQVE crediderunt eam arborem fuiſſe Malum, quę & pulcherrima eſt, & fructus eius aſpectu iucundiſſimus, & guſtu ſuauiſſimus: ſed cum Malorum infinita ſint genera apud Plinium Lib. 15. Cap. 14. & alios, qui de Arboribus perſcripſerunt, Malum hic intelligunt quam Hiſpani *Mancanam*, Itali *Melam* appellant: at in hoc genere ſunt variæ quoque ſpecies, vt videmus; idcirco putamus, eos qui Arborem ſcientiæ boni & mali, Malum eſſe volunt: eos loqui de illa ſpecie quæ in *Mancanis*, ſeu *Melis* eſt præſtantiſſima. Inducunt eos in ſententiam verba illa Canticor. 8. v. 5. *Sub arbore Malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua:* Ac ſi dicat Sponſa, ſeu Eccleſia: Sub Malo in Paradiſo voluptatis excitaui te è dulci quiete Diuinitatis tuæ, vt induta carne meas ſubires miſerias, factus homo: (nam vt peccatum primorum Parentū expiaret Deus humanam naturam induit:) mox vti illi eſu Mali peccauerunt, promiſiſti ſemen benedictum Chriſtum; *Ipſe* vel *Ipſa conteret caput tuum*. Ibi Heua mater omnium viuentium, vel natura humana ſub Malo corrupta & violata eſt grauiſſimo inobedientiæ peccato.

LOCVS CANTICOR. IIX. ELVCIDATVS.

Ceterum notant Interpretes *Thaphuach* generale nomen eſſe ad arbores omnes, ſeu poma quæ ſuauem ſpirant odorem: quod *Phuach* ſit ſpirare. Itaque *Taphuach*, pomum in genere ſignificare notant, ſed antonomaſtice reſtringi ad Malum. Sexies tantum hæc vox in Scriptura occurrit, ſemperque à Vulgato, *Malus*, vertitur. Ergo ex notione vocis non eſt leue argumentum, ſed ex ſenſu loci non ſatis conuincitur, Malum fuiſſe Arborem tranſgreſſionis: nam locus ille Canticorum ſubdifficilis varias habet interpretationes. Illam quam attulimus, plerique probant: alij tamen putant eſſe allegoriam paſtoritiam ſeu buccolicam: Sub Malo excitaui te, vel à ſomno, vel in mei amorem: vbi te quoque mater tua genuit & parturiuit. Malus amoribus, & conuentibus paſtoritijs dicata. Q. d. reſoluto dramate, Loca omnia, occaſiones, & circumſtantias, quo amor noſter magis magisq. coaleſcat, quæro. Quidam, Sub Cruce te precibus excito; ibi genitrix tua dolores tam diros ſenſit: quos in partu effugit; non fuit ſacra Deipara in partu corrupta aut violata; ſine viro concepit, & ſine dolore peperit: at in Cruce filij ſæuiores pertulit dolores, quàm ſi parturiſſet. Sic igitur Malum arborem hoc loco Crucem Chriſti exponunt. At vt inde nullum ducitur certum argumentum lignum Crucis fuiſſe Malum: neque etiam Arborem ſcientiæ boni & mali, Malum extitiſſe quiſquam euincet. Sed de explanatione loci Canticorum non vacat modo ex profeſſo diſſere, qui plura auet, adeat poſt alios Ludouicum Sotomaior virum noſtri Ordinis inſigniter eruditum, & Martinum del Rio in Comment. Canticor.

תפוח
פוח

EX EO NON EVINCITVR, MALVM FVISSE TRANSGRESSIONIS ARBOREM.

Moſes Bar-Cepha Cap. 19. ait: Sunt tamen qui velint haud quaquam ficum fuiſſe, ſed potius arborem quampiam noui generis, atque inuſitati, longe reliquis præſtantiorem: cujus fructibus interdictum fuerit

Adamo.

Adamo. Idque hac colligunt ratione, quia peccarit Adam edendo, & mulctatus ſit. Nam vulgari, inquiunt, fructu veſcendo neque peccauiſſet ille, neque pœnam commeruiſſet. Verum ad hæc reſpondemus: Cum res aliqua lege prohibita eſt, non rei vel præſtantiam dignitatemq. vel vilitatem atque indignitatem, dum aut editur aut omittitur, quidquam referre aut ad peccatum aut ad iuſtitiam, vel ad pœnam, præmiumue: ſed ipſam ſolam hic ſpectari obedientiam, & rebellionem.] Hæc Moſes, recte diſſerens.

Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 162. & 164. Pererius Lib. 3. in Geneſ. cenſent, Arborem ſcientiæ boni & mali, non fuiſſe aliquam nouam & peculiarem ſpeciem diſtinctam ab alijs ſpeciebus arborum Paradiſi: ſed fuiſſe vnam de ordinarijs & vſitatis ſpeciebus v.g. vel pyrum, vel malum, aut aliam eiuſmodi. Quid autem ex his determinate fuerit, ſciri non poſſe. Ceterum in illa ſpecie communi in qua fuit Arbor præcepti, non omnia indiuidua fuiſſe homini prohibita, ſed vnum tantum ſingulare & determinatum, indicatum à Deo: nempe in genere vel ſpecie pyrorum vel malorum &c. hanc vnicam deſignatam arborem illo loco poſitam. Nam vnica illa ſatis erat diuino conſilio ad explorandam probandamq. obedientiam Adami: & interdictio eius ad duos illos tantum primos homines pertinebat: qui facilius ab vna arbore quàm à multis abſtinere potuiſſent: nam alioqui ſi ipſi obtemperaſſent, nihil alijs naſcituris in Paradiſo interdictum manſiſſet.

ARBOREM VETITAM DESIGNATAM VNICAM TANTVM NVMERO FVISSE IN SVA SPECIE.

Iſta nos recte & prudenter dici, non imus inficias: at Patrum auctoritas ſuperiori Capite adducta egregie facit, vt quàm probabiliter credamus Arborem vetitam, fuiſſe ficum, vel hanc noſtram, vel Indicam, quod potius exiſtimamus. Nam cum Patres à maioribus accepiſſent, Arborem tranſgreſſionis, ficum fuiſſe, cum parum illis Indica innotuiſſet, de hac noſtra pleriq. exiſtimarunt, cum tamen vetuſtiſſimi, ex traditione forſan, de Indica intellexiſſent. Ceterum non niſi vnicam numero in ea ſpecie, Adamo interdictam, arbitramur ob rationes nuper allatas.

Si cui libuerit in his philoſophari, indicabimus quaſdam arbores Indicas præſtantiſſimas, de quibus ſuſpicari poſſit, num fortaſſis aliqua ex illis fuerit ſpecies Arboris interdictæ. Plinius Lib. 12. C. 6. ait: Maior alia, pomo & ſuauitate præcellentior, *nimirum quàm ficus Indica*, quo Sapientes Indorum viuunt. Folium alas auium imitatur, longitudine trium cubitorum, latitudine duum. Fructum cortice emittit, admirabilem ſucci dulcedine, vt vno quaterno ſatiet. Arbori nomen Palæ, pomo Arienæ. Plurima eſt in Sydracis expeditionum Alexandri termino.] Hæc ille: de qua etiam Theophraſtus Lib. 4. de Plantis Cap. 4. Folia quidem aptiſſima ad contegendum corpus: & fructus eiuſmodi, qualem Moſes Arboris prohibitæ deſcripſit. Naſcitur & in Cherſoneſſo aurea, quam vocant Malacham, arbor ingentibus folijs, quorū vnum hominem totum obtegere poſſit; fructum miræ magnitudinis inſtar peponis, præclaræ ſuauitatis edens, quem Luſitani appellant *Durion*: nec deſunt qui coniectentur, forſitan hanc eſſe ex qua primi parentes infeliciter deguſtarunt, vt notat Ioannes Gonzales in Itinerario noui orbis, Cap. 17. Sed ad ripas Gangis naſci arbores quas Moſe vocant, ſuauiſſimi fructus, & hunc Hebræi, & Arabes putent eum eſſe quem Adam guſtauit, ſupra Cap. 4. ex Laurentio Anania vidimus.

ARBORES INDICAE SVAVISSIMI FRVCTVS.

Cur

Cur dicta ſit Arbor ſcientiæ boni & mali. Cap. LXIX.

NONNVLLI Hebræorum exiſtimarunt ita vocatam, quòd reuera Adamo & Heuæ intelligendi vim, & ratiocinandi vſum indiderit. Putant enim primos parentes infantili quadam mentis ſimplicitate creatos, nullo ratio- nis vſu præditos: eſu ligni vetiti comparaſſe intelligentiam & cognoſcendi exercitium. Refutatio eſt facilis, quã verbis Bar-Cephæ Cap. 29. ita exhibemus: Quod porro, *ait*, nullam ipſa Arbor cognitionem Adamo dederit, certum eſt. I. Quando ille alioquin iam ante fuerat ſcientia boni maliq. ornatus: compoſitus enim erat ex anima rationali, quæ boni maliq. iudicio pollet. II. Adhoc, lex imperabatur Adamo, qualis non niſi ijs qui inter bonum & malum norunt diſcernere, rectè imponitur: nam alioqui, quod abſit, habuiſſet ille quod de Deo quereretur, qui legem ſibi omnis prorſus iudicij experti præſcripſiſſet. III. Inſuper niſi illiuſmodi ſcientia iam tum fuiſſet imbutus Adam, qui potuiſſet nomina animantibus indere? IIII. Qui cognoſcere Heuam vxorem ſuam, atque de ea dicere: Hoc iam os ex oſſibus meis, & caro de carne mea? V. Denique diuinitatis deſiderio tangebatur Adam, atque eius adipiſcendæ cauſa de arbore illa guſtabat: quare neceſſum eſt boni maliq. cognitionem in ipſo fuiſſe, qui diuinitatis præſtantiam dignitatemq. intelligebat, eamque affectabat. VI. Inſuper condiderat ipſum Deus ad imaginẽ ſimilitudinemq. ſuam, & omnium quæ viuerent, abſolutiſſimum fecerat: eum vero qui talis à Deo fuerat conditus, quis neget iudicio, hoc eſt, boni maliq. cognitione dotatum fuiſſe?] Hæc Moſes. Quæ maiore ex parte deſumpſit ex Chryſoſtomo Homil. 16. in Geneſ. & ex Theodoreto Quæſt. 26. in Geneſ. Quibus addimus, VII. Grande bonum conſequutum alioqui Adamum per peccatum, nempe vim & vſum intelligendi, quo ante carebat, quod nefas eſt aſſerere.

DELIRIVM HEBRAEORVM EXSVFFLATVR.

Ioſephus Lib. 1. Antiq. Cap. 2. ſentire videtur, Arbori illi inſitam fuiſſe virtutem acuendi ingenium; & facultatem cogitandi perficiendi: vnde hominibus maior prudentia, ſolertia, & interior rerum notitia proueniret: ſic enim ait: Arbori enim acuminis & cogitandi vis inerat.] Lyranus refellit hanc ſententiam, quòd fructus ille corporeus nihil agere potuit in mentem & ingenium humanum, quæ ſunt incorporea & immaterialia. Lyrani rationem eleuant Toſtatus in 2. Geneſ. Q. 11. & in 13 Geneſ. Quæſt. 151. & Pererius Lib. 3. in Geneſ. quòd agens corporeum directè quidem in rem immaterialẽ agere nequeat, indirectè vero queat: optimis enim cibis iuuatur ingenium, peſſimis vero læditur. Inducunt loca Iſaiæ 7. v. 15. de Chriſto: *Butyrum, & mel comedet, vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.* Et Eccleſ. 2. verſ. 3. *Cogitaui abſtrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam.* Ergo volunt ad præſtantiam ingenij Chriſti iuuaſſe quidquam ſuaues cibos butyri & mellis? Numquam id crediderim, nec ſi mihi credat, cordatus quiſquam credet. Qui hæc longo verborum agmine docebat Hiſpanicus Auctor Libri Examinis ingeniorum; iuſta Præſidentium cenſura legi prohibitus, vel ſaltem hæc ei pars expuncta. Ego ſcio, & mecum omnes,

III. ITEM ET IOSEPHI SENTENTIA.

Anto-

Antonij Magni, Baſilij, Gregorij Nazianzeni, Chryſoſtomi, Hieronymi, Gregorij Magni, Bernardi, atque ſacrarum Religionum innumerabilium profeſſorum, nobiliſſima & acutiſſima ingenia inter olera, cruda legumina, ieiunia duro & muccoſo pane ſoluta, inter aſperos & inſuauiſſimos, ac tantum non noxios cibos excreuiſſe vſque ad ſublimitatis miraculum: acuunt ſane ingenium ſtudium intentiſſimum, cibi, ſomnique parcitas, ingentes vigiliæ, preces ad Deum ardentes, ieiunia crebra, abſtractio à mundanis rebus, & diuinarum rerum aſſidua meditatio: non cibi optimi ſucci.

CIBI NON ACVVNT INGENIVM.

Loci illius Iſaiæ ſimplex & legitima intelligentia, vt alias interim omittam, nota eſt omnibus: Meſſiam in infantili ætate verum hominem alijs ſimilem futurum, qui more aliorum infantum dulcia appetet, amara vero reſpuet. Quod ſapiens ait ſe abſtinuiſſe à vino: equidem eo vti potius debebat iuxta iſtos ad bonitatem ingenij, cum Plato apud Macrobium dicat, Lætiores vini inuitationes incitamenta eſſe ingeniorum: certe vinum in potu optimum & ſuauiſſimum eſſe quis vnquam dubitauit? macerare potius carnem voluit, ne vino madens & callens ſpiritui in quo vera ſapientia contineretur, recalcitraret. At iſta in liberius aliud & tēpus & otiū reijcimus. Quouſque meliora non afferent argumenta, Lyrani ratiocinationem non deſpuerim: præſertim quod ſi Arbor illa vim haberet acuendi ingenij, non alia hæc fingi poſſit niſi per ſe & directe: cum fuerit ſingularis huic arbori: nam alioqui, indirecte, omnibus alijs arboribus optimi alimenti ineſſet.

Alias rationes aduerſus Ioſephum Toſtatus & Pererius firmant. I. Quia alioquin Deus non inuidiſſet homini, aut prohibuiſſet tantum bonum. II. Et ſerpens non eſſet mentitus cum eis dixit: *Eritis ſicut Dij*, quem tamen Patres mentitum aſſerunt. III. Nec adeo doluiſſent primi Parentes ob eſum fructus, cum ingenio meliores euaſiſſent. At non penitus mihi mentem explent iſta argumenta: forſan iſtud fuerit validius IV. Quòd grande bonum, quo ante carebant, Adam & Heua peccando conſequuti fuerint: quod impium eſt cogitare.

III. Communis ſententia docet Arborem illam ab euentu tantum vocatam ſcientiæ boni & mali: quia etſi Adam ſpeculatiue ante ſciret bonum & malum; edens tamen ex fructu illo, practice & experientia cognouit quantum bonum peccando amiſerit, & in quot mala ſe coniecerit: expertus eſt quantum bonum eſſet innocentia, & quantum malum peccatum. Scit Medicus ſanitatem & ægritudinem: ſed cum in morbum incidit, re ipſa experitur quid interſit inter ſanitatem & ægritudinem. Non eſt nouum in Scriptura nomina rebus, vel locis ab euentis imponi. Geneſ. 21. verſ. 31. de puteo: *Idcirco vocatus eſt locus ille Berſabee*, ideſt puteus iuramenti, *quia ibi vterq. iurauit*. Geneſ. 26. v. 20. Puteus appellatur Calumnia: & verſ. 21. Inimicitiæ. Et verſ. 22. Latitudo. & verſ. 33. Abundantia. & Geneſ. 28. verſ. 19. locus vbi Dominus apparuit Iacob, Bethel. Geneſ. 31. verſ. 47. Aceruus Teſtimonij. & Cap. 32. verſ. 2. Mahanaim, Caſtra: omnia ſic dicta ab euentibus, quæ illis locis fuſe deſcribuntur.

ARBOR AB EVENTV VOCATA SCIENTIAE BONI ET MALI.

Auctores huius ſententiæ ſunt innumeri, paucos tantum proferemus: S. Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi Cap. 6. Arbor illa appellata eſt ſcientiæ dignoſcendi bonum & malum, quia ſi poſt prohibitionem ex illa homo ederet, in

E SENSV PATRVM.

illa

illa erat præcepti futura tranſgreſſio, in qua homo per experimentum pœnæ diſceret, quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum: ex ipſa re nomen impoſitum eſt.] Multa diſſerit in eandem ſententiam Cap. 13. 14. 15. Et Lib. 14. de Ciuit. Dei, Cap. 17. ſic ſcribit: Aperti ſunt, inquit, oculi amborũ, non ad videndum, nam & antea videbant: ſed ad diſcernendum inter bonum quod amiſerant, & malum in quod ceciderant. Vnde & ipſum lignum, eo quod iſtam faceret dignoſcentiam, ſi ad veſcendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, vt appellaretur lignum ſcientiæ boni & mali. Experta enim morbi moleſtia, euidentior fit etiam iucunditas ſanitatis.] Hæc ille. Et Lib. 1. de Peccatorum meritis, & remiſſione, Cap. 21. ait: Ab illo autem ſolo eos prohibuerat, quod appellauit ſcientiæ boni & mali, quo nomine ſignificaretur experientiæ conſequentia: & quid boni cuſtodita, & quid mali eſſent tranſgreſſa prohibitione ſenſuri.] Ita S. Auguſtinus.

S. Chryſoſtomus Homil. 16. in Geneſ. Mos enim diuinæ Scripturæ eſt, à rebus contingentibus nomina locis imponere, vbi res contingunt: eaque propter lignum hoc vocatum eſt lignum ſcientiæ boni & mali, quia circa illud obſeruatio & tranſgreſsio mandati erat.] Et poſt alia: Sed quia poſt huius eſum, & ſuperna gloria ſpoliati, & ſenſibilem nudationem experti ſunt, ideo vocauit lignum ſcientiæ boni & mali. Erat enim circa illud quaſi quædam obedientiæ Dei exercitatio.] Tantum ille. SCRIPTVRA AB EVENTIS NOMINA IMPONIT.

Theodoretus Quæſt. 26. & 27. in Geneſ. Quia per ipſum ſentiri cœpit peccatum, appellatum eſt lignum cognitiuum boni & mali.] Et poſtea: Vocatum eſt lignum cognitiuum ſcientiæ boni & mali; eo quod inde cœpit eſſe ſenſus peccati. Vnde qui fructum prohibitum guſtauerunt, tamquam præcepti tranſgreſſores, conſcientiæ pœnas luerunt.] Et tandem: Habebant igitur ſine dubio notitiam, ſed experimentum poſtea ceperunt.] Ita Theodoretus.

Bar-Cepha Cap. 19. poſt multa in eandem ſententiam fuſe diſſerta, ſubdit; Igitur arbor illa cognominata eſt ſcientiæ boni & mali, non quòd ipſa talem ſcientiam, vel in ſe habuerit, aut eam in Adamo effecerit, qua hic iam ante pollebat: ſed quia per eam arborem eſt ille reipſa expertus, atque vt ita dicam, efficienter edoctus, quid eſſet bonum & quid malum: quippe in ea arbore poſitum erat & obedientiæ & rebellionis Adami, atque per eam clare cognouit ille boni malique rationem ipſo rei effectu: didicitq. quantum eſſet boni in obſeruando Dei mandato poſitum, & quantum contra mali in præuaricando.] Sic Moſes.

Hugo de Sancto Victore Annotationibus in 2. Geneſ. ait: Lignum autem ſcientiæ boni & mali dictum eſt, quia per obedientiam habiturus erat homo bona ad quæ tranſiret; per inobedientiam vero mala, quæ ei comminatus fuerat Deus: vel quia per ipſum experimento vtrumq. cognouit.] Hæc ille.

S. Thomas 1. Par. Quæſt. 102. Art. 1. ad 4. inquit: Lignum ſcientiæ boni & mali, materialis arbor fuit, ſic nominata propter euentum futurum; quia poſt eius eſum per experimentum pœnæ didicit, quid intereſſet inter obedientiæ bonum & inobedientiæ malum.] Hanc eandem rationem nominis tradiderunt Sanctus Cyrillus Lib. 3. aduerſus Iulianum, Sanctus ASSENTIVNTVR RECENTIORES.

Eucherius, Strabus, Anſelmus Laudunenſis in 2. Geneſ. Petrus Lombardus in 2. Senten. Diſtin. 17. & omnes Scholaſtici Theologi in Comment. in eundem locum, Petrus Comeſtor in Hiſtoria Scholaſtica Geneſ. Cap. 13. Lyranus, Vatablus, Clarius, Caietanus, Catharinus, Hamerus, Oleaſtrius, & innumeri Recentiores Interpretes in 2. Geneſ. Item Gregorius de Valentia 1. P. Diſputatione 7. Generali, Quæſt. 6. Puncto 1. Bellarminus Lib. de Gratia primi hominis, Cap. 17.

S. Ioannes Damaſcenus Lib. 2. de Fide Orthodoxa Cap. 11. ait: Lignum ſcientiæ boni & mali dicitur quia virtutem donabat cognoſcendæ propriæ naturæ: quod quidem bonum erat perfectis; ſed malum infirmioribus, & adhuc ad concupiſcētiam pronioribus. Nolebat enim qui creauit nos Deus, ſollicitos eſſe, & circa plurima turbari: neque curioſos & prouiſores propriæ vitæ fieri: in quod ſane incidit Adam. Nam cum guſtaſſet, agnouit quia nudus eſſet, & pudendorum velamen ſibiipſi ipſe circumpoſuit: ficus enim folia ſumens circumcinctus eſt. Prius autem quam guſtaſſet, nudus erat vterque Adam & Heua, & non erubeſcebant. Huiuſmodi autem impaſſibiles volebat nos eſſe Deus: nam inſufficientia, impaſſibilitaſq. maxima hoc eſt. Ceterum ſine ſollicitudine, ac cura, vnum opus haberemus, quod Angelorum eſt, laudare indefeſſe & aſſiduo creatorem, & ipſius contemplatione delectari, & in nullo iactare noſtras curas.] Hactenus S. Damaſcenus.

S. DAMASCENI AMBIGVA SENTENTIA.

Bellarminus & alij hanc S. Damaſceni ſententiam vt falſam reijciūt, quòd non ſit credibile eum fructum tribuiſſe homini virtutem cognoſcendæ propriæ naturæ; cum homo ante peccatum ſuam propriam naturam pleniſſime cognouerit, vt pote & rerum naturalium & diuinarum abſolutiſſima ſcientia perfuſus: & qui penitius animantium naturas introſpexerat, vt quibus propria indidiſſet nomina, non eſt veriſimile naturæ ſuæ notitia caruiſſe.

EXPONITVR.

Sed putamus S. Damaſcenum non aliud quàm alios Patres ſuis verbis indicare voluiſſe, nimirum eſum fructus prohibiti dediſſe homini cognitionē propriæ naturæ, non quidem ſpeculatiuam, ſed practicam & experimentalem: quia per illam ſciuit & reipſa expertus eſt miſerias & indigentias propriæ naturæ, ob quas redditus eſt homo ſatagens, ſollicitus, ac prouiſor propriæ vitæ; id ſatis perſpicue verba S. Damaſceni innuunt; in quem quoque rectum ſenſum deduxit illum Commentator Clicthouæus.

Chaldæus Paraphraſtes Geneſ. 2. cum vellet exprimere quid Moſes per arborem ſcientiæ boni & mali ſignificare voluerit, ait: Et arborem cuius fructus manducantes ſcient inter bonum & malum.] Hoc eſt, reipſa experientur quantum interſit inter bonum quod perdiderunt, & malum in quod inciderunt.

ARBOREM SCIENTIAE BONI ET MALI NON SIC APPELLATAM AB EVENTV SENTIVNT ALIQVI, PARVM FIRMIS RATIONIBVS.

Verum Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 155. & Pererius Libro 3. in Geneſim, argumentis oſtendere tentant, Arborem ſcientiæ boni & mali, non ſic appellatam ab euentu, quaſi eius eſum ſequuta ſit experientia boni & mali. I. Quia alioqui nominari quoque potuiſſet, Arbor apertionis oculorum, vel cognitionis propriæ nuditatis, ab euentu. Reſpondeo. Scientiam boni & mali, omnia iſta, & longe plura complecti, eſſeque vt ampliorem, ita quoque magis propriam appellationem: atque inditum nomen ab euentu maiori. II. Serpens promiſerat illis: *Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum*. at

ipſe

ipſe nolebat intelligi de experientia boni & mali, quæ mala eſt: nam bonum aliquod grande promittebat. Reſpondeo. Dæmonis oracula ſemper fuêre ambigua: recte ille nouerat, non bonum, ſed ingens malum eos conſecuturum: volebat à Protoplaſtis intelligi promiſſum bonum, quo deciperet: cum ipſe certo intellexiſſet non niſi malum inſequuturũ. III. Patres aiunt, Serpentem mentitum cum promiſit guſtato fructu euaſuros Parentes ſicut deos, ſcientes bonum & malum: non eſſet autem mentitus ſi de ſcientia boni & mali experimentali loquutus fuiſſet, cum hac reuera conſequuta fuerit. Reſpondeo. Serpentem proprie eos decepiſſe: & in eo mentitum quòd eos vellet intelligere ſe promiſiſſe magnum aliquod bonum: cum re ipſa noſſet, non ſecuturum niſi atrox malum: mentitus quoque eſt, quia aſſeruit eos non morituros, & per illam ſcientiam euaſuros ſicut deos, cum non euaſerint niſi mortales, & ter homines, hoc eſt, ter infelices, vt Diogenes aiebat. IV. Deus de Adamo peccante dixit: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonũ & malũ:* at Deus nequit re ipſa experiri malũ: non igitur hæc ſcientia boni & mali intelligi poteſt experimẽtalis. Reſpõdeo. Conſenſu ferme Interpretũ in verbis Domini eſſe ſarcaſmũ & ironiã: quaſi dicat: Scilicet, Adam credebat ſe adepturum ſcientiã boni & mali, meæ ſimilẽ: at miſer reuera adeptus eſt ſcientiã boni & mali, multo tamen diuerſam à mea; & ſua ſtultitia dignã: quia re ipſa cogetur experiri quæ bona peccando perdiderit, & quæ mala in caput ſuum infelix attraxerit. Inſpice quibuſnam argumentis ſententiam Patrum tanto conſenſu receptam, iſti Scriptores attingant.

IV. ALII AB EXPERIMENTO OBEDIENTIAE VEL INOBEDIENTIAE ADAMI.

Nonnulli exiſtimarunt Arborem illam dictam ſcientiæ boni & mali, quòd per eam, impoſito prohibitionis præcepto, quaſi probare & experiri Deus voluerit Adamum de bono & malo, hoc eſt, de obedientia & inobedientia: & ac periculum in Adamo facere num obediens futurus eſſet magno ſuo ipſius bono: an inobediens, magno item eiuſdem malo. Sunt eiuſmodi tentationes ac probationes Dei in ſacris Litteris frequentes, vt in Abraham; &c. non quo Deus diſcat, quæ antea non nouerat: ſed quo alijs palam oſtendatur potentia, gratia, & prouidentia Dei in magnis negotijs. Hanc enodationem appellationis indicaſſe videtur S. Damaſcenus Lib. 2. Cap. 11. cum inquit: Lignum autem ſcientiæ ad experientiam quandam, probationemq. & exercitium obedientiæ & inobedientiæ hominis: quapropter & lignum ſcientiæ boni & mali dicitur.]

V. QVIDAM A VERBIS SERPENTIS.

Hugo de S. Victore in Annotationibus in Geneſ. 2. ait: Lignum autem ſcientiæ dictum eſt, non propter naturam quam in ſe haberet, ſed quia per ipſum ſcitum eſt, vtrum eſſet homo bonus, an malus: ideſt, obediens an inobediens.] Sic ille. Eandem interpretationem Vatablus probat.

Alij denique arbitrati ſunt, non aliunde, nec aliam ob cauſam inditum ei arbori nomen ſcientiæ boni & mali, niſi à verbis & mendacio ſerpentis: quaſi dicat, Arbor illa quam ſerpens fraude & mendacio finxit allaturam hominibus diuinam quandam ſcientiam boni & mali: qua homines ſicut dij euaderent, & ſupra ſuam naturam attollerentur: cum tamen nihil minus præſtaret. Ita ſentit Rupertus Lib. 2. in Geneſ. Cap. 27. Hoc lignum, inquit, ironice appellatum eſt ſcientiæ boni & mali: vt ipſo nomine ſuo monumentum legentibus repræſentet diabolici mendacij.] Hanc nominis ra-

tionem ceteris prædictis anteferunt Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 154. & 155. & Pererius Lib. 3. in Geneſ. Nos hanc & præcedentem ſententiam vt non repudiamus, ita tertiam illam ſenſu communi Doctorum firmatam, alijs omnibus meliorem ducimus.

VI. Diſquirunt aliqui, à quo fuerit nomen illud Scientiæ boni & mali, arbori impoſitum. Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 156. 157. & 158. cui ſubſcribunt Catharinus & Pererius, prolixe demonſtrare nititur, nō à Deo eiuſmodi appellationem arbori inditā: ſed ab Adamo, vel à Moſe: nec refert quòd Deus, cum Adamo imponeret præceptum de non edendo fructu arboris, iam eam appellet Arborem ſcientiæ boni & mali, Geneſ. 2. verſ. 17. nam ſcriptor hiſtoriæ Moſes prolepſi quadam in Scriptura ſatis vſitata, ita inducit loquentem Deum de arbore quæ poſtea id nomen acceperit: quam tamen Deus non ita vocauerit, ſed vel alio nomine, vel quaſi digito indicauerit. Facile fuerit Toſtato & Pererio ita ſentire, quòd exiſtiment Arborem ſcientiæ boni & mali, non niſi poſt mendax ſerpentis promiſſum, ſic appellari cœptam.

DEVS ID EI NOMEN IMPOSVIT. At magis arbitramur à Deo id nomen Arbori factum: & veriſimile eſt, ſerpentem ad nomen Arboris reſpexiſſe, cum pollicebatur: *Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum*. nempe quia guſtabitis ex fructu Arboris ſcientiæ boni & mali. Niſi enim ad nomen Arboris alluſiſſet coluber, quid opus erat dicere: *Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum*: cum amplior ad inſtitutum fuiſſet promiſſio, dicere: *Eritis ſicut dij omnia ſcientes*. quod magis accedit ad diuinitatem?

Ergo Deus, ita nuncupauit Arborem illam, quòd ſi Adamus ex ea guſtaſſet, experientia ſciret ex quibus bonis in quæ mala prolaberetur. Sed audiamus S. Auguſtinum in eandem ſententiam Lib. 8. de Geneſi, Cap. 15. hiſce verbis pulchre diſſerentem; Fruſtra autem nonnulli acute obtuſi ſunt, cum requirunt, quomodo potuerit appellari lignum dignoſcentiæ boni & mali, antequam in eo tranſgreſſus eſſet homo præceptum: atque ipſa experientia dignoſceret, quid intereſſet inter bonum quod amiſit, & malum quod admiſit. Lignum enim tale nomen accepit, vt eo ſecundum prohibitionem non tacto caueretur, quod eo contra prohibitionem tacto ſentiretur. Neque enim quia inde contra præceptum manducauerunt, ideo factum eſt illud lignum dignoſcentiæ boni & mali, ſed vtique etiam ſi obedientes eſſent, & nihil inde contra præceptum vſurpaſſent, id recte vocaretur, quod ibi eis accideret, ſi vſurpaſſent. Quemadmodum ſi vocaretur, Arbor ſaturitatis, quòd inde poſſent homines ſaturari; numquid ſi nemo acceſſiſſet, ideo nomen illud eſſet incongruum, quandoquidem cum accederent & ſaturarentur, tunc probarent quàm hoc recte arbor illa vocaretur? Hæc S. Auguſtinus.

OPHITAE SERPENTEM ADORABANT. Non omiſerim, Hæreticos quoſdā Ophitas, quaſi Serpentinos dictos, adoraſſe Serpentē illum qui primos Parētes ſeduxit: eiq. diuinos honores & ſacrificia detuliſſe, quòd Adamū & Heuam per eſum vetiti fructus, ſcientiā diuinarū rerū edocuerit. De quibus agunt S. Irenæus Lib. 1. C. 34. Clemēs Alexandrinus Lib. 7. Stromatū, Tertullianus ad finem Lib. de Præſcriptionibus Hæreticorū, S. Philaſtrius Lib. de Hæreſib. Hæreſi 1. S. Epiphanius Hæreſi 37. S. Auguſtinus Lib. de Hæreſib. Cap. 17. Theodoretus Lib. 1. Hæreticar. Fabularum,

larum, S. Damaſcenus Libello de Hæreſibus: ex Recentioribus Caſtrus Lib. 7. aduerſus Hæreſes, Hæreſi prima, Prateolus in Elencho Hæreſum Lib. 13. Hæreſi 3. & alij. At in his, quod aliena ſint ab inſtituto, nullo pacto nobis immorandum.

De Arbore Vitæ, & num plenam immortalitatem homini dediſſet. *Cap.* LXX.

I. HANC Moſes refert plantatam à Deo in medio Paradiſi. *Et lignum*, inquit, *etiam Vitæ in medio Paradiſi*. Exiſtimarunt Origenes, & alij allegorici Paradiſi aſſertores, non fuiſſe hanc corpoream & materialem aliquam arborem: ſed myſticè vel parabolicè tantum intelligendam: allegoriaſque eius varias conferunt. Accerſunt loca è Prouerb. 3. v. 18. de Sapientia: *Lignum vitæ eſt ijs qui apprehenderint eam.* Et Apocaly. 2. v. 7. de vita beata: *Vincenti dabo edere de ligno Vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* Bar-Cepha Cap. 28. ait: Gregorius Nyſſeus dicit duas haſce arbores, *nempe Vitæ, & Scientiæ boni & mali*, ſpiritales fuiſſe, ſolaque ratione potuiſſe intelligi.]

ARBOR VITAE VERA ET REALIS.

At vt non eſt inepte negandum Arborem Vitæ ſuas habuiſſe pulchras & aptas myſticas ſignificationes, quemadmodum etiam Arborem ſcientiæ boni & mali; ita ex fide Eccleſiæ, & Patrum ſenſu ſtabilienda eſt inconcuſſa rei & hiſtoriæ veritas, vt arborem veram & corpoream fuiſſe credamus illam quam Moſes Vitæ Lignum appellat. Probatio eſt facilis, quam habes initio C. 67. Vno namq. eodemq. hiſtoriæ tenore Moſes Paradiſum terreſtrẽ, eiuſq. corporeas arbores narrat, quo etiam in eodem ſatas Arborem Vitæ, & Arborem ſcientiæ boni & mali, affirmat. Vide Cap. 5. 6. & 7. & S. Auguſtinum Lib. 8. de Geneſ. Cap. 4. & 5. & Lib. 13. de Ciuitate Dei, Cap. 21. S. Chryſoſtomum Homil. 13. in Geneſ. Theodoretum Quæſt. 26. in Geneſ. Moſen Bar-Cepha Lib. de Paradiſo, Cap. 26. & ex Recentioribus Toſtatum in 13. Geneſ. Quæſt. 150. & 160. & Pererium Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 1. de Arbore Vitæ.

II. Magna exiſtit quæſtio, cur dicta ſit Arbor Vitæ, & num homini plenam & abſolutam immortalitatem eſus fructus illius tribueret: vel quam tandem vim in corpus vitamq. hominis haberet. Bar-Cepha Cap. 20. Exiſtimat, Arborem Vitæ ſic dictam non quòd vitam veſcentibus daret, ſed quòd eſſet cohortatio quædam ad obſequendum diuino præcepto, & denunciatio propoſiti præmij, ac veluti ſingrapha & teſſera vitæ æternæ, quam Adamus proculdubio obtinuiſſet, ſi obtemperaſſet: verba eius ſunt: Cæterum alij Doctores quos nos libèrius ſequimur, aiunt, haud ideo quòd vitã ipſa cõciliaret veſcentibus, vocatã eſſe vitæ arborẽ: perinde enim rudis ac ſtulti ingenij eſſe, exiſtimare arborem vllam boni maliq. cognitionem largiri poſſe ijs à quibus ederetur; & eſſe arborem quaſi veſcare, euadas immortalis: ſed ob id hoc illi nomen à Deo datũ eſſe, quo Adamus ad parendum præſcriptæ ſibi legi animaretur. Nã cum lata à Deo lex eſſet, ne Adam de Arbore quæ Scientiæ boni & mali dicebatur, guſtaret; & præuaricanti pœna præſtituta ipſa

BAR-CEPHA CREDIDIT ARBOREM VITAS NVLLAM VIM IN CORPVS HABVISSE.

mors

mors: reliquum erat vt præmium etiam promitteretur obſeruanti legem. Itaque Deus commonſtrata alia Arbore, quæ in meditullio Paradiſi ſita, magno extabat inſignis decore, Vitæ eam appellauit, quaſi diceret: Si ab illa Arbore ſcientiæ boni & mali te continueris, legique meæ obtemperaueris, en tibi arborem vitæ, de qua edes, viueſque in perpetuum. Pro cohortando igitur Adamo ad obſequendum legi, vocata eſt Arbor illa, Vitæ arbor: vt quantum mortis nomine à rebellando deterreretur, tantum vitæ vocabulo ad parendum impelleretur: eaque gratia, præmium quoque plane ex aduerſo pœnæ reſponderet, vita morti. Hanc ſententiam probat Diuus Seuerus Oratione 33. de Epithronio, vbi de Cruce Chriſti loquens, ait: Altera vero illa, Vitæ Arborem dico, gloriam Adæ paritura erat, niſi ille intempeſtiui cupidine cibi victus, non paruiſſet edicto, &c.] Hactenus Bar Cepha.

SYMBOLVM TANTVM VITAE PVTAVIT STEVCHVS.

Neque ab his multum abludit Steuchus in Coſmopœia, cum ſcribit, non ob aliam cauſam dictam Arborem vitæ, niſi quòd ſymbolum tantum eſſet immortalitatis, quam Deus Adamo præmium promiſerat, ſi paruiſſet imperio. Horum ſententia vnico facili & maximo argumento euertitur, quòd omnes Eccleſiæ Patres & poſteriores, diſertiſſime contrarium exiſtimant, inditam nimirum ei Arbori virtutem, vel largiendi immortalitatem ſimpliciter, vel vitam in longum tempus propagandi, vt mox oſtendemus.

Alij vero dixerunt, lignum vitæ eam vim habuiſſe, vt vel ſemel guſtatum perfectam adferret immortalitatem, tametſi non ſicuti in corpore glorioſo: & ideo non ante ſumendum hominibus fuiſſe, quàm transferendi eſſent de ſtatu gratiæ in quo poterant non mori, ad ſtatum gloriæ in quo non poſſent amplius mori. Hoc ipſum diſerte adſtruit Rupertus Lib. 3. in Geneſ. C. 30. his verbis: Nequaquam, vt nonnulli arbitrantur, frequentandum erat neceſſario lignum, tanquam perpetuandæ vitæ tranſitiuum medicamentum: ſed ſemel hoc ſumpto viueret corpus in æternum.] Hæc ille. Hanc ſententiam aperte ſequuntur ex Recentioribus, Bellarminus Lib. de Gratia primi Hominis Cap. 18. & Martinus Delrio Libr. 2. Magicarum Diſquiſitionum Quæſt. 23. ad finem. Alios neſcio.

PATRES DOCERE VIDENTVR ABSOLVTAM IMMORTALITATEM CONTVLISSE.

Equidem pleroſq. Patrum ſentire viſos, quòd Lignum vitæ immortalitatem abſolutam donaſſet, vitamque in ſempiternum tempus produxiſſet guſtatum, ex eorum verbis apparet. S. Irenæus Lib. 3. aduerſus Hæres. C. 37. ſcribit, Adamum eiectum è Paradiſo ne guſtaret de ligno vitæ; idque factum non tam Dei indignatione, quàm miſericordia, nimirum ne poſt peccatum edens ex fructu vitæ euaderet immortalis, vitamque ſempiternam in perpetuis miſerijs & ærumnis ducere cogeretur: ſunt eius verba: Quapropter eiecit eum à Paradiſo, & à ligno vitæ longe tranſtulit; non inuidens ei lignum vitæ, quemadmodum quidam dicunt, ſed miſerans eius, vt non perſeueraret ſemper tranſgreſſor, neque immortale eſſet, quod eſſet circa eum, & malum interminabile.] Hæc ille. Vbi obiter monuerim, Feu-ardentium facili lapſu accepiſſe verba S. Irenæi de Arbore ſcientiæ boni & mali, & in eam rem quædam aunotaſſe, cum S. Pater diſerte de Arbore vitæ loquatur. Sed ad rem.

S. Hilarius elucidans illud Pſalmi 68. *Quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt*, inquit: Non pepercerat primo illi de terræ limo Adæ, quem de Paradiſo

poſt

poſt culpam, ne lignum vitæ attingens in æternitate poenæ maneret, eijecit.] S. Gregorius Nazianzenus Orat. 2. de Paſchate: *Inde ex Paradiſo eiectus, & à ligno vitæ ſeparatus Adam* lucratur quidpiam, mortem nempe, ac peccati abſciſſionem, ne malum eſſet immortale: fitque poena miſericordia.] Hæc ille.

S. Chryſoſtomus Homil. 18. de Arbore vitæ ait: Quandoquidem vt exiſtimo, & eſt veriſimile immortalem illum feciſſet: potuiſſetque ipſe *Adam*, ſi voluiſſet, cum alijs etiam de hoc veſci, quod perpetuam illi contuliſſet vitam.] Et paulo inferius: Non poſthac in Paradiſo relinquit Adam, ſed exire inde iubet: monſtrans quòd propter nihil aliud hoc faciat, quam propter miſericordiam qua illum proſequebatur. Nam quia magna intemperantiæ, inquit; indicia exhibuit, præuaricandoque mandatum mortalis factus eſt: ne nunc & lignum quod vitam præbet continuam, attingere audeat, peccaturus perpetuo; ſatius fuerit hinc ipſum eijci: ita vt magis prouidētiæ quàm indignationis fuerit illa eiectio.]

S. Epiphanius apud Lippomanum in Catena, in eandem ſententiam hæc: Quoniam in diminutione erat Adam, noluit eum Dominus viuere in æternum in detrimento.] Theodoretus Quæſt. 40. in Geneſ. Prohibuerat autem ipſi Adamo Deus, non accipere de ligno Vitæ, non quòd inuideret homini vitam æternam: ſed vt peccati curſum cohiberet. Poena igitur illa medicina eſt, non mors.] Procopius in 3 Geneſ. Quòd autem naturaliter inſitum fuerit Arbori vitæ immortalitatem donare, ſatis euidens exemplum eſt Adam, qui vbi vetitum fructum in ventrem demiſit, peccauit & deturbatus eſt de poſſeſſione Paradiſi, ne veſceretur de ligno vitæ, & ſic in æternum viueret.]

Acatius Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus in Græca Catena Geneſis, de Arbore vitæ hæc: Nec vero mirum videri debet, ſi per ſenſibiles arbores immortalitas conferatur, quando & per ſenſibilem Agnum remiſſio peccatorum credentibus datur.]

Seuerianus Gabalenſis Epiſcopus in eadem Catena: Tres arborum differentiæ erant in Paradiſo: vna quidem data illi erat vt viueret: altera vt bene viueret: tertia vt ſemper viueret.] Hoc ipſum docere quoque videntur S. Cyrillus Lib 3. contra Iulianū circa mediū, & S Eucherius Lib. 1. in Gen.

Moſes Bar Cepha Cap. 20. Sunt autem qui ideo Vitæ Arborem appellatam putent, quia vitam immortalem ſuppeditaret ijs qui ex ipſa cibum nutrimentumque caperent: idque diuina quapiam efficientia. Hanc ſententiam firmat Numyſius Philoſophus Chriſtianus ſic ſcribens: En Adam euaſit qualis vnus è nobis ad cognoſcendum bonum & malum. Ne igitur extendat manum ſuam & ſumat de Arbore vitæ, veſcaturque & viuat perpetuo. Non hæc dicebat Deus per odium atque inuidiam: ſed quia indignus eſſet Adamus, qui vitam ſempiternam conſequeretur: quippe contra quem iam ante lata fuerat ſententia: In puluerem reuerteris. Semouit itaque illum ab Arbore vitæ, ne de illa cibum ſumeret, qui cibus diuino illi decreto eſſet aduerſus Hæc ille Philoſophus. Dominus vero Iacobus Sarugenſis Oratione ſua de eiecto Adamo ex Paradiſo, dicit, fieri poſſe, vt arbor illa vitam allatura fuerit immortalem Adamo, ſi de ea ediſſet, propterea quod myſterium

Chriſti

Chriſti in illa lateret, ac proinde occulta quadam efficientia ipſius fructus, ramiq. pollerent, cum Chriſtus ipſe ſuapte natura vita ſit. Et vero hanc ſententiam ait Philoxenus Mabugenſis ſe nolle oppugnare, cum credat Deo omnia eſſe factu facilia.] Hactenus Bar-Cepha.

Citant quoque in eandem ſententiam Anſelmum Laudunenſem in Gloſſa interlineari Geneſ. 3. in illud: Ne forte ſumat de Ligno Vitæ, vbi ſic ait: Impleto electorum numero, guſtaturi erant de Ligno Vitæ, & ſic ad beatum ſtatum migraturi.] Ita ille. Quaſi ſemel deguſtatus fructus Vitæ plenam & abſolutam immortalitatem afferret. Porro rationes quibus hanc ſententiam ſeorſim Bellarminus tuetur, in ſequentibus expendentur. Vide C. 72. & 73.

Lignum Vitæ non habuiſſe vim, plenam immortalitatem homini tribuendi, ſed ex parte tantum. Cap. LXXI.

PERVAGATA multorum ſententia eſt, Lignum Vitæ quodammodo contuliſſe homini immortalitatem, non tamen ſimpliciter. Aiunt enim fructum illum dumtaxat habuiſſe vim roborandi virtutem actiuam ſpeciei, quæ alioqui paulatim retunditur, & diſſipatur tandem; vt videmus in ſenibus, vnde ſequitur mors. Nec vero ſemel guſtatum potuiſſe in ſempiternum facultatem actiuam in ſuo vigore conſeruare, ſed tantum ad certum tempus; quo expleto, vel homo transferretur in cælum, vel opporteret ipſum denuo de fructu Vitæ comedere; vt iterum vis actiua innata firmaretur. Præſentiſſimum igitur contra ſenium, & debilitationem virtutis actiuæ, vnde mors obuenit, Lignum Vitæ, medicamentum proprie erat.

S. THOMAE SENTENTIA. Iuuat hanc totam ſententiam verbis S. Thomæ, qui ſemper omnia diuinè tractauit, explicare: ſic enim 1. P. Quæſt. 97. Art. 4. loquitur: Lignum Vitæ quodammodo immortalitatem cauſabat, non autem ſimpliciter. Ad cuius euidentiam conſiderandum eſt, quòd remedia ad conſeruationem Vitæ habebat homo in primo ſtatu contra duos defectus. Primus enim defectus eſt deperditio humidi per actionem caloris naturalis, qui eſt animæ inſtrumentum. Et contra hunc defectum ſubueniebatur homini per eſum aliorum lignorum Paradiſi, ſicut & nunc ſubuenitur nobis per cibos quos ſumimus. Secundus autem defectus eſt, quia vt Philoſophus dicit 1. de Generatione, illud quod generatur ex aliquo extraneo, adiunctum ei quod prius erat, humido præexiſtenti, imminuit virtutem actiuam ſpeciei, ſicut aqua adiuncta vino, primo quidem conuertitur in ſaporem vini, ſed ſecundum quod magis & minus additur, diminuit vini fortitudinem: & tandem vinum fit aquoſum.

Sic igitur videmus, quòd in principio virtus actiua ſpeciei eſt adeo fortis, quòd poteſt conuertere de alimento non ſolum quod ſufficit ad reſtaurationem deperditi, ſed etiam quod ſufficit ad augmentum. Poſtmodum vero quod adgeneratur, nòn ſufficit ad augmentum, ſed ſolum ad reſtaurationē deperditi. Tandem vero in ſtatu ſenectutis, nec ad hoc ſufficit: vnde ſequitur decrementum, & finaliter diſſolutio corporis. Et contra hunc defectum ſubueniebatur homini per Lignum Vitę. Habebat enim virtutem fortificādi virtutem

ARBOR VITAE VIRTUTEM NUTRIENDI FULCIEBAT.

tutem ſpeciei contra debilitatem prouenientem ex admixtione extranei. Non tamen ſimpliciter immortalitatem cauſabat: neque etiam poterat immortalitatis diſpoſitionem corpori præſtare, vt numquam diſſolui poſſet. Quod ex hoc patet, quia virtus cuiuſcumq. corporis eſt finita: vnde non poterat virtus Ligni Vitę ad hoc ſe extendere vt daret corpori virtutem durandi tempore infinito, ſed vſque ad determinatum tempus. Manifeſtum eſt enim, quod quanto aliqua virtus eſt maior, tanto imprimit durabiliorē effectum. Vnde cū virtus Ligni Vitæ eſſet finita, ſemel ſumptum præſeruabat à corruptione vſque ad determinatum tempus: quo finito, vel homo translatus fuiſſet ad ſpiritualem vitam, vel indiguiſſet iterum ſumere de Ligno Vitæ.] Hactenus S. Thomas.

Ex quibus liquet Lignum Vitæ non tribuiſſe homini immortalitatem ſimpliciter: quia nec arcebat mortem, quæ homini à ferro, igne, aqua, præcipitio, & alijs innumeris caſibus poſſet obuenire: ſed tantum eam quę à ſenio & defectione actiuæ virtutis contingere ſolet. Neq: hanc mortē ſimpliciter in ſempiternū æuum diſpuliſſe: ſed ad certum & præfinitum tempus dumtaxat: vnde præſtitiſſet homini potius, vt poſſet ab hac parte non mori, quàm, vt non poſſet mori: nam etſi ſæpius guſtaſſet, numquam ſimpliciter ad æternū tempus virtus eius actiua firmaretur; ſed ſemper maneret defectibilis; cū ſingulis comeſtionibus non niſi ad determinatum aliquod tempus roboraretur. Hanc eſſe mentē S. Auguſtini fere omnes fatentur: Lib. 14. de Ciuit. Cap. 26. ait: Cibus aderat, *homini in Paradiſo*, ne eſuriret: potus, nē ſitiret; Lignū Vitæ, ne illum ſenectus diſſolueret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vllas moleſtias vllis eius ſenſibus ingerebat. Nullus intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus. Summa in carne ſanitas.] VIS LIGNI VITAE QVAE.

Et Lib. 6. de Geneſ. C. 5. inquit: Corpus Adæ ante peccatum, & mortale ſecundum aliam, & immortale ſecundum aliam cauſam dici poterat: ideſt, mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori. Aliud eſt enim non poſſe mori, ſicut quaſdam naturas immortales creauit Deus: aliud eſt autem poſſe non mori: ſecundum quem modum primus creatus eſt homo immortalis; quod ei præſtabatur de Ligno Vitæ, non de conſtitutione naturæ: à quo Ligno ſeparatus eſt cum peccaſſet, vt poſſet mori, qui niſi peccaſſet, poſſet non mori.] EX S. AVGVSTINO STATVITVR.

Et Lib. 8. de Geneſi Cap. 5. ita ſcribit. Illud quoque addo, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam Arborem Vitę præſtitiſſe, quo corpus hominis ſanitate ſtabili firmaretur, non ſicut ex alio cibo, ſed nonnulla inſpiratione ſalubritatis occulta. Profecto enim licet vſitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cuius vna collyride hominem Deus ab indigentia famis, dierum quadraginta ſpatio vindicauit. An forte credere dubitamus, per alicuius arboris cibum, cuiuſdam altioris ſignificationis gratiam homini Deum præſtitiſſe, ne corpus eius vel infirmitate, vel ætate in deterius mutaretur, aut in occaſum etiā laberetur: qui ipſi cibo humano præſtitit tam mirabilem ſtatū, vt in fictilibus vaſculis farina & oleū reficerēt, nec deficerēt?]

Et Libr. 13. de Ciuit. C. 20. agens de corporibus Adami & Heuæ in Paradiſo, ait: Quæ licet ſenio non veteraſcerent, vt neceſſitate perducerentur ad mortem, (qui ſtatus eis de Ligno Vitæ, quod in medio Paradiſi

cum Arbore vetita ſimul erat, mirabili Dei gratia præſtabatur) tamen & alios ſumebant cibos,&c.] Hæc S. Auguſtinus: eadem habet Lib. 1. de Peccatorum meritis & remiſſione Cap.3.& Lib 2.Cap.21. Eiuſdem ferme verba mutuati ſunt S.Beda,& Strabus in 2. Geneſ.

CVI RECENTIORES SVBSCRIBVNT.

Ergo lignum vitæ non tribuiſſe homini immortalitatem ſimpliciter, ſed quodammodo, vti ex S.Thoma ſuperius explicabamus, affirmant quoque Lyranus, Caietanus, Oleaſtrius, Catharinus, Yſtella, & alij innumeri Recentiores in 2.Geneſ.Petrus Comeſtor in Hiſt. Schol.Geneſ. C.23. Petrus Lombardus 2.Sent.Diſt. 29.§.7.B.Albertus Magnus 2.Parte Summæ Theologiæ Quæſt.79.S.Thomas 2.Sent.Diſt.19.Q.1.Art.4.& fere omnes Theologi Scholaſtici: Explanatores quoque S.Thomæ in 1.P.Q.97.Art.4.vt Caietanus, Bañes, Cumel, Gregorius de Valentia: Toſtatus verò in 13.Geneſ.Quæſt. 175. & 176. qui alijs viſus eſt ſentire contrarium, ſtat ab hac ſententia proculdubio. Quam cum attentius ipſe conſidero, prudentiſſime dictam non ambigo: ſed operæpretium fuerit eandem notis quibuſdam illuminare.

I. Pererius Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 3. de Arbore Vitæ, probat eam Arborem non habuiſſe vim conferendi homini immortalitatem ſimpliciter; quòd alioqui fruſtra eſſet, cum homo non eſſet victurus ſemper in terris: quo etiam argumento putat, homini in ſtatu innocentiæ non adfuiſſe, nec ex alijs cauſis immortalitatem ſimpliciter, & in ſempiternum: ſed ad tempus dumtaxat illud quo transferendus eſſet in cælum: ſic enim ipſe credit Lib. 5. in Geneſ. Diſput.4.Quæſt.3. At eſt parum ſolida ratio: cum reuera non parua perfectio ſit, ſic munitum hominem in ſtatu innocentiæ immortalitate abſoluta & plena futurum, vt etiam ſi numquam euehendus eſſet ad ſuperos, tutus & intactus ab omni corruptione in infinitum æuum perduraret. Et melior ſententia Theologorum docet, hominem in ſtatu innocentiæ ſimpliciter immortalem futurum: ac vim illam efficientem illo in ſtatu, hominis immortalitatem, de ſe ſufficientem fuiſſe ad ſeruandum hominem immortalem in æternum tempus. Vide Bañes, & Cumel in 1.P. Q.97. Art. 1.

ETIAM SI HOMO NVNQVAM TRANSFERENDVS ESSET IN CAELVM, VIRTVTE TAMEN LIGNI VIXISSET IN AETERNVM.

Idem Pererius ſecutus Scotum, exiſtimat virtutem actiuam ſpeciei hominis in ſtatu innocentiæ, ſi pluries homo ex Ligno Vitæ per longiſſima temporum interualla ſumpſiſſet, proculdubio aliquo modo debilitandam; cum etiam conuertendo fructum Vitæ in ſubſtantiam aliti, opportuiſſet ipſam aliquem defectum ſentire; ſiquidem omne agens, agendo ſæpius, debilitatur. Additque idem Auctor hæc verba: Nec opinor ex vllo cibo vel medicina poſſe fieri calorem & humorem natiuum ita perfectum & purum, ſicut eſt ab ortu hominis.] Sic ille.

II. At Caietanus & Bañez in 1. P. Quæſt. 97. Art. 4. fatentur ingenue, quod attinet ad ſolam ipſam vim Ligni Vitæ per ſe, debilitari quidem potuiſſe ex eſu eius virtutem nutrientem, cum id ſit naturale innato calori cum vertit alimentum in ſubſtantiam hominis: numquam tamen in ſtatu innocentiæ minuendam fuiſſe, quòd virtute animæ continentis corpus, huic qui oriri poſſet incommodo, obuiaretur abunde: nam tunc anima, in qua potiſſimum cauſa immortalitatis corporis ſita erat, vi quadam efficiebat, ne virtus nutritiua labefieret, aut minimum læderetur ab eſu Ligni Vitæ.

Fortaſsis iſta alicui probentur: at nobis nec iſta Caietani, nec illa Pererij vllo

vllo modo placent. Nam ſi virtus nutriens & calor ille natiuus hominis per primos viginti vitæ annos ſæpeſæpius agens in alimentum, non frangitur, aut quouis pacto minuitur: ſed potius increſcit: vireſque maiores capit in dies; quid eſt quod tam leui argumẽto repatiendi, exiſtimemus, Lignum Vitæ non eam habuiſſe vim, vt quoties ſumeretur, nedum non debilitaret virtutem nutriendi vel minimum, ſed potius ipſam firmaret, roboraretque vſq. ad longiſſimum præfixum aliquod tempus? Nam ſi Deus innato calori eam vim inſeuit, vt per viginti annos continuo agens, nunquam debilitetur, ſed fortior vegetiorq. ex die in diem euadat; cur non potuit Ligno Vitæ eas vires indere, vt calorem innatum abſque vlla læſione integrum per mille aut duo millia annorum conſeruaret? Quid hic Deo factu impoſsibile? Erat medicamentum fructus Vitæ, ad hoc proprie inſtitutum, vt vim actiuam ſpeciei foueret, firmaretque integre: erat efficax & præſentiſsimum: erat ad certum præfixe tempus: Si virtus ſpeciei, in ſtatu innocentiç ad primum vſque eſum Ligni Vitæ manſit intacta, nec vel minimum debilitata; (aliud enim nihil in ſtatu illo fieri potuiſſe, mox dicemus) equidem opportebat vt Lignum Vitæ primum guſtatum, ſic firmam & vegetam eandem, vti inuenerat, ad certum tempus conſeruaret: & ſic deinceps, abſque vlla vmquam vel leuiſsima diminutione. Indicauit iſta Franciſcus Cumel in Comment. 1. P. Q. 97. Art. 1. ad finem. VIRTVS ACTIVA SPECIEI NVMQVAM EX ESV LIGNI MINVERETVR.

Hanc eſſe mentem S. Thomæ, nequaquam dubito; nam cum ipſe nullo pacto admittat vllam debilitationem virtutis ſpeciei in ſtatu innocentiæ re ipſa futuram, vt ſtatim dicemus: & hunc effectum conſeruandi integram & illibatam eãdem facultatem, proprie Ligno Vitæ tribuat; proculdubio ſenſit, etiam ſi millies homo per longiſsima temporum interualla de fructu Vitæ guſtaſſet, eam vim illi fructui proprie affixam, ita firmandi calorem natiuum, vt nullo modo virtus actiua ſpeciei ex eius eſu debilitaretur.

Iam illud axioma, Omne agens agendo repati: certum eſt intelligi, non ſemper de repaſsione debilitante aut deſtruente, vel dimouente ſubiectũ à naturali ſua diſpoſitione: ſed etiã interdũ de paſsione perficiente: nam quid minuitur aut debilitatur ignis cũ ei magis ac magis combuſtilia bene diſpoſita, & opportune inijciuntur? Creſcit potius & maiores ſuſcipit vires. Quid calor innatus puerilis, vel adoleſcens ex ingeſtis cibis detrimenti accipit? Coaleſcit magis & roboratur. Sunt hæc perſpicua. Vide S. Thomam 1. P. Q. 97. Art. 3. ad 2.

III. LIGNVM VITAE NON RESARCIEBAT SED ROBORAT VIRTVTEM SPECIEI.

Illud vero opportune monendũ, Cum ex Thoma docemus, Lignum Vitç proprie habuiſſe vim roborãdi virtutẽ hominis cõtra debilitatẽ prouenientẽ ex admiſtione extranei; nõ eſſe intelligendũ quaſi in ſtatu innocẽtiæ ex ętate, fęculẽtia ciborũ, vel alijs cauſis debilitata re ipſa interdũ virtute ſpeciei, reſarciendã & reſtaurandã fuiſſe per arborẽ Vitæ: qua ratione intellexiſſe videntur Toſtatus in 2. Geneſ. Scotus, Pererius, & Cumel locis citatis: ſiquidẽ vt recte docet S. Thomas 1. P. Qu. 97. Art. 2. & Caietanus atque Bañez in 4. Art. alijq. pleriq. homo in ſtatu innocentię nihil paſſus fuiſſet vel in anima, vel in corpore, quod eũ à ſua naturali & conuenienti diſpoſitione remoueret: at debilitatio illa virtutis ſpeciei, perſpicue dimouet hominem à naturali diſpoſitione, & integritate naturę conſentanea: nec minus dedeceret innocentię

centiæ ſtatum, quàm ſenectus. Ergo quod S. Auguſtinus ait, Lignum Vitæ præſtaſſe ne ſenectus hominem diſſolueret: & quod S. Thomas, aliiq. Theologi, fortificaſſe virtutem ſpeciei contra debilitatem, occurriſſeq. huic defectui; interpretandum eſt, inquit Caietanus, non qui fuit, ſed qui fuiſſet, niſi Lignum Vitæ præueniſſet: ita quòd ſuccurrebat huic defectui præueniendo ne accideret eiuſmodi debilitatio: non tamen reſtaurando deperditum, aut reficiendo labefactatum. Hoc ipſum quoq. annotauit Bañes. Quocirca ſi virtus illa Arboris conſeruabat integram virtutem actiuam ſpeciei ad ſpatium v. g. mille annorum, paulo ante quàm illud tempus impleretur, opportune ſumendus eſſet iterum fructus Vitæ, vt in alios mille annos virtus ſpeciei integra perduraret: & ſic deinceps: nec dandum fuiſſe locum vt poſt expletum illud tempus, non ſumpto fructu Vitæ, virtus ſpeciei debilitaretur.

IV. Si, vti diximus, Lignum Vitæ homini non afferebat plene & abſolute immortalitatem, vnde ergo homo in ſtatu innocentiæ eſſet ſimpliciter immortalis? Prolixa quæſtio, nec noſtri inſtituti, qui tantum de vi & efficacitate Ligni Vitæ diſſerimus: breuiter tantum dicamus: Iuxta S. Thomæ doctrinam, immortalitatem hominis illo in ſtatu promanaſſe ex quadam virtute ſupernaturali animæ, diuinitus eidem à Deo inditæ: & hanc non aliquid reipſa, diſtinctum fore à iuſtitia originali. Ergo ex pluribus cauſis, quas ſecum originalis iuſtitia complectebatur, immortalitas hominis reſultabat. Prima, erat, ſolers & attenta cura, & vigilantiſſima prouidentia hominis in his cauendis quæ eius vitæ & integritati, ſiue interius ſiue exterius incommodare potuiſſent: quod facile præſtare poterat, cum eſſet rerum omnium ſcientiſſimus, atq. prudentiſſimus, ſinguloſq. incidentes euentus proſpiceret. Secunda erat, ſingularis & eximia Dei prouidentia, & Angelorum cuſtodia, quibus homo valide muniretur aduerſus ingruentia. Hanc innuit S. Thomas 1, P. Q. 97. Art. 2. ad 4. Tertia erat, Lignum Vitæ, per quod arcebatur defectio virtutis ſpeciei, vt explicauimus. Quarta erat, vis quædam animæ quæ ita contineret & conſeruaret corpus, vt ipſum nihil intra lædere aut diſſoluere poſſet: nempe vt nulli morbi, nulla intemperies, nullum ex contrarietate formæ & priuationis, humorum, elementorum, qualitatum, partium ſimiliarium & diſſimilarium, incommodum oriretur. Hæ igitur quatuor cauſæ veluti per ſe partiales, ſimul ſumptæ reddebant vnam plenam ac integram abſolutæ immortalitatis hominis in ſtatu innocentiæ. Vide de his plenius diſſerentes Toſtatum in 13. Geneſ. Q. 168. 169. 170. 171. & 172. Bañes, Cumel, Valentiam in 1. P. Q. 97. Art. 1. Pererium Lib. 5. in Geneſ. diſput. 4. Quæſt. 2.

Vnde homini tunc immortalitas.

V. Nunc expendi velim quæ vir diſertus Bellarminus de Ligno Vitæ docuit: aiebat enim vim illi adfuiſſe perfectam immortalitatem afferendi: præterea eam virtutē eiuſmodi fuiſſe vt nullo modo homo, guſtato fructu, mori poſſet, nec à ſenio, nec à febre, peſte, fame, ferro, præcipitio, aliiſque innumeris caſibus: deniq. non fuiſſe homini ſumendum, niſi ſemel quando ſcilicet transferendus eſſet de ſtatu gratiæ ad ſtatū gloriæ. Multa hic non intelligimus. Primū, quid, aut quorſū neceſſe erat hominē non guſtare fructum vitæ, niſi cum transferendus erat in cælū? Quid opus erat tūc guſtare, vt perfectā immortalitatē ſtatus gratiæ cōſequeretur; cū tūc ad meliorē immortalitatē ſtatus gloriæ trāſiret? Niſi ſentiat virtutē illa Ligni ſymbolicā tantū, nō realē fuiſſe,

Notantur quædam Bellarmini.

quòd non credo virũ doctum exiſtimaſſe. Nã quæ ex Anſelmo Laudunenſi in Gloſſa interlineari afferebat, vel ſunt myſtica, vel prorſus improbabilia.

Deinde, quam vim plenæ immortalitatis tunc ſemel eſum afferret: cum ea immortalitas quam tunc nanciſceretur, non à Ligno Vitæ, ſed à ſtatu gloriæ perſpicue promanabret? Inſuper, paradoxum valde eſt, Lignum Vitæ ſeruaſſe hominem immunem ab ea morte quæ homini vel à ferro, vel à præcipitio, aut ſuffocatione, alijſque plurimis caſibus contingere poteſt; nec enim natura rei, nec ratio diuinæ prouidentiæ patitur, vt qui edat de Ligno Vitæ, ferro, aut præcipitio non poſſit extingui: prouidentiſſimus ſiquidem Deus virtutes naturales aut ſupernaturales rebus inſerit, nõ alienas, diſparatas; ſed congruas, & conſentaneas earum naturis. Quid ad rem facit eſus Ligni Vitæ, vt gladio quis transfigi nequeat, aut aqua obrutus perire non poſſit? Ridemus Poetarum fabulas de hominibus, hedrarum ſuccis, incantata cute, ad omnes ictus, imo & mortes impenetrabilibus.

Denique, ſi vis Ligni Vitæ à quocumque genere mortis ſeruabat hominem tutum, hicque erat proprius effectus eius, & non erat ſumendum niſi ſemel, quando homo transferendus erat in cælum; igitur toto illo tempore anteriori obnoxius erat cuicumque generi mortis: cum illud vnicum aduerſus omnes mortes præſidium nondum præſumpſiſſet.

Num vis illa Ligni Vitæ fuerit naturalis, vel ſupernaturalis: ſimulque explicantur verba Dei Geneſ. 3. Verſ. 22. Ne forte ſumat Adam de Ligno Vitæ, & viuat in æternum. Cap. LXXII.

I. VIM LIGNI VITAE NON FVISSE NATVRALEM, QVI DICANT.

VIM illam Arboris Vitæ, conſeruandi virtutem actiuã ſpeciei hominis, fuiſſe ſupernaturalem ac diuinitus inditam, ad eum modum quo Sacramentis Euãgelij ineſt virtus effectrix gratiæ, docent plerique Scholaſtici Theologi, S. Bonauentura in 2. Sententiarum Diſt. 17. & 19. Petrus de Tarantaſia, & Gabriel Bielus ibidem: Bellarminus Lib. de Gratia primi Hominis, Cap. 15. diſerte eandem ſententiã tuetur. Patrũ nonnulli facere pro ea videntur. Acatius in Græca Catena Geneſ. 2. de Arbore Vitæ ait; Nec mirum videri debet ſi per ſenſibiles arbores immortalitas conferatur, quando & per ſenſibilem Agnũ remiſſio peccatorũ credentibus datur.] Iacobus Sarugenſis Oratione de eiecto Adamo ex Paradiſo: Arbor illa vitam allatura fuerat immortalem, propterea quòd myſterium Chriſti in illa lateret: ac proinde occulta quadam efficientia ipſius fructus polleret, cum Chriſtus vita ſit.]

S. Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi C. 5. inquit, eam Arborem, non vt alium cibum, ſed nonnulla ſalubritatis occultæ inſpiratione præſtitiſſe homini firmitudinem, ſicut vna collyrida panis Eliam quadraginta dies aluit: & farina oleumq. viduæ Sareptanæ non deficiebant: at virtus collyridæ ſupernaturalis erat, vt etiã olei, & farinæ non deficientis. Et Lib. 13. de Ciuit. Cap. 20. ait: Cetera ligna erant homini alimento, illud Vitæ, ſacramento.] Theodoretus Quæſt. 26. in Geneſ. Quemadmodũ Lignum Crucis ſaluare dicitur propter ſalutem naſcentem ex fide, quæ de eo eſt; ſic Lignum Vitæ nominatum eſt.]

Et

Et poſt alia: Similiter aqua viua vocatur Baptiſma, nō quòd aqua Baptiſmatis aliam habeat naturam, ſed quia per illam aquam diuina gratia donat vitam æternam: ita Lignum Vitæ diuina ſententia vocatum eſt.] S. Beda in 2. Geneſ. Lignum Vitæ dictum eſt, quia diuinitus acceperat, vt qui ex eo manducaret, corpus eius ſtabili ſanitate firmaretur, ne vel ætate in deterius, vel tandem in occaſum dilaberetur.] Hæc ille.

QVI NATVRALEM. Alij vero exiſtimarunt, vim illam Arboris Vitæ fuiſſe naturalem & genuinam: ita Marſilius in 2. Sent. Quæſt. 12. Art. 3. Pererius Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 4. de Arbore Vitæ, & alij. Quam ſententiam Bañes vocat valde probabilem, eidemq. aſſentiri ait aliquos ex diſcipulis S. Thomæ: Cumel hāc oppoſita probabiliorem cenſet: nec abnuunt vetuſtiores. Procopius Gazæus in 2. Geneſ. ait: Quòd autem naturaliter inſitum fuerit Arbori Vitæ, immortalitatem donare, ſatis euidens exemplum eſt Adam, qui vbi peccauit, deturbatus eſt de poſſeſſione Paradiſi, ne veſceretur de Ligno Vitæ, & ſic in æternum viueret.] Strabus Monachus in 2. Geneſ. Lignum Vitæ hanc naturaliter virtutem habebat, vt qui ex eius fructu comederet, perpetua ſoliditate veſtiretur, nulla infirmitate vel anxietate, vel ſenij laſſitudine fatigandus.] Hugo de S. Victore in Annotationibus ad 2. Geneſ. Lignum Vitæ habuit in ſe naturam, vt perpetuaret homini vitam ſi competenter ederetur. Deus munierat eum intus per Lignum Vitæ ſumptum in cibum, & extra per diuinam potentiam, vt poſſet non mori.] Hæc ille.

Verum quænam de hac re fuerit S. Thomæ ſententia, Bañes ex locis eius non poſſe aperte colligi, aſſerit. Cumel magis conformem menti illius reputat eam opinionem quæ vim Arboris Vitæ naturalem docet. Pererius hanc eſſe S. Thomæ ſententiam eo argumento demonſtrat, quòd S. Thomas, vti ſuperiori Capite vidimus, inde probat Lignum Vitæ nō potuiſſe tribuere homini virtutem durandi tempore infinito, quia virtus cuiuſcumque corporis eſt finita: & quanto aliqua virtus eſt maior, tanto imprimit durabiliorem effectum. At hæc argumentatio inualida eſt, ſi virtus Ligni Vitæ eſſet ſupernaturalis: nam quis dubitet virtute ſupernaturali potuiſſe Arborem Vitæ, hominis vitam tempore infinito conſeruare? Si autem virtus Arboris ponatur naturalis, ratio S. Thomæ eſt validiſſima. Placet Pererij iudicium. Præceptor noſter Yſtella in 2. Geneſ. ab hac parte putat eſſe S. Thomam, cui ipſe quoque ſubſcribit.

QVOD VERIVS ESSE NVR. Nos re diligentius inſpecta, arbitramur vim illam Ligni Vitæ naturalem fuiſſe: & hoc ipſum ſenſiſſe S. Thomam. Ducimur cumprimis ea ratione, quòd etiam poſt Adæ peccatum eadem virtus Arbori Vitæ adhæſerit: etſi ex eius fructu guſtaſſet Adamus poſt lapſum, ſenſiſſet profecto effectum virtutis, vt mox demonſtrabimus: at ſi tantum diuina & ſupernaturalis fuiſſet virtus illa, nec perſeueraſſet in Arbore poſt Adæ peccatum, nec ſortiretur effectum niſi homine in originaria iuſtitia perdurante, ac digno exiſtente qui veſceretur. Nam eiuſmodi ſupernaturales virtutes rebus à Deo affuſæ, non ſolent illis inhæreſcere quaſi qualitates fixæ ac permanētes: ſed raptim tantum & ad modum motus, nempe dum rite peragitur actio: eius generis ſunt, virtus miraculorum, cum Sanctis Deus vtitur tamquam inſtrumentis ad patranda miracula, virtutes gratiam efficiendi inditæ Sacramentis nouæ Legis,

Legis, & aliæ. Quocirca vt virtus Sacramenti non confert gratiam indigne ſumenti; ſic nec virtus Arboris Vitæ ſi tantum ſupernaturalis fuiſſet, homini tribuiſſet vitam niſi in ſtatu illo innocentiæ, cum proprie pro illo ſolum ſtatu inſtituta fuiſſet. Dices, Si naturalis vis illa fuit, igitur animalia quæ in Paradiſo ex fructu Vitæ ediſſent, produxiſſent vitam in longiſſimum tempus. Reſpondeo, non fuiſſe ibi animalia vt Cap. 64. diximus: & ſi fuiſſent, non erat fructus vitæ medicamentum conueniens temperamento illorum: potuiſſet quidem illis prodeſſe in alimentum, ſed non in medicamentum: multa enim medicamina humano corpori mirifica, in belluina nihil penitus operantur.

Patres vero, qui ſupernaturalem innuiſſe viſi ſunt, facile poſſint in bonum ſenſum reduci; haud eos illam proprie ſupernaturalem ſenſiſſe, ſed inter naturales ſingularem & extraordinariam, & quæ naturæ eximium miraculum exiſtimari poſſit, ſimilemque quodammodo extitiſſe virtutibus ſupernaturalibus: & in ſe continuiſſe ſacramentum, hoc eſt, myſtice adumbraſſe vitam æternam gloriæ.

Iam illud tractatione dignum, Num eadem virtus in integrum quæ inerat arbori Vitæ in ſtatu innocentiæ, manſerit in eadem Arbore poſt lapſum Adæ: & ſi Adam ex ea poſt peccatum guſtaſſet, totum illius effectum hauſiſſet. Caietanus in 1. P. Q. 97. Art. 4. aperte dicit, in ſtatu innocentiæ homines immortales victuros per Lignū Vitæ, quia ex ſumptione Ligni Vitæ nulla in eis debilitatio virtutis nutritiuæ contigiſſet: ſiquidem per vim animæ, corpus agendo in nutrimentum non repareretur ab eo: at poſt peccatum, quia aberat peculiaris uis illa animæ, debilitatio in nobis ſequeretur ex eſu illius Ligni: unde non uiueremus immortales ex illo, ſed longo valde tempore. Ab hac ſententia non multum abire uidentur Bañez, & Cumel: quam diſerte habet S. Bonauentura in 2. Sent. Diſt. 19. q. 2. Art. 2. ad ultimum. II.

NVM MANS'ERIT POST PECCATVM.

At nos qui ſuperiori Capite docuimus, natiuam ac propriam uim adfuiſſe fructui Vitæ conſeruandi uirtutem actiuam ſpeciei integram abſque ulla debilitatione ad certum aliquod uſque longiſſimum tempus: hunceq; proprium ac naturalem eius effectum extitiſſe: cum Deum certum ſit nihil de natura Arboris Vitæ, eiuſque genuinis proprietatibus poſt peccatum Adami demutaſſe: non dubitamus aſserere, eandem prorſus uim integram Arbori Vitæ manſiſse poſt lapſum Adæ: & quod ad eius proprium & natiuum effectum nude attinet, ſi Adamus ex illa poſt lapſum comediſset, totum illum haud dubie percepiſset; uitamque in longiſſimum tempus protraxiſſet: nullo tamen pacto futurum immortalem ſimpliciter: cum caruiſset iuſtitia originali: & potuiſset mori ex mille alijs innumeris cauſis, puta ferro, peſte, igni, beſtijs, præcipitio, aqua &c. ſolum enim Lignum Vitæ arcebat mortem quæ ex ſenio & defectione uirtutis ſpeciei contingere ſolet: itaque ab hac parte tantum, ſi pluries guſtaſset, ſecundum quid maneret immortalis: nempe iterum atque iterum ſumendo, intactus ſemper à ſenio: at ab innumeris alijs partibus morti obnoxius & expoſitus, cumuliſque miſeriarum oppletus.

Verum hæc apertius intelligentur, ſi uerba illa Geneſ. 3. 22. *Nunc ergo ne forte mittat manum ſuam,* Adam, *& ſumat etiam de Ligno Vitæ, & comedat, &*

viuat

viuat in æternum. tantiſper expendamus. Nullus profectò ex Scriptura certo coniectari potuiſſet, cur illud dictum fuerit Lignum Vitæ, & quam vim habuerit, niſi Deus iſta verba dixiſſet, quæ poſt lapſum Adæ certum eſt ipſum protuliſſe: ex quibus intellectũ eſt, ei Arbori vim affuiſſe conſeruandi vitã in æternum, ſaltẽ ante peccatũ Adæ, ſiue ironice ſiue ſerio Deus locutus fuerit. Quidam verba iſta ironice à Deo prolata interpretantur, quaſi irridens, dixerit: Scilicet, vt Adam inuitis nobis & nolentibus, euaſit noſtræ naturæ ſimilis, ſciens bonum & malum; nunc forſan curabit ſedulò, vt tanta eius dignitas & maieſtas duret in æternũ, comedendo ex Ligno Vitæ, propter quod nos inuidia rumpamur. Sed deludit ſe plane miſer. Ita Catharinus, cuius expoſitionem iuuat, quòd verba illa Dei proxime antecedentia; *Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis, ſciens bonum & malum*. per ironiam dicta intelligant S. Epiphanius, S. Chryſoſtomus, Theodoretus, Moſes Bar-Cepha: ex Recentioribus Lyranus, Toſtatus, Steuchus, Oleaſtrius, Caietanus, Vatablus, Clarius, Pererius, Sà, & ferme omnes. Nec ab hac mente abſunt S. Auguſtinus Lib. 11. in Geneſ. Cap. 39. & S. Thomas 2. 2. Quæſt. 164. Art. 4. ad 7. cum aiunt illa verba Dei, *Ecce Adam &c.* non tam fuiſſe inſultantis, quàm ceteros, ne ita ſuperbirent, exemplo deterrentis, quòd non ſolum Adam non fuerit factus, qualis fieri voluit: ſed nec illud quod factus fuerat, conſeruauit. Agnoſcunt enim ironiam & contrarium verbis ſenſum, ſed non inſultantis, ſed dolentis & commonentis. Ergo ſi in ſequentibus verbis; *Nunc ergo ne forte mittat manum &c.* ſit ironia, duplex ſenſus cõcipi queat: Primus, vt ironia inſit verbis *mittat*, *ſumat*, *comedat*, q. d. Nihil minus fiet quàm vt mittat, ſumat, comedat; mox profligandus ex Paradiſo. Alter, vt ironia inſit illi clauſulæ, *& viuat in æternum*. Ac ſi dicat: Et ſi comederit, non eſt periculum vt viuat in æternum, cum iam iuſtitia originali exciderit, nihilq. illi profuturum ſit Lignum Vitæ, per peccatum facto morti obnoxio. Primo ſenſu non negatur virtus Arboris Vitæ poſt peccatum. Secundo verò & negari poteſt, & concedi: negari, ſi dicat: Nihil ei proderit Lignum Vitæ vt viuat in æternum, quia per peccatum euanuit virtus eius omnis. Concedi autem, ſi dicat: Nihil ei profutura eſt vis Ligni Vitæ ad vitam ſempiternam, etſi totam eam virtutem edendo hauriat: nam quãuis per eam liberari poſſet, ſæpius edendo, à morte quæ ex ſenio & defectione virtutis actiuæ ſpeciei contingit: at non propterea immunis erit ab innumeris alijs mortium generibus, quibus, amiſſa originali gratia, ſe fecit obnoxium.

VARII SENSVS VERBORVM DEI.

At quamquam priora illa verba, *Ecce Adam factus eſt &c.* cum cœtu Interpretum, ironice accipienda non dubitemus: numquam tamen crediderimus poſteriora illa: *Nunc ergo ne forte mittat manum ſuam &c.* per ironiam à Deo fuiſſe pronuntiata. Siquidem S. Irenæus, S. Hilarius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Epiphanius, S. Chryſoſtomus, Theodoretus, quorum ſententias Cap. 70. poſuimus, hæc verba aſſerentis, & commiſerantis Dei eſſe interpretantur: quaſi Deus noluerit Adamum poſt peccatum guſtare fructum Vitæ; ne euaderet immortalis, vitamq. ſempiternam in ærumnis perpetuis agere cogeretur. Eodem ſenſu aſſertiuo & abſoluto, non ironico hunc locum ferme omnes exponũt, Lyranus, Toſtatus, Clarius, Yſtella, & alij. Quod autẽ verba illa, *Et viuat in æternũ*. nõ ſint ironica, cõficitur aperta ratione, quã Cherubi &

MELIOR SENSVS, SINE IRONIA.

flammeus

flammeus gladius appoſiti mox à Deo ad cuſtodiendā viam Ligni Vitæ, ne illuc Adam eſurus peruaderet,ſatis indicant, Deum non ironice,ſed ſerio & abſolute locutum: ac ſi dixiſſet:Ne Adamus comedat & viuat in æternum, eijciamus eum ex Paradiſo, Arboremque acri cuſtodia muniamus; quod & fecit.

Ergo Patres illi quos Cap.70.produximus, Arbori Vitæ, vti ante peccatum affuerat, ita quoq. poſt lapſum Adæ veram & realem virtutem manſiſſe,vitam immortalem homini tribuendi,ſatis diſerte prodiderunt. Quibus accinuit quoq. Auctor Quæſtionum Veteris & Noui Teſtamenti, Auguſtini nomine venditatus:qui Qu. 19.hæc ait: Guſtus Arboris Vitæ corruptionem corporis inhibebat. Deniq. etiam poſt peccatum potuit indiſſolubilis manere, ſi modo permiſſum eſſet illi edere de Arbore Vitæ.] Hæc Auctor. Cuius Opus et ſi multis ſcateat erroribus, quos Academia Louanienſis initio eius Libri annotauit, Tomo 4.Operum S.Auguſtini,à multiſq.Auguſtini nomine indignus,hæretico Auctori tribuatur:at ſæpius à S. Thoma nomine Auguſtini citatus reperitur: nec prorſus ob vetuſtatem repudiandus. Hugo de S.-Victore in Geneſ. 3. elucidans illud: Nunc ergo ne forte &c. ait: Hinc innuitur,quòd etiam poſt peccatum ſi comederet homo de Ligno Vitæ,fieret immortalis.]Hæc ille. VIRTVTEM FRVCTVS VITAE MANSISSE POST PECCATVM.

S. Thomas 1.P.Q.97.Art.4.vltimis verbis, hunc & alios Auctores interpretans,ait,eos exiſtimaſſe,Lignum Vitæ cauſaſſe immortalitatem,non ſimpliciter,ſed aliquo modo,eo nimirum quo ipſe explicat, vt præcedenti Capite vidimus:nempe protraxiſſe vitam ad certum tempus, quo expleto, ſi iterum ederetur, de nouo quoq. vitam extenderet in aliud præfixum tempus;& ſic deinceps:quod attinet quidem ad arcendum dumtaxat mortem, quæ ex ſenio, vel deliquio virtutis actiuæ ſpeciei ſolet obrepere. Et hanc eandem virtutem adhęſiſſe Ligno Vitę etiam poſt Adę lapſum, ex Patribus intellexiſſe S.Thomam, cum verba Geneſ. 3. *Ne viuat in æternum.* & aſſerti Auguſtini,quæ ſunt de homine poſt lapſum, eo ſenſu quem diximus, exponat;ſatis aperte diſpicere cuiq. in promptu licet.In quam quoq. ſententiam reducendos arbitramur B.Albertum Magnum in 2.Sent. Diſt. 19. & Marſilium ibidem,alioſq. Theologos,qui docent Lignum Vitæ poſt peccatū Adę, habuiſſe virtutem tribuendi homini immortalitatem. Ab eadem mente eſt quod S. Thomas in 2.Diſt.29.Q.1.Art.5.ad 4.& ad 5.ait, Henoch & Eliam nunc in Paradiſo,eſu Ligni Vitæ prolongare vitam. ID S. THOMAS, ET ALII SENSERVNT.

Aegre tulit Bellarminus in hunc ſenſum interpretari Patres: quia ſi Lignum Vitæ non habuiſset aliam vim, quam roborandi & conſeruandi virtutem nutrientem,non ſolum non feciſset poſt peccatum Adæ homines immortales, ſed parum omnino profuiſſet ad vitæ diuturnitatem. Si quidem poſt lapſum Adę maxima pars hominum extinguitur ante ſenium, febre, peſte, fame, ferro, præcipitio, alijſque innumerabilibus caſibus: rariſſimi ſunt qui ſenio moriuntur. Patres autem illi dicunt, homines poſt peccatum futuros plane immortales, & perpetuo miſeros, ſi Lignum Vitæ attingere potuiſsent. Sentiebant igitur Patres Lignum Vitæ non ſolum virtutem nutriendi roboraſse, ſed perfectam immortalitatem attuliſse.

RESPONDETVR BELLARMINO.

At ego non video Patres de vniuerſo genere humano locutos, ſed ſingulariter de Adamo, cui in pœna Deus miſcuerit hanc miſericordiam, ne guſtato fructu vitæ, in æternum viueret in miſerijs. Sane in Adami ſingulari perſona, nulla mors certior & euidentior quàm à ſenio: nam reliquæ facilè potuiſſent ab ipſo caueri, qui rerum omnium ſcientiſſimus, & prudentiſſimus, optimæque temperaturæ à Dei prodibat manibus, & ingruentia extrinſeca noſſet anteuertere. Sed fac Patres de toto genere verba feciſſe: haud difficulter dicimus, voluiſſe Deum, vtcumque res cederent, neque ab hac parte, nempe præſeruatione mortis ſenij, homines futuros immortales. Et hoc dumtaxat intellexiſſe Patres: nec tum parum profuiſſet Lignum Vitæ, ſaltem prioribus illis mundi originarij ciuis; nam ſecum quiſque reputet, quot morbi, ægritudines, caſus ex defectione virtutis actiuæ humanæ ſpeciei oriantur: & ſi ſcirent homines ſe ab hac parte immortales, facilè pleroſque alios caſus, & mortis cauſas vitaſſent. Quòd enim temere nunc ruant in bella, pericula, euenta, eſt, quia norunt ſe vel iſto, vel illo tandem modo caſuros: nec diu in terra victuros: ſicq. plerumq. quia vitam non poſſunt, curant omni modo, interdum quoque per mortium compendia immortalitatem nominis conſeruare.

OLAM QVID HEBRAEIS.

At qui exiſtimo, Patres non aliud voluiſſe dicere, niſi quod Deus ſuis illis verbis expreſſit: *Ne forte comedat, & viuat in æternum*. proinde verbum illud *In æternum*, eſt accurate expendendum. Hebraice *Leolam*. de qua voce. S. Hieronymus in 1. Cap. ad Galat. hæc ait: *Olam*, vbi *Vau* litteram poſitam habuerit, æternitatem ſignificat: vbi vero ſine *Vau* ſcribitur, annum quinquageſimum, quem Hæbræi Iobileum vocant.] Irriſit hanc S. Hieronymi obſeruationem Mercerus ſic ſcribens in Theſauro: Vanum eſſe quod Hieronymus in Epiſtolam ad Galatas notat, *Olam* cum *Vau*, æternitatem, ſine eo, tempus finitum ſignificare, oſtendunt paſſim ſexcenta Scripturæ loca.] Hæc ille, pro hæretico more palam impudenter. Vnde enim certo habemus in locis illis Scripturæ vbi vox *Olam*, ſignificat Iobileum: non fuiſſe tempore S. Hieronymi ſcriptam ſine *Vau*? fuiſſeque hanc tunc eruditorum annotationem, *Olam* cum *Vau* æternitatem, vel longum tempus; *Olam* vero ſine *Vau* peculiariter Iobileum, hoc eſt, quinquaginta annos ſignificare: nec ſi poſtea Maſſoretæ aut ſcribentes, quod eſt factu facillimum, pro commoditate ſcribendi, hoc loco addentes, alio detrahentes *Vau*, (cum nihil eiuſmodi varietas ſenſui noceat) diſcrimen illud confuderint, quidquam S. Hieronymi obſeruationi præiudicare debet.

לעלם
עולם
ו
עולם
ו
עלם
עולם
ו
עלם
ו

Dixerunt alij, S. Hieronymi diſcrimen verum quidem eſſe, ſed non perpetuum, cum ſæpe fiat in ſcribendo confuſio. Hoc ſane loco Geneſis, *Olam*, ſine *Vau* ſcribitur, vt poſſit illa detractio *Vau* indicare, haud hic eſſe ſermonem de plena & abſoluta æternitate: ſed de diminuta, hoc eſt, longiſſimo tempore. Quocumq. nunc modo ſcribatur, peruagatum eſt inter eruditos, *Olam*, proprie in Scriptura ſignificare diuturnitatem & duratione͂ temporis, homini abſconditam & occultam; nam radix *Alam* eſt abſcondere. Interdu͂ indicat æternitatem infinitā ſine principio & fine, vt cum de Deo dicitur: aliquando longiſsimu͂ aut longius tempus, vt ab orbe condito ad aliud tempus notabile, ſic Geneſ. 6. 4. interdu͂ ab aliquo tempore notabili, vſq. ad aliud tepus

עלם
ו
ו
עולם
עלם

pus notabile, vt vſq. ad Chriſtum: ſic cæremoniæ Legis dicuntur ſæpius in Scripturæ obſeruandæ in æternũ,cum per Chriſtum ſuo tempore abrogandæ eſſent:alicubi notat tempus ad mundi vſq.conſummationẽ & generalem reſurrectionem,Eccleſ. 12. 15.nonnumquam breuius tempus, nempe ad Iobileum vſq. tantũ,Deuteron. 15.17.Alibi totum tẽpus vitæ 1.Reg.1. 22.plerumq. tempus longum,ſed incertum,Ieremiæ 2.20.ſolet verti, ſęculum.

Iam quod hoc loco illud,*Et viuat in æternum*, non ſignificet æternitatem plenam,& vitam immortalẽ ſimpliciter,ſed longiſsimũ tempus dumtaxat, affirmat S.Thomas 2.2.Quæſt.164.Art.2.ad 6.his verbis: Homo ſi poſt peccatũ de Ligno Vitæ comediſſet, non propter hoc immortalitatẽ recuperaſſet:ſed beneficio illius cibi potuiſſet vitam magis prolongare:Vnde quod dicitur:*Et viuat in æternum*,ſumitur ibi,*æternum*,pro diuturno.Hoc autem non expediebat homini,vt in miſeria huius vitæ diutius permaneret.]Hæc S.Thomas prudentiſsime quidẽ explicata quoq. mente Patrum, cum aiunt à miſericordia factum ne homo lapſus guſtato fructu Vitæ,viueret in æternum in perpetuis miſerijs,hoc eſt,diuturnis.Equidem ſi ſemel guſtaſſet,diutiſsime vixiſſet,& recte potuiſſet dici,*In æternum*.Si pluries,multo adhuc diutius, & verius dici poſſet, *In æternum*, quod tunc vixiſſet vitam immortalem ſecundum quid,vti explicauimus. NON INDICAT SEMPER PLENAM AETERNITATEM.

Rupertus,ac Bellarminus notant,Deum illis verbis:*Nunc ergo ne forte mittat* Adam *manum ſuam,& ſumat etiam de Ligno Vitæ, & comedat, & viuat in æternum*.ſatis indicaſſe,ex vnica comeſtione Ligni victurum fuiſſe Adamum in æternum:nam illa particula, *ne forte*, cogere videtur Deum loqui de ſemel guſtato fructu vitæ.At nobis potius videtur,ſeu Deus de ſingulari perſona Adæ, ſeu de toto humano genere verba faciat, intellexiſſe de pluries per opportuna tempora guſtato fructu Vitæ,vt eius proprie natura ferebat.Nec moramur vocem,*ne forte*,nam hæc Hebraico vſu, vt etiam *Pen*,ſæpe eſt particula negantis,pro nudo, ne,ſeu, vt ne,vel, vt non:qua ratione iſto loco ſumi pro *Scelo*,annotauit Kimchius. NE FORTE NEGANTIS EST. פן שלא

Ergo hic *In æternum*, pro longo & diuturno dumtaxat tempore accipi, præter Sanctum Thomam,affirmant quoq. quidam Hebræorum apud Vatablum, Toſtatus,Lyranus,Caietanus,Yſtella,Bañes,Cumel,Valentia,& alij.

Elucidantur verba Geneſ. 2.9. Produxit Dominus Deus Lignum etiam Vitæ in medio Paradiſi.*Et Iſaiæ*.65.22.Secundum enim dies Ligni,erunt dies populi mei. *Cap. LXXIII.*

HEBRAICAE ad verbum dicitur,*Lignum vitarum*.In plurali numero plerique pholoſophantur. I.quòd longiſsimam vitam inſtar multarum vitarum homini tribueret. II.quòd bifariam vitam cõſeruaret,vt alimentum,& vt medicina.III.quod non ſoli Adæ,ſed cunctæ poſteritati vitam daret. IIII. quòd ſymbolum eſſet etiam vitæ cæleſtis & beatæ. Alia omittimus quæ videri poſsint apud Pererium. At *Chaijm*, vſu linguæ pluraliter dicitur in Scriptura de vna vita, vbi tamen nullum liceat pluralitatis myſterium obſeruare, exemplis paſsim obuijs. חיים

IN MEDIO, QVID IN SCRIPTVRA.

Sed cur dixit, *In medio Paradiſi?* Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 159 multa diſserit in hanc ſententiam. Lib. 1. de Antichriſto Cap. 32. notabamus, particulam illam, *In medio*, in Scriptura non ſemper ſignificare iuſtum & exactum medium, in æquali extremorum diſtantia, quaſi dicas, In meditullio: ſed, *In medio*, ſumi ſæpius pro, intra: ſic Pſal. 100. v. 7. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam.* Et 4. Reg. 4. v. 13 mulier Sunamitis ait: *In medio populi mei habito.* Ita quoq. *Produxit Dominus Deus Lignum Vitæ in medio Paradiſi.* hoc eſt, intra Paradiſum, vel in Paradiſo. At maiorem vim putamus Moſaica verba præ ſe ferre: omnia enim iſta videtur Hebraicus ille idiotiſmus complecti: In loco Paradiſi maxime conſpicuo, ac nobiliori Arborem illam inter alias præcipui decoris, & ſummæ pulchritudinis, cunctis ante oculos poſitam, fuiſse plantatam.

PRINCIPIS REGIA IN REGNI MEDITVLLIO.

Notarunt quidam, Hebraica phraſi, *eſſe in medio*, interdum ſignificare principem locum obtinere, regnare, præſtantiſsimum eſse inter aliquos. Geneſ. 23. v. 10. *Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth.* quod ex præſcripto Platonis Reges in regni meditullio habitare debeant: vt Regum Hiſpanicorum Regia ſolet eſſe Madritium. Vide Pierium Lib. 15. Hieroglyphicor. Sic quod dicitur, Arborem Vitæ plantatam in medio Paradiſi, poſsit indicare, eam Arborem inter omnes alias Paradiſi principem obtinuiſse locum, & fuiſse omnium pulcherrimam & nobiliſsimam. Toſtatus è ſimplici verborum notione nullum ducit abſurdum, in ipſo meditullio Paradiſi fuiſse productam Arborem Vitę: & iuxta illam propius Arborem ſcientiæ boni & mali: quòd vtramq. in medio Paradiſi Moſes plantatam affirmare videatur, illis verbis: *Produxit Dominus Deus Lignum Vitæ in medio Paradiſi: & lignum ſcientiæ boni & mali.* Quamuis hæc poſterior clauſula cum verbo tantum *Produxit* conſtrui poſsit, & non cum particula, *In medio Paradiſi.*

ARBOR VITAE, ET SCINTIAE IVXTA POSITAS IN LOCO PARADISI CONSPICVO.

At nos libenter aſsentimur Toſtato, alijſq. Bar-Cepha iſta prodit Cap. 28. Medium igitur in contextu ita accipiendum eſt, non vt particularem aliquē locum ſignificet, ſed quaſi dicat: Cum Paradiſus frequentiſsimus eſset varijs arboribus atq. plantis, haſce duas arbores non in eius angulo quopiam ſatas fuiſse, ſed in medio Paradiſo inter alias arbores extitiſse. Sed & hoc ſcire operæpretium fuerit, num duæ iſtæ arbores altera iuxta alteram poſitæ extiterint, an ſeorſim. De hac re pronuntiamus, iuxta poſitas fuiſse. Præterea hinc credibile eſt, ei loco, in quo Adamo certamen & lucta erat aduerſus Arborem ſcientiæ, proximam extitiſse Arborem Vitæ, ceu victoriæ præmium: vt ſi viciſset per continentiam, neq. ediſset de hac, mox permiſsa fuiſset ipſi illa altera guſtanda: quippe ſolet victori palma in promptu eſse.] Hæc Moſes. Vide Caput ſequens, Quæſt. 4. ad 2. Ex dictis improbandum penitus eſt quod Rupertus Lib. 3. in Geneſ. C. 30. & Bellarminus Lib. de Gratia primi Hominis C. 19. aiunt, neq. Adamum, neq. dæmonem ſciuiſse vbi eſset Lignum Vitæ: alioquin ſicut perſuaſerat illi ſerpens vt comederet de Ligno ſcientiæ boni & mali vt faceret eum miſerum: ſic etiam peſuaſurum fuiſse vt ederet de Ligno Vitæ, vt eundem faceret perpetuo miſerum.

Hæc enim probabilitate carent etiam Pererio Lib. 6. in Geneſ. Quæſt. 2. ſiquidem illud *In medio Paradiſi.* Satis indicat, eam Arborem in loco patenti, noto, ac in promptu fuiſse. Dæmon autem ſatis ſibi officio functus viſus

eſt,

eſt, cum Adamum præcipitem egit in ruinam. Adam vero ſcelere turbatus, & mox eiectus, de fructu guſtare non potuit.

Iam in verbis illis Iſaiæ: *Secundum enim dies ligni erunt dies populi mei*. Septuaginta Interpretes, & Chaldæus Paraphraſtes addita particula legunt: *Secundum enim dies Ligni Vitæ erunt dies populi mei*. S. Hieronymus, Theodoretus, Lyranus, Leo Caſtrenſis, Adamus, Pintus, Oſorius, Aluarez putant indicatam hic æternitatem vitæ electorum, reſpectumque ad Lignum Vitæ de quo nunc agimus, ex quo veſcentes viuerent in æternum, vt ait Moſes. Sà explicatius exponit: Erunt diuturni, ſeu perpetui, aut felices. Ergo æternitatem vitæ, quam hic illi Interpretes ſecundum Lignum Vitæ exponunt, intellige abſolute diuturniſſimam vitam, iuxta ea quæ ſuperiori Capite diximus: nam ſi allegorias cæleſtis felicitatis quas eo Capite Iſaias obtegit, referemus, non oportet ſimilitudinem tenere in omnibus: Viuent electi mei in æternum ſimpliciter, ſicuti in ſtatu innocentiæ vixiſſent homines per Lignum Vitæ ſæpius guſtatum in æternum ſecundum quid; nihil enim erat in terris cui propius comparari poſſet æterna gloriæ vita, quàm Arbori Vitæ. Vel Lignum Vitæ intelligit Iſaias myſticum, q.d. Viuent electi mei in cælis æternum quamdiu gloria Dei durabit, ſemper ex ea quaſi ex Arbore Vitæ guſtantes. S. Auguſtinus De Ciuit. Lib. 20. Cap. 26. Lignum Vitæ hoc loco intelligit Dei Sapientiam, ideſt, Chriſtum: Theodoretus, & alij, Lignum Crucis.

Si vero parabolam & corticem terrenæ felicitatis populo Dei promiſſæ, & ab Iſaiæ deſcriptæ, intueamur, ſolent, vt notum eſt, in parabolis multa emblematice poni, quæ nõ opus eſt ad rem accommodare: & multa quoque hyperbolice. Simpliciſſime hic intelligemus: Diuturniſſime viuent ſerui mei, ac ſi ex Ligno Vitæ comediſſent. Verum nec Fons Hebraicus, nec Vulgatus habent vocem illam, *Vitæ*; Montanus exiſtimat alluſum ad Lignum illud Pſalm. 1. verſ. 3. *Et erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: & folium eius non defluet: & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur*. Nam idcirco putat in Iſaia additum articulum emphaticum *Haetz*, illius ligni: nempe quod virens & florens, fructusq. opportune fundens, feliciter ſui æui curſum implet: haud ſecus populus meus dies ſuos excurret.

DIES LIGNI QVI.

העץ

Vatablus, Forerius, Pintus, & Aluarez vir eruditus, ac nobis amicus, putant eſſe Hebraiſmum, q. d. viuent longiſſimè ſicut arbores viuaciſſimæ; quòd quarundam arborum, vt quercus, oliuæ, &c. vita ſoleat eſſe longiſſima, vt Cap. 85. oſtendemus. At nos ſimplicius ad inſtitutum Vatis iſtud remur: præmiſerat: *Non plantabunt, & alius comedet*. Subdit: Quia tamdiu ipſi viuent, quamdiu arbores quas plantarunt: nempe plantatarum à ſe arborum fructibus ſoli ipſi, & non ſucceſſores veſcentur: nec erit periculum vt ipſi laborent, & alij in labores eorum introeant: ipſi fructu manuum ſuarum abunde fruentur. Hyperboles vitæ diuturnæ ac felicis. Occinunt ſequentia: *Et opera manuum eorum inueterabunt*. hoc eſt, durare facient.

De

De Arbore Vitæ peculiaria. Cap. LXXIV.

I. DISQVIRVNT aliqui, num Arbor Vitæ fuerit eiuſdem ſpeciei cum alijs creatis arboribus, vel alterius nouæ ſpeciei ab alijs ordinarijs diſtinctæ. Si virtus illa Arboris Vitæ fuiſſet ſupernaturalis; vt potuit à Deo creari peculiaris ſpecies arboris ab alijs diuerſa, cui illa vis diuinitus affunderetur; ita nihil erat neceſſe in hunc finem produci: cum arbori cuiuis ex creatis ſpeciebus, nempe vel pyro, vel malo, vel pruno, &c. recte à Deo eadem virtus ſupernaturalis tribui potuiſſet. Siquidem ad effectum illum immortalitatis qualibet arbore vt ſymbolo, vel vt inſtrumẽto vti poterat Deus. At cum Cap 72. probabilius duxerimus, virtutem illam Arboris Vitæ ſingularem, & diuerſam à cunctis alijs arborum virtutibus, fuiſſe illi naturalem ac genuinam, in promptu quoque fuerit aſſerere, Arborem Vitæ fuiſſe ſuæ ſpeciei, diſtinctæ prorſus ab alijs creatis arborum ſpeciebus: cum naturalis diuerſa proprietas, diuerſam naturam ſpeciei ſatis prodat. Id etiam ſentiunt Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 161. Pererius Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 2. de Arbore Vitæ, & alij.

ARBOR VITAE PECVLIARIS SPECIEI.

II. Sed quænam hæc ſingularis ſpecies Arboris Vitæ fuit? Cum Moſe Bar-Cepha Lib. de Paradiſo Cap. 20. dicimus: Cuius ea Arbor generis fuerit, neminem adhuc Doctorum omnium legimus, qui qualis reipſa, atque adeo corporis habitu fuerit, explicarit. Ingenue igitur fatemur, nondum didiciſſe nos qualisnam arbor fuerit, quæ Vitæ vocabatur, interim corporatam reuera extitiſſe, certo perſuaſi ſumus: verum ſpeciem ipſam, & fructus quales fuerint, quibusq. compta fuerit frondibus, nondum diſcendo ſumus aſſecuti.] Hæc ille. Fuiſſe omnium quæ in Paradiſo erant pulcherrimâm & ſpecioſiſſimam: fructumq. omnium ſuauiſſimum non dubitamus.

OMNIVM PVLCHERRIMAE ET PRÆSTANTISSIMÆ.

III. Fuitne tantum vna numero Arbor Vitæ, an plures in ſua ſpecie, quæ eandem virtutem haberent? Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 163. vnam tantum numero in ſua ſpecie fuiſſe multis argumentis confirmat. Palatius in 2. Sent. Diſt. 19. Diſput. 1. Cumel in 1. Par. Quæſt. 97. Art. 4 Pererius Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 2. de Arbore Vitæ, probabiliter exiſtimant, à Deo caſus Adæ præſcio vnam tantum Arborem Vitæ productam; quid enim opus erat pluribus? at ſi perbeatus ille innocentiæ ſtatus in ſobole vniuerſa Adami perduraſſet, propagato in ingentem numerum humano genere, pariter quoque multiplicandas Arbores Vitæ plures numero, vel naturæ ſponte, vel nutu Dei, vel cura humana, ſurculos tranſplantantis, vel inſerentis: nam alioquin tantæ hominum multitudini vnica dumtaxat Arbor Vitæ, nec ad vſus quidem tantum medicinales ſatis eſſe potuiſſet, cum omnes guſtare ex illa debuiſſent. His nos aſſentimur: ſed exiſtimamus numquam illam extra Paradiſum plantandam, aut transferendam.

VNA NVMERO TANTVM QVÆ TAMEN PROPAGARI POTVISSET.

IV. Rogabit quiſpiam, num Adam ante lapſum, tempore illo quo manſit in Paradiſo, guſtauerit de fructu Vitæ. Petrus Lombardus in 2. Sent. Diſt. 29. §. 6. ſic ait: Poteſt autem quæri, vtrum de Ligno Vitæ ante peccatum comederit homo. De hoc Auguſtinus in Libro de Baptiſmo paruulorum, ſic

ait:

ait: Recte profecto intelliguntur primi homines ante malignam diaboli perſuaſionem abſtinuiſſe à cibo vetito, atque vſi fuiſſe conceſſis. His verbis oſtenditur, quòd de Ligno Vitæ ante peccatum ſumpſerint, quibus præceptum erat, vt de omni Ligno Paradiſi comederent, niſi de Ligno ſcientię boni & mali.] Hæc Magiſter. Equidem S. Auguſtinus aperte nimis aſtruit, Adamum & Heuam ante peccatum ediſſe de Ligno Vitæ, ſic enim de illis Lib. 2. de Peccatorum meritis & remiſſione, Cap. 21. ſcribit: Recte profecto intelliguntur, ante malignam diaboli perſuaſionem abſtinuiſſe cibo vetito, atque vſi fuiſſe cōceſſis, ac per hoc & ceteris, & præcipue Ligno Vitæ. Quid enim abſurdius, quàm vt credantur ex alijs arboribus alimēta ſumpſiſſe, non autem etiam ex illo, quod & ſimiliter permiſſum fuerat, & vtilitate præcipua per ætatum lapſum mutari, quamuis animalia corpora, in mortemque veteraſcere non ſinebat: tribuens hoc corpori humano de ſuo corpore beneficium.] Hæc S. Auguſtinus.

S. AVGVSTINVS DOCET ADAMVM EX EA GVSTASSE.

Verum Pererius Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 5. de Arbore Vitæ, & alij his argumentis probant primos parentes non guſtaſſe de fructu Vitæ ante peccatum. I. Quia cibus ille non erat ad alendum hominem, ſed in medicinam præſeruantem à ſenio: vnde non ſumendus quotidie, ſed ſtatis temporibus: at Adam breuiſſimo tempore manſit in Paradiſo, & necdum maturo, ad ſumendum de Ligno Vitæ. II. Sane non videbatur permittendus ille fructus homini, niſi explorata eius obedientia, per obſeruantiam præcepti de non edendo fructu ſcientiæ boni & mali; quod tamen tranſgreſſus eſt. III. Nam ſi ediſſet Adam de Ligno Vitæ, proculdubio diutius quàm vllus mortalium vixiſſet, cum tamen breuioris vitæ fuerit, quàm Mathuſalem, Zared, & Noe.

Negari non poteſt hanc eſſe cumprimis probabilem ſententiam: & forſan S. Auguſtinum ex hypotheſi locutum, ſi ille innocentiæ ſtatus perſeueraſſet, guſtaturos protoplaſtos de Ligno Vitæ: nam etiam ait eos vſos ceteris Arboribus, cum tamen pro pauco tempore, quo in Paradiſo manſerunt, non omnes deguſtare potuerint. Et S. Thomas in 2. Diſt. 29. Quæſt. 1. Art. 5. ad 5. Conditionaliter tantum ait: Si homo ante peccatum de Ligno Vitæ ſumpſiſſet.] At cum verba S. Auguſtini videantur ſatis perſpicua, non prorſus improbabile duxerim, primos Parentes ante lapſum, aliquando de Ligno Vitæ guſtaſſe: præſertim ſi dies octo, aut plures in Paradiſo manſerunt, vt opinatur Pererius: mirabile ſiquidem eſt per tot dies ad arbore omnium pulcherrima, in medio Paradiſo poſita, nec ipſis interdicta, abſtinere potuiſſe.

FIERI POTVIT.

Nec oppoſitæ à Pererio rationes euincunt. Ad primam ipſemet S. Auguſtinus reſpondet, fructum Vitæ & alimentum & medicamentum fuiſſe: pro alimento quotidie ſumi poterat; pro medicamento non niſi per temporum ſtata interualla. Ad ſecundam. Nihil neceſſe eſt vt Arbor Vitæ propoſita fuerit vt præmium obedientiæ: confirmatio enim iuſtitiæ originalis ſibi, ſoboliq. propoſitum erat pręcipuum obedientiæ pręmium. Vel dicendum, Arborem Vitę vt medicamentum præſeruans à ſenio, fuiſse obedientię pręmiū. Ad tertiam dici poſſit, quòd fructus Vitę, non tribuiſset homini longiſſimā vitam niſi opportuno tępore ſumeretur, nempe cum corpus humanum eo mature indigeret ad propagandam vitam, hoc eſt, paulo antequàm vis nutriens

SOLVVNTVR RATIONES OPPOSITÆ.

triens

triens & actiua humanę ſpeciei flacceſcere & debilitari cœpiſſet: tunc enim pro medicamine ſeruante à ſenio præſumeretur. Videmus autem medicamenta ſanis & integris nihil conferre, niſi in alimentum, ſi ſint optima. Quocirca ſi ante, tempore multo, quàm virtus actiua Adami decreſcere inciperet, fructum Vitæ guſtaſſet; profuiſſet quidem illi pro alimento ob bonitatem, vt alios cibos; ſed non pro medicamento conſeruante vitam in longius tempus, quàm eſſet ordinarium vitæ humanæ.

Vel aliter reſpóderi poſſit, Adamum quidem ab intrinſeco, vi guſtati fructus vitalis, longius quàm vllum mortalium victurum fuiſſe: quod attinet tantum ad arcendas intraneas ſenij, & defectionis innatæ virtutis cauſas: at ab extrinſeco, aſpero labore, lacrymis, pœnitentijs, inclementijs cæli, elementorumq. inedijs, vigilijs, mœrore, dolore, triſtitia, & alijs eiuſmodi, quibus ipſe & ſenſu ſuæ culpæ magis quàm alij affectus eſt; & his piacularibus ſatisfactionibus eandem eluere toto vitæ ſpatio ſategit: exhauſiſſe ipſum ſibi vitales ſpiritus, & naturæ neruos ita fregiſſe, vt non diutius quàm quidam è poſteris ſupereſſe potuerit. Hoc idem quoque in cauſa fuiſſe putamus, quòd Adam tametſi optimo temperamento Dei manibus compactus fuerit, non diuturnius quàm ſucceſſores vixerit.

V. Iam illud cognitu dignum, ad quantum temporis ſpatium Lignum Vitæ protraheret vitam hominis ſemel eſum: & quantum temporis vixiſſet homo in terris in ſtatu innocentiæ. Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 166. indicare videtur, quòd cum Ligno Vitæ vis ineſſet conſeruandi vitam hominis in longius tempus quàm ſit ordinarium vitæ hominis ex naturali temperamento: & homines poſt lapſum, in exordijs mundi originarij mille ferme annos viuerent; vt Scriptura prodit, veriſimile eſt Lignum Vitæ propagaturum homini vitam ad duo, vel tria millia annorum.

FRVCTVM VITAE PROPAGATVRVM VITAM AD DVO VEL TRIA MILLIA ANNORVM.

Pererius Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 3. de Arbore Vitę, credit eſum fructus Vitæ daturum fuiſſe homini minimum ad octo, vel decem millia annorum. Id hac ratiocinatione colligit: Status innocentiæ ex vi Ligni Vitæ, potentior fuit ad producēdam hominis vitam, comparatione ſtatus hominis poſt peccatum ante diluuium, quàm fuit hic ſtatus ante diluuium, comparatione eius ſtatus in quo nunc degit genus humanum: quia vterque hic ſtatus eſt hominis ſub peccato gementis, & mille modis afflictum corpus geſtantis. At in ſtatu hominis ante diluuium, humana vita fuit decuplo longior quàm nunc eſt, nam ordinarie nongentos annos excedebat: igitur in ſtatu innocentiæ, hominum vita fuiſſet decuplo longior, quàm fuit ante diluuium: futuraque eſſet ad decem millia ferme annorum, quod attinet ad vim Arboris Vitæ.

VEL AD OCTO MILLIA.

SED NON SOLIDE ID COLLIGITVR.

At iſta collectio haud videtur nobis vndequaque ſolida. Nam res paulatim à primæui ſtatus ſui ſtabilitate decidunt: cum vero ſunt in præcipiti, longius prolabuntur. Vnde non putamus vegetiorem decuplo fuiſſe vim Ligni Vitæ ad producendam hominis vitam in ſtatu innocentiæ, quàm fuerit ſtatus vitæ ante diluuium: etiam ſi tunc homines decuplo quàm nunc viuerent. Si diuinare liceat, magis crediderim Lignum Vitæ vi ſua potuiſſe propagare, qualibet comeſtione, vitam ad duo millia annorum: nec par eſt Arbori corporeæ maiorem vim naturalem, aut in longius tempus tribuere.

Addit

Addit Pererius: Quamdiu vero hominem Deus vitam in terris agere vellet in ſtatu innocentiæ, ne diuinari quidem poteſt.] Et Quæſt. 3. de Paradiſo præmiſerat: Sine dubio in ſtatu innocentiæ, non minus tria vel quatuor millia annorum homines vixiſſent.]

Bellarminus Lib. de Gratia primi Hominis, Cap. 18. extremo inquit: Neque enim credibile eſt, tempus viæ & meriti; quod in Angelis breuiſſimum fuit, in hominibus futurum fuiſſe longiſſimum.] & Cap. 19. ad 2. addit: Itaque probabile eſt, tempus meriti fuiſſe futurum certo aliquo annorum numero definitum, vt quinquaginta, vel centum annorum: & vt quis eum terminum attigiſſet, & toto eo tempore bonis operibus perduraſſet, ad ſempiternam gloriam transferendum.] Hæc ille.

Quæquidem videntur nobis à ſenſu communi Auctorum prorſus aliena: cum omnes mira conſenſione affirment, diutius multo victuros fuiſſe homines in ſtatu innocentiæ, quàm vlli vmquam vixerint in ſtatu peccati. Deinde ad quinquaginta vel centum vitæ annos, quibus tunc victuri erant dumtaxat; quid opus fuit Ligni Vitæ virtute illa mirifica, quæ vltra ordinarium, hominis vitam in longius tempus ſeruaret, vt omnes affirmant: cum etiam poſt peccatum inter tot ærumnas & pericula, vitam viuidam & vegetam vltra trecentos annos plerique vixerint?

Ergo victuros homines vltra mille annos in felici illo ſtatu, extra omnem controuerſiam ponendum: decem millia annorum vitæ illis tribuere non auſim, quòd humanæ vitæ iſta periodus enormis, nec rerum naturæ apta videatur: ſi augurari liceat, cunctis rectè penſitatis, duo millia annorum vitæ, ſtatum illum decere ſuſpicamur: nempe in hominibus conditis ad gloriam, ad illam aſpirantibus, & in illam mature transferendis. VIRI SIMILE, AD DVO MILLIA.

Quanto tempore Adam manſerit in Paradiſo Voluptatis.
Cap. LXXV.

FRANCISCVS Feu-ardêtius in Notis ad Cap. 15. Lib. 5. S. Irenæi aduerſus hæreſes, iſta obſeruauit: Eadem die, qua conditus fuerat Adam, & peccauerat, eiectum fuiſſe de felicitate Paradiſi, in hãc lacrymarũ vallem, inter Græcos Cyrillus, Epiphanius, & Diodorus Tarſenſis affirmãt. Bar-Cepha Lib. de Paradiſo citat Philoxenum, Ephræm, Iacobum Sarugenſem, & alios Syros, qui in eadem quoque ſecum opinione fuerunt.] Hæc Feu-ardentius. NEC INTEGRO DIE MANSISSE ADAMVM IN PARADISO, QVI DICANT.

Sed audiamus Bar Cepham de hac quæſtione accurate diſſerentẽ in hæc verba: Sed iã & locus & tẽpus poſtulãt, vt diſputãdo inueſtigemus, vnone, eodemq. die, an pluribus hęc omnia geſta fuerint: Creatus Adã, Immiſſus in Paradiſum, Lata lex, Indita nomina beſtijs & volucribus, Cõdita Heua, Decepti per ſerpentẽ primi Parentes, Violata lex, Vindicatũ in noxios, Eiecti deniq. illi extra Paradiſum. De hac re ita ſentit Philoxenus Oratione quam ſcripſit de Arbore Vitæ, & dominus Ephræm Cõmentarijs in Geneſim, atq. etiã dominus Iacobus Sarugenſis Oratione de Paſſione, & cum his alij, omnia hæc eodẽ vno die, qui ſextus erat à condito cælo, terraq. acta atque cõfecta eſſe:

eiuſq. rei duo faciunt argumenta: alterum, quòd adhuc nihil ediſſent Adam, vxorq. nam ſi veſcentes ante vidiſſet ſerpens, minime dixiſſet ad Heuam: Verene iuſſit Deus, ne ederitis de omni arbore Paradiſi: iam vero ſi multo ante conditi fuiſſent, nequiuiſſent adhuc abſq. fame & cibo vitam tolerare.

COLLATIO RERVM ADAMI ET CHRISTI.

Alterum petitum eſt ex his quæ paſſus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: ea enim emendando Adami delicto, exacto tenore reſpondere aiunt, uerbi gratia: Sexto, inquiunt, die creatus eſt Adam: eodem excruciatus eſt Dominus noſter. In eius diei initio ille eſt ex luto compoſitus: hic item ad tribunal raptus. Hora illius diei tertia inductus eſt Adam in Paradiſum: & Seruator noſter tertia hora extractus eſt vrbe Ieruſalem, humeris Crucem ſuam baiulans. Et quo tempore Adam manus protendit ad decerpendos fructus negatos, eodem Chriſtus ſuas diſtendit ſuper lignum. Rurſus à ſexta ad nonam horam exutus eſt Adam ſua gloria, noxæq. deditus: itaque & ob Crucē Chriſti Sol à ſexta ad nonā amiſſo ſplendore obſcuratus eſt, atq. vniuerſa creatura luctu cooperta, quaſi refricata priſtini Adæ caſus memoria. Elapſa deinde nona hora, diſſipatæ atque abactæ ſunt tenebræ: qua re ſignificabatur ſoluta iam tunc eſſe ea mala, quæ genus humanum circumdederāt, atque occupauerant propter legem Dei ad Adamo violatam. Inſuper quo tempore confoſſus Dominus noſter lancea, eodem à Cherub cuſtode Paradiſi & Arboris Vitæ, vibrata eſt lancea. Denique qua hora pulſus eſt Paradiſo Adamus à Deo, eadem prorſus à Chriſto immiſſa eſt in Paradiſum anima Latronis.] Hactenus Bar-Cepha.

In eandem ſententiam Gennadius in Græca Catena Geneſ. 3. inquit: Illud etiam monuiſſe hoc loco non fuerit abs re, quòd homo die ſexto conformatur, in Paradiſo collocatur, præceptū de Arbore accipit, & reus expellitur.] Hæc ille. Toſtatus Quæſt. 611. in 13. Geneſ. ait: Vna poſitio eſt, quòd eodem die, quo Adam & Heua formati ſunt, eiecti fuerunt de Paradiſo, & quòd nō manſerunt ibi per diem vnum artificialem integrum, hoc eſt, duodecim horas. Et iſtam opinionem ſequuntur omnes communiter.] Hæc ille.

ADAMVM IN PARADISO MANSISSE TANTVM HORAS SEX AVT SEPTEM, AVT NOVEM.

At iuxta iſtorum ſententiam, quot horas Adam in Paradiſo moratus fuerit, diſquirendum. Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 606. ſcribit: Aliqui dicunt, quòd Adam manſit in Paradiſo ſolum per ſeptem horas: iſtam poſitionem refert Geruaſius Libro de Otijs Imperialibus, Deciſione prima.] Et Quæſt. 608. addit: Alij volunt, quòd Adam fuerit de Paradiſo eiectus hora decima, & manſerit nouem horis in Paradiſo.] Hæc ille. Petrus Comeſtor in Hiſt. Schol. Geneſ. Cap. 24. ait: Quidam tradunt primos parentes fuiſſe in Paradiſo ſeptem horas.]

Sed Bar-Cepha breuiter colligens quæ prius ex quibuſdam Patribus præmiſerat, & nos nuper deſcripſimus, hæc adijcit: Sed dominus Ephræm, Philoxenus, & dominus Iacobus Sarugenſis aiunt, Adamum in Paradiſo commoratum eſſe horas non amplius ſex, à tertia ſcilicet ad nonam vſque diei ſexti: idque tribus rationibus demonſtrare nituntur, quarū prima eſt: Quia multo facilius decipi potuit Adamus in ipſo ſtatim initio, quàm ſi longiore tempore Paradiſum incoluiſſet: altera, Quoniam ſi diutius apud animum ſuum meditando expendiſſet impꝛratam ſibi legem, cautior factus fuiſſet: verum quando exiguum illic temporis ſpatium egit, ſimul vt mandatum à

Deo

Deo acceperat,fraudem etiam ſibi fieri paſſus eſt.Tertia,credibile eſt, Deũ, quem Paradiſo pulſurus erat, eum haud longo tempore tanta felicitate frui ſiuiſſe,ne nimium excruciaretur,ſed mollius, minuſque egre ferret, ſe tantis delitijs ſpoliari. Solet enim Deus clementer caſtigationem exercere.] Hæc Moſes. Quibus aſſentitur Ioannes Pineda Lib. 1. Eccleſiaſticæ Monarchiæ Cap. 11. §. 1. II.

PLVS VNO DIE QVI ASSERANT.

Alij tamen exiſtimarunt, primos parentes plus vno die moratos in Paradiſo.Ioſephus,S.Baſilius,S.Auguſtinus,Theodoretus,S.Damaſcenus,quorum ſententias exſcriptas habes ſupra Cap.64.iſtud indicare videntur, cum ſcribunt,animalia, ac præſertim ſerpentem familiariter cum Adamo & Heua in Paradiſo verſari ſolita: ac ſæpius ad ipſos conueniſſe obſequium præſtitura.S.Auguſtinus Lib.11. de Geneſi Cap.31. & Lib.2. de Peccatorum meritis & remiſſione Cap.21.cum ait,primos Parentes ante peccatum vſos fuiſſe ceteris Paradiſi fructibus,etiam fructu Vitæ, ſatis innuit, plus vno die eos in Paradiſo manſiſſe. Clarius idem ſignificat S.Gregorius Lib. 4. Dialogorũ Cap.1.his verbis: In Paradiſo aſſueuerat homo verbis Dei,& beatorum Angelorũ ſpiritibus cordis munditia,ac celſitudine viſionis intereſſe.]Hęc ille.

Moſes Bar-Cepha Lib.1.de Paradiſo Parte 1.extrema, fuſe eorum refert opinionem qui dixerunt, amplius quàm vno die Adamum in Paradiſo commoratum,ita ſcribens: Verum ſententia aliorum Doctorum eſt, nequaquam vno die omnia illa eſſe peracta; *nimirum quæ initio huius Capitis dicebamus,* non quia non potuerit Deus tam breui ea ſpatio conficere, cuius potentia prorſus voluntati reſpondet: ſed quia non ſatis conſentaneum videtur, ea ſic acta eſſe. Etvero ſi Adam etiam tum nullum Paradiſi fructum guſtaſſet præter vetitum illum, neque ſatis adhuc aut locum ipſum, aut eius delitias expertus, ſolum vertiſſet; qui potuiſset per contentionem, ex eius terræ vnde exciderat,felicitate, eam in quam detrudebatur,duram,horridam,atque infelicem exiſtimare?

Sed dices, Audiuere vocem Dei gradientis per Paradiſum die iam tum inclinato:pulſi ergo ſunt eo die. Atqui Scriptura non dicit,eum fuiſse diem quo conditus fuerat Adamus.Sed neque illud ſatis eſt firmum argumentum, cur præpropera feſtinatione conturbemus rerum geſtarum ſeriem, atque vnius eiuſdemque diei ſpatio tam multa concludamus,quod de Chriſti cruciatibus allatum eſt.Nam vt lubentes fatemur,Chriſtum die ſexto emendaſſe atque expiaſse quæ ab Adamo admiſsa fuerunt,ita fieri potuiſse contendimus, vt Adamus, cum die conditi orbis ſexto eſset creatus, atque eodem etiam deliquiſset,alio die ſexto,pro ea dierum ſerie qua recurrentes recenſentur,ſui flagitij condẽnatus à Deo ſit,atque eliminatus Paradiſo.Enimuero quis credat,eum ampliſſimum eſset Paradiſi ſpatium, uno die Adamum eſse egreſsum ad imponenda animantibus nomina, eodemq. reuertiſse in medium Paradiſum,hoc eſt,multorum dierum iter confeciſse?Eodem etiam exemptam ipſi coſtam eſse,& in mulierem transformatam,eodem de uetita arbore ambos ediſse, Paradiſoq. extruſos eſse? Sane & exire, & reuerti, & præterea tantis alijs intereſse rebus, haud eſt pro unius diei ſpatio,& quidẽ non integri, ſed à diluculo ad nonam dumtaxat horam uſque,ut illi aiunt. Denique dicimus,haud uerisimile uideri, eodem die & conditum eſse Adamum,

EX GESTIS EIVS IN PARADISO PROBAT BAR-CEPHA.

mum, & animalibus ſua indidiſſe nomina. Verũ enimuero liberũ eſto Lectori, vtrã velit harum duarũ interſe aduerſantium opinionũ amplecti atq. retinere: nam certa earũ rerum cognitio in futuro demum ſæculo iis abſolute continget qui antea virtutis exercitijs ſe ipſi hic à peccati tenebris perpurgauerint.] Hactenus Moſes, magis huic ſecundæ ſententiæ, quàm illi primæ de vno die Adamo in Paradiſo morante ſubſcribens; vnde perperam à Feu-ardentio, Pineda, Pererio citatur inter Auctores primæ illius opinionis.

Iam peruestigemus ſi Adam plus vno die egit in Paradiſo, quot dies ibidẽ manſerit. Bar Cepha iſta notat: Quidam exiſtimant, triginta annos inibi fuiſſe, nempe quot Dominus noſter in mundo egit pro expiando illius ſcelere: vt quamdiu primi homines magnificentia Paradiſi ſunt potiti, tamdiu ille mundi huius humilitatem tolerauerit. Alij putant quadraginta diebus Adamum illic hæſiſſe, eoque Chriſtum dies totidem ieiunum durauiſſe: nimirum vt huius ieiunium remedium eſſet illorum ingluuiei per quam admiſere peccatum in Paradiſo.] Hæc Moſes.

Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 511. ſcribit: Alia poſitio eſt, quòd primi Parentes non fuerunt eadem die formati & de Paradiſo excluſi: ſed forte vno die fuerint formati, & ſequenti die vel tertio fuerint expulſi. Et iuxta hoc poteramus dicere conuenienter, quòd die ſexto formatus eſt Adam, & ipſo die formata eſt Heua, & ducta ſunt animalia iam formata ad Adam: die autem ſequenti, ideſt, Sabbato peccauit Heua, & excluſi ſunt de Paradiſo. Pluribus enim diebus ibi eos manſiſſe, non eſt ſatis rationale: & tamen quæ illarum duarum poſitionum ſit verior, *nempe an vno vel plures dies manſerint*, nullum motiuum habemus ſufficiens ad iudicandum.] Hæc ille.

Bar-Cepha, niſi mendum vel codici, vel Interpreti Maſio obrepſerit, indicat, vt nuper vidimus, Adamum die ſexto creatum & eodem die lapſum; ac non exactum Paradiſo niſi poſt octo dies nempe alio die ſexto, euoluta hebdomada recurrente. Forſan verba Bar Cephæ ita queant reſtitui: *Adamus, cum die conditi orbis ſexto eſſet creatus, atque eodem etiam deliquiſſet, nempe alio die ſexto, pro ea dierum ſerie &c.*] vt innuat die ſexto creatum, & die alio ſexto recurrente poſt dies octo peccaſſe, atque è Paradiſo pulſum.

PERERIVS SCITE DISSERIT. Pererius Lib. 6. in Geneſ. quædam annotat. I. Eodẽ die quo peccarunt Protoplaſti, è Paradiſo exturbatos: id diſerta Moſis narratio Geneſ. 3. demõſtrat: nec par erat peccatores loco indignos, diutius ibi manere: in quo ſi longiori tempore manſiſſent, periculum erat ne commiſcerentur, cum iam mutua exarſiſſent libidine, cum tamen S. Auguſtinus, alijque Patres, virgines illos è Paradiſo receſſiſſe ſummo conſenſu prodant. II. Eiectos ſub finem eius diei quo peccarunt, ideſt, paulo ante Solis occaſum: nam ait Moſes, factum id ad auram poſt meridiem. III. Non fuiſſe eos longo tempore in Paradiſo, quòd diabolus, quem inuidia hominis vrebat, non diutius ſe continere potuiſſet à tentatione. IV. Plus vno die manſiſſe, quòd, tot, tantaque quæ in Paradiſo Protaplaſtis contigiſſe Scriptura commemorat, vno die peragi nõ potuiſſe videntur. Vide rationes Bar Cephæ pro ſecunda ſentẽtia. V. Temere certo definiri tempus quo ibi reſederunt. Vnde manſiſſe triginta annos, vel quadraginta dies vt humani inuenti figmenta repudianda: die vero proxima Sabbati eiectos, vt innuebat Toſtatus, haud eſt veriſimile,

quòd

quòd diem primum benedictũ & ſanctificatũ à Deo, in quo ab omni opere ceſſarat, ſeuero diuini iudicij opere exercuiſſe Deum, non ſit conſentaneum. VI. Diuinando ſe coniectari, fuiſſe eos in Paradiſo per octo dies, & octauo die quàm fuerant creati, hoc eſt, feria ſexta hebdomadæ, profligatos ex Horto. Hocq. octo dierum ſpatium ſatis fuiſſe, vt primi Parentes, Paradiſi, ſtatuſq. illius felicitatem experiri aliquo modo poſſent: nec ab hac mente abeſſe Patres illos qui aiunt, Adamum eodem die creatum, & lapſum; eadem, non numero, ſed hebdomadæ nẽpe ſexto recurrente. Hæc in ſumma Pererius.

Omnia ſunt obſcura, & incerta, nec quo pes firmè ſubſiſtat, apparet: communiori opinioni, quæ Protoplaſtos vno eodemque die & creatos, & lapſos, & Paradiſo pulſos, nec plus vno die ibi manſiſſe docet, facile inhæreſim. Patres quos citat Bar Cepha, non patiuntur Pererij interpretationem: nam non amplius quàm ſex aut ſeptem horas Adami in Paradiſo manſioni tribuunt. Porro cuncta quæ ab Adamo geſta in Paradiſo Scriptura refert, rectè intra ſpatium vnius diei perfici potuiſſe, nihil eſt quod vetet: præſertim quòd, vt S. Auguſtinus Lib. 9. de Geneſi Cap. 14. & alij docent, Angelico miniſterio animalia ad Adamum, vt eis nomina imponeret, adducta fuere, quod breuiſſimo temporis ſpatio fieri potuiſſe non eſt dubium. Ergo cum in rebus iſtis impendio abſtruſis, hic inde pro partibus variæ excogitentur rationes, nos illis parum fidentes, quòd non penitus ſolidæ noſcantur, receptiorem ſententiam tutiorem credidimus: quam quoque probat Steuchus in Notis ad 3. Geneſ.

AVCTOR COMMVNIORI OPINIONI INHAERET

Elucidatur Locus Geneſ. 3. V. 8. Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem, &c.

Cap. LXXVI.

HEBRAEA ad verbum redduntur: ***Et audierunt vocem Ieheue Elohim ambulantis***, vel ambulantem, ***in horto ſpiritui diei***. Moſes Bar-Cepha vertit: Et audierunt vocem Domini Dei gradientis in Paradiſo, inclinante die. Participium illud *Mithalec*, poſſit Hebraice referri & ad Deum, & ad vocem: Dei deambulantis, vel vocem deambulantem in Paradiſo. Ad vocem referunt Kimchius, Aben-Ezra, & Sanctes, qui in Lexico hæc ait: Et ſic non eſt vertendum, ambulantis, vt ad Deum referatur: ſicut in priori Editione, ſequutus D. Hieronymum, interpretatus ſum.] Non eſſe inſolens verbum *Halac*, id eſt, ambulare, voci, vel ſono tribui, exempla docent, Exod. 19. 19. ***Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat***. Hebraice: ***Et vox buccinæ ambulans***. Ierem. 46. 22. ***Vox eius quaſi æris ſonabit***. Heb. ***Vox eius ſicut ſerpens ambulabit***. Rabbi Ionah ad Adamũ retulit participiũ *Mithalec*: Et audierũt vocem Ieheueh Elohim, ambulans, [vterq. ſcilicet Adam & Heua] in horto ad ventum diei.

HEBRAEA AMBIGVA. מתהלך

הלך

Ceterum Chaldæus Paraphraſtes, Rabbi Scelomoh, Septuaginta Interpretes, Vulgatus, *Dei ambulantis*, interpretantur. S. Theophilus Antiochenus Epiſcopus Lib. 2. ad Autolycum, reddit: Et audierunt vocem Domini Dei deambulantis in horto ad ventum diei. Et omnes Græci & Latini Patres ſummo conſenſu deambulationem hoc loco Deo, non voci tribuunt.

Porro illud Vulgati, ***Ad auram poſt meridiem***. Hebræis eſt, ***Leruach haiom***. לרוח היום

Septua-

Septuaginta tantum dixerunt, τὸ δειλινὸν, quod in Romana Editione vertitur, *Ad veſperã* Qua ratione legerũt S. Irenæus Lib. 5. C. 15. S. Ambroſius Lib. de Paradiſo, C. 13. S. Auguſtinus Lib. 11. de Geneſ. C. 33. In Cõplutenſi vero, In meridie; quo pacto legitur etiã apud S. Anaſtaſiũ Sinaitã Lib. 11. Hexaemerõ. S. Hieronymus in Traditionibus Hebraicis in Geneſ. hæc annotat: In pleriſq. codicibus Latinorũ pro eo quod hic poſuimus, Ad veſperam: Poſt meridiẽ, habetur: quia τὸ δειλινὸν, Græcum ſermonẽ ad verbum transferre non poſſumus: pro quo in Hebraico ſcriptum eſt: *Leruach haiom*: quod Aquila interpretatus eſt, In vento diei: Symmachus vero, Per ſpiritum diei: Porro Theodotion manifeſtius, In ſpiritu verſus refrigerationem diei; vt meridiano calore tranſacto, refrigerium auræ ſpirantis oſtenderet.] Tantum ille.

לרוח היום

Chaldæus Paraphraſtes in Editione Complutenſi, Ad auram diei: vel, Ad quietem diei, hoc eſt, ad Occaſum ſolis, nam quieſcit & deſinit dies, cum ſol occumbit. Rabbi Ionah, Ad reſpirationem diei. Ac ſi dicat: Tempore quo eſt reſpiratio & refrigerium diei, ideſt, aeris. Kimchius, Ad ventum diei. flantem, ideſt, tempore quo declinat dies, quo flat ventus. Rabbi Scelomoh, Ad ipſum ventum diei. quia Sol occubuerat: hoc eſt, hora veſpertina. vel, Ad ipſum ventum, quo Sol occumbebat ibi, (ad illam mundi plagam:) atque hic ventus Occidentalis eſt: nam appetente veſpera, Sol eſt ad Occidentem. Poſſis vertere, Ad plagam diei, ſubaudi, inclinantis, hoc eſt, ad Occaſum, quaſi audierint vocem Domini venientis ab Occidente Paradiſi. *Ruach*, pro plaga, Ezech. 42. 16. & 17. & alibi. Marinus, Euntis vento, vel, ad ventum, diei. Sanctes, Vatablus, Clarius, Montanus, Ad auram diei. Omneſque ferme intelligunt, poſt meridiem, ſub veſperam, quo tempore ventus ſeſe attollere, & aſpirare ſolet Zephyrus lenior & placidior.

רוח

VOX DOMINI DEAMBVLANTIS QVAE.

Iam quænam vox iſta Domini deambulantis in Paradiſo fuerit, perquiramus. Conuenit inter omnes fere eruditos haud fuiſſe vocem aliquam articulatam, ſed ſonum & ſtrepitum quendam Dei gradientis inter arbores Paradiſi. Series enim Moſaicæ narrationis hoc innuit, ex ſonitu deambulantis Dei pauefactos Protoplaſtos ſeſe occultaſſe; eos abſconditos compellaſſe Deum, *Adam vbi es*? niſi enim prius ad ſtrepitum venientis Dei ſe abſcondiſſet Adam, nulla fuerat occaſio Deo, perquirendi, *Adam vbi es*? Sed qualis ille ſonitus fuit? Hamerus, & Pererius ingẽtem, terrificumq. fragorem fuiſſe putant quo Deus præſentiam ſuam exhibere voluit: eiuſmodi enim horriſonos ſtrepitus Scriptura vocem Dei appellare ſolet, vt Pſal. 28. v. 3. 4. 5. 7. 8. 9. Bar-Cepha inquit: Sane Deus, qui ante pacate ac blande Adamo & Heue apparuerat: iam ita plane ſe repræſentat, vt ſuis illi ſenſibus percipiant: nimirum humana ſpecie formidabilis, turbidus, difficilis, & quaſi peregre aduenens, iraque tumens, ruenſque & ſuo inceſſu concutiens terram, atque adeo ipſas Paradiſi arbores preſſis veſtigijs tremefaciens. Huiuſmodi, inquam, habitu hic nunc videtur ab illis, nimirum vt pauidi confiteantur ſua delicta, atque illius miſericordiam, veniamque implorent. Eò enim ſpectat quòd ambulantis vocem audiuiſſe dicuntur. Quippe voluit audiri ab ipſis ſuum inceſſum, & ipſe ceu corporatus ſpectari humana forma, vt præ metu feſtinarent ad eius gratiam, ignoſcentiamque.] Hæc Moſes.

Poſſet hic ſenſus illuſtrari ex Hebræis quæ patiuntur, Et audiuerunt vo-

cem Domini Dei deambulantem in Paradiſo: q. d. incedentem & creſcentem illum fragorem: ſic enim verbum ambulandi capitur cum ſono tribuitur, vt Exod 19.19.

At nequaquam crediderim ſonitum illum Dei venientis ad Adamum, fuiſſe fragorem terrificum & immanem: non ob rationes Toſtati in 13. Geneſ. Quæſt. 155. quæ non videntur ſolidæ: ſed quòd ingens ille ſonitus non recte conſonet, cum Vulgati verbis, *Vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem*. Cur enim verba proprie, cum poſſint, non ſumentur? At deambulationi, & auræ tenui non apposite accinit fragor horribilis, & concitatio vehementior.

SIMPLICIOR EXPOSITIO.

Omiſſis alijs quæ prolixius dici poſſent, illud ſimplicius arbitramur, Deũ ante in Paradiſo cum Adamo loqui ſolitum, ſigna ſemper ſuæ præſentiæ præmiſiſſe, ex quibus facile Adam noſſe poterat Deum adeſſe præſentem: nunc ſimiliter venientem ad Adamum, inceſſu ſuo ſtrepitum ediдиſſe, qui tenuis ſibilo auræ, quæ tum ſub veſperam lenior perflabat, ad aures Adami Heuæq. perlatus, eos conſcientia patrati ſceleris acriter perterruerit. Sic 3. Reg. 9. v. 12. Dominus venit ad Eliam in ſibilo auræ tenuis. Vide Toſtatum in 13. Geneſ. Qu. 606. Ergo illud, *Ad auram poſt meridiem.* poſſint iungi cum *deambulantis.* Vt Deus more delicati cuiuſquam & opulenti, veſpertinam auram lætiorem captaſſe in humana forma, proſopopœia quadam deſcribatur. Vel poſſit referri ad illud, *Audierunt vocem Domini.* Vt flatus auræ placide flantis pomeridiano tempore, detulerit in aures eorum ſonitum inceſſus Domini venientis ad ipſos: quòd eſt ſincerius. Lyranus, Toſtatus, Yſtella, illud *Ad auram poſt meridiem.* intelligi quoque de loco poſſe putant, quòd Deus ambulauerit, vel Protoplaſti audierint vocem Domini, ad eam partem & plagam Paradiſi, qua flare ſolet pomeridianus ventus, nempe, inter Occidentem & Auſtrum. Non nimis hunc ſenſum probauerim, vt nec Toſtato arriſit in 13. Geneſ. Quæſt. 607.

קטב

DAEMONIVM MERIDIANVM QVODNAM.

Diuinarem alium ſenſum ex Hebræis, vt eſt Fons opulentus, neſcio an feliciter: Et audierunt vocem Domini Dei euntis in horto ad, vel contra, ſpiritum diei, vt cum *Ruach*, ideſt ſpiritus dicatur in Scriptura interdum de diabolo, Spiritus diei, intelligatur ſpiritus ille immundus, ſeu nequam, qui Pſal. 90.6. appellatur *Dæmonium meridianum.* Hebraice *Keteb*, deuaſtans meridie. *Keteb*, excidium, luem, exitium, interpretantur. Talmudici, & Rabbi Scelomoh, Pomarius, & alij putant eſſe nomen proprium meridiani Dæmonis, Cheteb nuncupati ab exterminio, & auulſione. Scelomoh ita ſcribit: Cheteb dæmon, ita vocatus, qui vaſtat meridie, quia meridie lædit: & ita exponitur in Deras.] Hebraico Commentario. Idem Rab. Scelomoh in Deut. 32. 24. Exiſtimat nomen proprium huius meridiani dæmonis eſſe *Keteb Meriri*. Merirím, inquit Dauid de Pomis, ſunt dæmones furentes in meridie, ſpiritus extenuantes: aut æſtus excellens mortifero veneno ſimilis, aut aer peſtilens.] Alij à virulento & ardenti afflatu *Merirım* appellatos volunt. Vnde illud Deuteron. 32. v. 24. *Morſu amariſſimo.* Heb. *Ve Keteb Meriri*. Et dæmon meridianus, amariſſimus, & virulentiſſimus, exponunt: vt etiam illud Iob 3.4. *Et inuoluatur amaritudine.* Heb. *Terreant eum ſicut Merirím diei.* hoc eſt, dæmones meridiani. Alij, Terreant eum caumata, vel exterminia &c. diei,

מרירים

מרירי

equidem

Equidem eſſe dæmones qui meridiano tempore precipue graſſentur, & apparere ſoleant, horrendaque damna tunc hominibus inferant, Chaldæus Paraphraſtes in Pſal. 90.6. adſtruit cum exponit: Et à coetu dæmonum, qui vaſtant meridie.] Et Origenes in Iob 1. v. 19. ait: Sicut enim in noctis tenebris, ſic ſimiliter in medio meridie pluriores dæmonum tentationes ſe demonſtrant, quàm ceteris temporibus.] Hæc ille. Qui etiam putat ventum illum ſeu ſpiritum, qui domum ſubruit & liberos Iob oppreſſit, fuiſſe dæmonem meridianum, cum illi meridiano tempore pranderent. Sed dæmoniorum meridianorum plurimas ſtrages, & exempla leges apud Martinum Del rio Libr. 2. Magicar. Diſquiſitionum, Quæſt. 27. Sectione 2. G. nobis in his immorari non vacat. Aduerſus hos meridianos dæmones ſuſpicamur inſtitutam ab Eccleſia communem illam precem, quæ ad ictus campanæ à Chriſtiano populo quotidie in meridie funditur.

ISTVD EVAM TENTAVIT.

Ergo hoc loco Geneſ. Spiritum diei, forſan haud penitus abſurde quis, dæmonem meridianum intellexerit: nempe illum quem Iob vocat Meriri diei: nam dæmonem meridianum fuiſſe qui in Serpente Adamum & Heuam circa meridiem eſu ligni vetiti proſtrauerit, dubium eſſe non poteſt. Hic vero appellatus fortaſſe fuit proprio nomine, *Keteb Meriri*. hoc eſt, Morſus amariſſimus, & virulentiſſimus, vt interpretatur Vulgatus Deut. 32. 24. nimirum à trophæo ſuæ victoriæ, qua primos Parentes triumphauit, quos morſu amariſſimo pomi vetiti letali veneno confecit. Aduerſus hunc Spiritum diei, ſeu dæmonem meridianum, vt tanti mali auctorem, veniſſe Deum ira incandeſcentem, Moſes deſcripſiſſe videtur, cum ait: Et audierunt vocem Domini Dei euntis in horto contra ſpiritum diei. hoc eſt, contra Meriri diei, vel Keteb Meriri, ſeu Dæmonium meridianum: qui Adamum & Heuam meridie in culpam coniecit. Video corrugatam frontem Lectoris; ſi iſta non placent, reſpuat: ſenſus Vulgato non aduerſus, à vocibus, circumſtantiiſque ceteris non abhorrens, cur ridendus?

FILIVM DEI IN HVMANA FORMA ADAMO IN PARADISO VISVM.

Deum tunc in humana forma Adamo & Heuæ apparentem, eos obiurgaſſe, conſentiunt omnes; ſed propius, fuiſſe Filium Dei, Verbumque Patris, qui tunc in humana aſſumpta figura, non equidem hypoſtatice ſibi vnita, apparuerit, Chaldæus Paraphraſtes ſatis indicauit, cum hunc locum ita reddidit: *Et audierunt vocem Verbi Domini Dei, deambulantis in horto ad quietem diei*. Et S. Theophilus Antiochenus Epiſcopus Libr. 2. aduerſum Autolycum ſic ait: Ceterum Sermo Patris per quem omnia creauit, exiſtens potentia & ſapientia Patris; is venit in Paradiſum, & colloquebatur cum Adamo: ſiquidem Scriptura ſacra diſerte ponit, Adamum dixiſſe: Vocem tuam audiui. At vocem quid aliud dixeris, quàm Sermonem Dei, qui eius Filius eſt.] Tertullianus aduerſus Praxeam: Chriſtus ad colloquia humana ſemper deſcendit, ab Adam vſque ad Patriarchas.] At quòd Filius Dei in humana forma Patribus Veteris Teſtamenti interdum apparuerit, fuſe docemus in Rebus Chriſti Domini, Libr. 3. Cap. 5.

Quales

Quales fuerint tunicæ pelliceæ, quibus Deus primos Parentes induit. Cap. LXXVII.

DE his Moſes iſta refert Geneſ. 3.v. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas,& induit eos.* S. Methodius Martyr in Aglaophonte,& S. Epiphanius in Anchorato in crimen accerſunt Origenem, quòd eas tunicas pelliceas allegorice tantum intelligendas docuerit,nempe corpora mortalia, & innumeris ærumnis obnoxia, quæ primi Parentes per peccatum induerint. Conſimili errore Franciſcus Georgius Tomo 1. Problematum,non hiſtorice,ſed nude allegorice accipiendas illas tunicas cenſuit,nempe factas ex pelle illius Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi. In hoc delirium inuehunt S. Auguſtinus Lib. 11. de Geneſi Cap. 39. Diodorus Tarſenſis in Græca Catena Geneſ. 3. Theodoretus Quæſt. 39. in Geneſ. & latius omnibus S. Epiphanius Hæreſi 64. TVNICAS PELLICEAS, VERAS ET CORPOREAS FVISSE.

Equidem iacta veritate hiſtoriæ, allegorias aptas ſuperſtruere non fuerit alienum: at nullam hic agnoſcere hiſtoricam veritatem, prorſus erroneum. Quocirca Sancti Patres qui hic allegoriam exhibent, eos hiſtoriam quoq. profiteri non dubitamus. Vnde pulchre S. Gregorius Nazianzenus philoſophatur in hæc verba:[a] Induti ſumus veſtem pelliceam, hiſtoricè quidem mortuorum animalium pelles: allegorice vero craſsam iſtam & mortalem carnem.] Hæc ille, Oratione de Chriſti Natiuitate. Qua etiam mente S. Gregorius Nyſsenus ſcribit,eas tunicas fuiſse libidinem,coitum,conceptũ, partum, educationem, morbum, iracundiam, mortem denique: his enim omnibus malis illos indutos, ſimulatque donis Spiritus ſancti ſunt expoliati. In quam quoque ſententiam Philoxenus Mabugenſis fere ſubſcribit, dum ait,eas tunicas fuiſse curas,corruptionem,morbos, dolores,anxietates, metum,& vniuerſa mala quæ generis noſtri Proauctores per peccatum induerunt. Vide Bar-Cepham.

[a] Apud Steuchum in Notis ad 3. Geneſ. & Bar-Cepha. Lib. de Paradiſo, c. 28.

Ergo hiſtorice veras,& reales tunicas intelligi opportere, extra controuerſiam eſto, ſed quales fuerint, perueſtigemus. Dominus Iacobus Sarugenſis, inquit Bar-Cepha, dicit, veſtis quoddam genus fuiſse, quod,quia tactu craſsum denſumque erat, tunicæ pelliceæ fuerit appellatum. Gregorius Theologus, & cum eo alij, arborum cortices fuiſſe volunt.] Hæc Moſes. Fuiſse quidem arborum cortices Theodorus Heracleotes, & Gennadius Conſtantinopolitanus Epiſcopus autumant in Catena Græca Geneſ. 3. Sed Diodorus Tarſenſis in eadem Catena, & Theodoretus Quæſt. 39. in Geneſ. iſtud tamquam affectatum & curioſum reijciunt. Equidem quod Hebraice ad verbum habetur, *Tunicas pellis, Hor* numquam niſi de animantis pelle in Scriptura dictum reperitur, quaſi dicas,corium, colludente Hebraica voce. ARBORVM CORTICES QVIDAM PVTARVNT. עור

Vulgatior ſententia docet, eas tunicas ex animantium pellibus fuiſse confectas. Origenes Homilia 6. in Leuiticum inquit: Fecit Deus tunicas pelliceas, & induit Adam & mulierem eius. Illæ ergo tunicæ de pellibus erant ex animalibus ſumptæ; talibus enim opportebat indui peccatorem, pelliceis, CERTIVS FVISSE ANIMALIVM PELLES.

inquam, tunicis, quæ eſſent mortalitatis indicium.] S. Athanaſius Serm. de Paſſione & Cruce Domini, Tomo 3. Acceperat Adam tunicas pelliceas ex animantibus mortuis factas, ſignum mortificationis, quæ illi per peccatum acceſſerat.] Moſes Bar Cepha Cap. 28 ait: At Athanaſius Oratione de Cruce, & Dominus Ephræm aiunt, has tunicas ex animantium pellibus confectas, dicuntq. mactatis eas pecudibus detraxiſſe primos parentes, atq. concinnaſſe in veſtem, Dei nutu. Porro nos cum Athanaſio, atq. domino Ephrem cenſemus, animalium pelles fuiſſe.] Hæc ille.

Hœdinas pelles eas fuiſſe S. Alcimus Lib. 3. in Geneſ. Cap. 9. cecinit:

His Pater exactis, hœdorum pellibus ambos
Induit.

NON PLACET THEODORETO. Refellit horum ſententiam Theodoretus hiſce verbis: Nam ſi ex animalibus occiſis facta ſunt indumenta, perſpicuum eſt, quod occiſorum animaliũ genus defecerit, cum Deus paulo ante maſculum & feminam creaſſet, nec adhuc vlli partus extitiſſent. Præterea nemo exiſtimare poteſt, Deum animalia iugulari præcepiſſe, quando nondum eſus carnium erat permiſſus hominibus. Multo minus decet nos arbitrari, Deum veſtes, quæ non erant, produxiſſe: qui homine creato deſijt quidquam creare quod non eſſet, quaſi in ipſo creationem vniuerſi mundi concludens. Conſtat igitur Deum pelliceas veſtes non creaſſe ex nihilo.] Et poſt pauca: Valde quidem ſtolidum eſt & anile, Deoq. minime dignum, arbitrari Deum pelles animalium iugulatorum, aut aliter mortuorum accepiſſe, & inde pelles eas conſuendo, coriarij more, in veſtimenti formam redegiſſe.] Hæc Theodoretus. Vſus eſt eodem argumento Origenes apud S. Epiphanium in Anchorato. Numquid, ait, Deus coriorum tinctor erat, vt paratis pellibus tunicas Adam, ac Heuæ fecerit?]

VARIE POTUISSE FIERI EX ANIMALIUM PELLIBUS. Verum Theodoreti & Origenis argumenta pleriq. confutant. Procopius Gazæus in 3. Geneſ. annotat, abſq animalium occiſione tunicas illas pelliceas bifariam conſtrui potuiſſe: vel ex conuerſione præexiſtentis materiæ in pelles; vel ex creatione de nihilo: nam cum homo die ſexto & conditus & eiectus de Paradiſo fuerit, nihil prohibet Deum eadem ſexta die pelles creaſſe de nihilo, cùm nondum ſeptima foret dies, in qua Deus quieuit ab vniuerſo opere quod patrarat. S. Epiphanius eas pelles creatas ex nihilo ſatis aperte adſtruit in Anchorato hiſce verbis: Vtrum enim facilius erat cælum & terram ex nihilo facere Deum, aut tunicas pelliceas?] Et Hæreſi 64. O incredule, & omnes incredulos excedens, dic mihi ſingula à Deo facta quantam habent miraculorum operationem & admirationem? Vnde ex nihilo extentum eſt cælum in ſublimi dilatatum? &c. Sic etiam tunc voluit Deus, ò incredule, pelliceas natura tunicas, abſq. animalibus, abſq. arte aliqua humana & multiformi cultu; & ſimul vt voluit, fecit Adam & Heuæ, quemadmodum ab initio ſimul voluit, & mundus & omnia facta ſunt.] Hæc ille. In eandem ſententiã Bar Cepha citat Iacobum Sarugenſem: Poſtremo, *inquit*, dominus Iacobus Sarugenſis dicit, Deũ ea indumẽta ex nihilo creauiſſe: ſcribit enim in hæc verba: Contexuit tunicas ex nihilo, & veſtiuit ipſos. Et rurſus: Quia, inquit, tactu rudes & craſſæ erant, appellauit pelles: attexuit autem ipſas paulatim corporibus ipſorum, ſuo nutu: atq. ita dum non ſentiunt, induuntur

tur tunicis,ſed eas iam veſtiri vident tandem.] Hæc Iacobus. Toſtato non placuit creatas eas pelles ex nihilo,cum non ſint ponenda miracula ſine neceſſitate:& rectè potuerint ab animantibus detrahi.

Bar-Cepha inquit:Nos cum Athanaſio atque domino Ephræm cenſemus, animalium pelles fuiſſe.Si vero id redarguere quis conetur, quia nullum animal iugulari adhuc potuerit,quando è ſingulis generibus par vnicum conditum fuerat, eoq. ſine generis vnius interitu nullum animal mactatum fuiſſet: negamus vnicum dumtaxat par in animalium generibus ſingulis fuiſſe effectum: neq. enim hoc ſacris Litteris proditum eſt. Enimuero Deus, qui permiſit Adami arbitrio,vt peccare poſset, opuſq. haberet indumento, creauerat complura animalia: cumq. ille violata lege peccaſſet, humana ſe ſpecie primis Parentibus oſtendens, induit ipſos pelles,ſolo eius nutu pecudibus detractas, atque verbo in tunicas conformatas. Etvero dominus Ephræm ait,fortaſſe coram illis iugulatas eſſe pecudes, vt earum carnes ipſi veſcerentur,corijſq. nuditatem ſuam cooperirent.] Hæc Moſes.

Hugo de S.Victore in Notis ad 3. Geneſ. ait: Fecit eis tunicas pelliceas, vel de elementis miniſterio Angelorum, vel docuit eos facere detrahendo pelles ab animalibus.] Rupertus illud quod Moſes de Deo ait: Fecit eis tunicas pelliceas; interpretatur,faciendi neceſſitatem illis impoſuit. Catharinus exiſtimat iſtud proleſi quadam dictum, cum aliquo poſt tempore factum fuerit,quando iam multiplicatis animantibus ſacrificia offerret Adã, & de mactatis pecoribus tunicas ſibi pararet: itaq. exponit: Docuit eos vt occiderent animalia,& ſacrificarent,ex pellibuſq. immolatorum tunicas ſibi conſuerent. At iſta ſenſui Patrum minime conſonant, cum omnes intelligant,Deum Protoplaſtos,antequam Paradiſo eijcerentur, tunicis pelliceis induiſſe:& hoc eſt verius,cum eos,ſimul ac iniurias cæli, & pudorem ſentire cœpiſsent,opportuerit veſtiri.

TVTIVS IVDICIVM DIODORI.

In hac re libenter excipimus iudicium Diodori Tarſenſis, in Catena, iſta dicentis: O nos curioſos,qui vnde fuiſſe pelles Deo, perſcrutemur ad noua indumenta? Acquieſcendum potius eſt ijs quæ ſcripta ſunt,& pro comperto habendum,nihil vnquam deeſſe Deo,nihil in theſauris ſuis non contineri. Quin potius benignitatem eius immenſam admirari debemus, qui legis quoque transgreſſores refouens,indumentorum deſiderio deeſſe noluit.] Eadem Theodoretus Quæſt.39. in Geneſ.

Si quid diuinandum,rebus,& myſterio magis conſentaneum remur,ex occiſis extra Paradiſum animantibus, Deum miniſterio celerrimo Angelorum eas pelles aptaſse,atque in tunicas primorum Parentum conformaſse: nam melior iam ſententia obtinuit,in quibuſdam ſpeciebus animantium, plura quàm duo indiuidua creaſse. Non omiſerim iſta Bar Cephæ: Eſt porro & hoc notandum,eſse ex Interpretum numero,qui dicat, inde ab Adamo & Heua cunctos mortales pellibus animantium veſtitos fuiſse, ad inuentam vſq. ab hominibus texendi artem.] Hæc ille, quæ facile credimus. Sed de his,alijſque ad tunicas pelliceas primorum Parentum ſpectantibus plura Pererius Lib.6. in Geneſ. Hamerus,& Yſtella in 3. Geneſ.

De Cherubim & flammeo gladio atque verſatili, cuſtodibus Paradiſi.

MOſes Geneſ. 3. v. 24. iſta refert: *Eiecitq. Dominus Adam ex Paradiſo: & collocauit ante Paradiſum Voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam Ligni Vitæ.* Hæc quidem hiſtorice accipienda, vt cetera omnia antecedentia, cum eodem tenore & ductu verborum enarrentur, conſenſus eruditorum docet: nec tutum eſt aliter ſentire. Quocirca miramur Antonium Honcalam in 3. Geneſ. Cornel. Ianſenium in Cap. 143. Concordiæ Euangel. Goropium Becanum & Ioan. Pinedam Libr. 1. Monarchiæ Eccleſ. C. 11. §. 2. hic allegoriam tantum ac metaphoram validæ & ſempiternæ occluſionis Paradiſi, agnouiſſe. Qui allegorias ſeruato hiſtoriæ fundamento velit inædificare, dummodo ſcitas & appoſitas, & temperate, non eſt reiciendus: de quibus poſtea.

Quidnam ſint Cherubim in ſacris Litteris.
Cap. LXXVIII.

IOSEPHVS agens de duobus Cherubinis Propitiatorii, Lib. 3. Antiq. Cap. 6. hæc ſcribit: Operculo autem Arcæ
CHERVBIM ANIMANTIA. impoſitæ erant effigies duæ, quas Hebræi Cherubins appellant. Ea ſunt animantia volucria, noua ſpecie, nec vmquam cuiquam hominum viſa: quæ Moyſes in Dei ſolio viderat figurata.] Et Lib. 8. C. 2. de Cherubinis quos Salomon in Adyto Templi ex auro ſolido dedicauit, hæc refert: Hæ Cherubicæ effigies quanam ſpecie fuerint, nemo vel conijcere poteſt, vel eloqui.] Tantum Ioſephus. S. Hieronymus Epiſt. 130. ad Marcellam
VESTES PLVMARIAE. de Cherubim in hunc modum diſſerit: In Exodo ceteriſque locis vbi deſcribuntur veſtes plumaria arte contextæ, opus Cherubim, ideſt, varium atque depictum eſſe factum deſcribitur: ita tamen vt *Vau* litteram Cherubim non
כרבים habeat: quia vbicumque cum hac littera ſcribitur, animalia magis, quam
CHERVB VARII ETYMI AC NOTIONES. opera ſignificat.] Hæc ille, ſane diſerte, nam quod Exod. 26. v. 1. & 31. Noſter habet, *Opere plumario*: Hebraice eſt *Cherubim*, defectiuum, hoc eſt, ſine *Vau*.

כרוב Exploratum inter omnes omnes conſtat Cherubim eſſe plurale huius ſin-
כרוב כ gularis Cherub, de quo nec noſtri nec Hebræi conueniunt, quid proprie ſi-
כרביא gnificet. Kimchius in Radicibus annotat, Doctores Hebræorum exiſtimaſſe
כרובים in Cherub litteram *Caph* eſſe ſeruientem, tuncque nomen enodant. Cherub,
כרביא quaſi *Cherabeja*, & Cherubim, quaſi *Cherabaja*. hoc eſt, ſicut puer, vel pueri,
רביא Chaldaice: nam Chaldæis *Rabeja*, ſingulare, ideſt, puer, vel adoleſcens: &
רביא *Rabaja*, plurale nimirum quòd Cherubini iuuenili, & eleganti forma inſtar adoleſcentium aut puerorum effingerentur.

Pleri-

Plerique Patrum Cherubim multitudinem ſcientiæ, aut cognitionis inter- **PLENITVDO SCIENTIAE.**
pretantur. Ita Philo Lib. 3. de Vita Moſis, & Lib de Cherubim, S. Dionyſius Areopagita de Cæleſti Hierarchia, Cap. 7. Clemens Alexandrinus Lib. 5. Stromatum, Origenes Homil. 10. in Numeros, S. Hieronymus in 10. & 28. Ezechiel. & alibi ſæpius, S. Auguſtinus Quæſt. 105. in Exod. Theodoretus in 1. Ezechiel. S. Gregorius Homil. 34. in Euangelia, S. Anaſtaſius Sinaita Lib. 1. in Hexaemeron. S. Bernardus Serm. 18. & alij innumeri, quod ferme Theologi omnes Scholæ ſequuntur. Sanctes in Interpretatione Hebraicorum nominum, & Oleaſtrius in 2. Geneſ. coniectantur eam notionem ductam à *nachar*, cognouit, & *rab*, multum, quaſi, Cherub dicatur, multum cognoſcens. נכר רב
Sed Ribera de Templi Fabrica Lib. 2. Cap. 6. ſic dictum Cherub, hoc eſt, figuratum & pictum, metaphorice exiſtimat, quòd ſit ſpiritus, ſeu opus multarum rerum formis, & ſpeciebus depictum & inſignitum, hoc eſt, multiſcium.

Oleaſtrius in 3. Geneſ. & in 25. Exodi, arbitratur Cherubim, dictos, quaſi *Cherabim*, id eſt, Sicut multi; quòd illi Angelici ſpiritus dicti Cherubim, ſint magno numero. Forerius in 37. Iſai. Verſ. 16. ſuſpicatur forſan à cognato verbo *Karab*, appropinquauit, dictos Cherubim: nimirum quòd ſuperni illi ſpiritus, vel ſubito aduenirent ac præſto eſſent, vel quòd Deo tamquam miniſtri familiares ſint: nam qui Deo in diuinis ſeruiunt, appropinquantes Deo dicuntur. כרובים כרבים קרב

Aben-Ezra, & doctiſſimi quique Hebræorum, & ex noſtris Sanctes in Theſauro, Genebrardus in Pſalm. 79. Verſ. 3. & alij malunt, Cherubim dici vniuerſe & in genere quaſlibet *Tſuroth*, hoc eſt, formas & figuras. Hoc ipſum iam prior S. Hieronymus indicauit, vti nuper vidimus, cum dicebat Cherubim, opus varium ac depictum ſignificare. Indigni qui citentur Forſterus & Mercerus, Cherub, cum verbo tranſpoſito *Rachab*, equitare, inuehi, contulerunt. Quid ſi conferamus cum *Rabab*, quod robur excellentiamque denotat? Quid ſi cum alio tranſpoſito *Chabar*, quod multitudinem indicat. Nempe vt nomine Cherubim, generaliter è primæua vocis notione ſignificetur vel res ſpiritalis, vel corporalis imago, artificis manu fabrefacta, quæ tamquam volucris, alis expanſis inuehatur, vel ob motus celeritatem vehi ac volare videatur; ſitq. præſtantis, & excellentis naturæ, atque multitudinis copioſæ. צורות **VNIVERSÆ IMAGINES** ברוב רכב רהב כבר

Hinc quatuor illa animalia pennigera, & volantia, quæ Ezechiel Cap. 1. ſe vidiſſe deſcribit, Capite deinceps 10. aperte Cherubim vocat: quòd nimirum alis ſuis nimia velocitate veherentur inſtar fulguris coruſcantis diſcurrentia: & quadriga illa quatuor animalium cum quatuor rotis, quæ Hebraice dicitur *Merchebah*, id eſt, currus, vectura, quadriga, atq. generalem Dei gubernationem & prouidentiam adumbrat, Cherubinis tribuitur in Scriptura, 1. Paralip. 28. V. 18. *Vt ex ipſo auro fieret ſimilitudo Quadrigæ Cherubim, extendentium alas, & velantium Arcam fœderis Domini*. Volunt aliqui[a] reuera Arcam Domini in Oraculo fuiſſe impoſitam quadrigæ quatuor Cherubinorum & quatuor rotarum, ad eum modum quo Ezechieli Cap. 1. demonſtrata eſt gloria Domini inuecta quadrigæ quatuor Cherubinorum, totidemq. rotarum. Tametſi quadrigam Cherubim in Propitiatorio מרכבה **QVADRIGA DEI.**

[a] *Pradus ac Villalpandus.*

Caie-

Caietanus & alij dictam potius velint, non à forma quadrigę, ſed quòd Cherubini Propitiatorij eſſent quaſi quadriga & vectura Dei, quibus Deus inſidens in Propitiatorio veluti veheretur.

Impius Mercerus exiſtimauit, nubes ipſas interdum nomine Cherubim in Scriptura nuncupari, vt Pſalm. 17. Verſ. 11. & 2. Reg. 22. Verſ. 11. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit: volauit ſuper pennas ventorum*, nimirum quòd nubes ſint velut alæ Dei, & quadriga cui Deus inuehitur: nam Hebraice eſt: **DEVS VEHITVR CHERVBINIS.** *Et equitauit ſuper Cherub.* At neutiquam iſtud probauerim. Equidem Deus ſæpius in Scriptura ſeſſor, vel vector, aut equitans Cherubim appellatur 1. Reg. 4. Verſ. 4. Pſalm. 79. Verſ. 3. & Pſalm. 98. Verſ. 1. Iſaiæ 37. Verſ. 16. nempe vel propter Cherubos Propitiatorij, quibus Deus veluti vectus reſponſa reddebat: ſic enim conſtructa erat Arca & Propitiatorium, vt videretur ſedes vel quadriga Dei à Cherubinis vecta. Vel quòd Cherubis ſpiritibus Angelicis velociſſimis vtatur Deus ad præſentiſſima imperia: vel quòd his indicetur celerrima & efficaciſſima Dei prouidentia & gubernatio: nam Deus Cherubinis quaſi quadrigæ & currui pennatorum animalium inuehens, ſumma pernicitate volat, vbique præſentiſſime adeſt, omnia proſpicit ac moderatur. Vt enim cœpimus dicere, *Merchabah*, illa vectura & quadriga Cherubinorum Ezechieli oſtenſa figurabat generalem Dei prouidentiam, actionē, gubernationem, omnipotentiam, qua Deus volucri & immenſa promptitudine, tamquam ſummus Imperator curru inuectus omnia regit, atque conſeruat. Hinc S. Hieronymus Epiſt. 143. ad Damaſum hæc annotat: Illorum quoque pius licet, attamen coarguendus error, qui in orationibus & oblationibus ſuis audent dicere: Qui ſedet ſuper Cherubim & Seraphim. Nam ſuper Cherubim ſedere Deum ſcriptum eſt, vt ibi: Qui ſedes ſuper Cherubim, oſtendere. Super Seraphim vero ſedere Deum, nulla Scriptura commemorat.] Hæc ille. Eadem in 6. Iſaiæ habet.

Sed quali figura Cherubim Propitiatorij eſſent conformati, explicādum. Ioſephus neminem id conijcere vel eloqui poſſe affirmat. Talmudici, Aben-Ezra, in 25. Exodi, Rabbi Scelomoh in 1. Paralip. 3. Verſ. 10. & plerique Hebræorum: & noſtri fere omnes Chriſtiani docent Cherubos Propitiatorij habuiſſe formam humanam adoleſcentiū ſeu iuuenum, ſed alatorum & volucrium. Qui poſt omnes Hebræos nouiſſimus ſcripſit Dauid Pomarius in Tſemach Dauid hæc ait: Cherubim ſunt imagines habentes figuram hominis, niſi quod ſunt alatæ.] Vide Lyranum, Burgenſem, & Toſtatum in 25. **QVALI EFFIGIE CHERVBINI.** Exodi, & Genebrardum in Pſalm. 73. Verſ. 8. Quocirca miramur Oleaſtrium in 25. Exodi, voluiſſe à tanto conſenſu diſcedere.

Caietanus in 25. Exodi, eo argumento probat Cherubos Propitiatorij habuiſſe formam humanam, quòd ibidem Verſ. 30. illud Noſtri, *Reſpiciantq. ſe mutuo.* Hebraice ſit: *Et facies eorum, vir ad fratrem ſuum.* Sed non eſt ſolida ratio, quòd Hebraica phraſi vir, mulier, frater, ſoror, dicantur non ſemel de quacumque re etiam inanimata & ſexu carente. Iſaiæ 40. 26. de ſtellis: *Neque vnum reliquū fuit.* Hebr. *Et vir non eſt ſubſtractus.* Exod. 26. 5. de cortinis: *Quinque cortinæ ſibi iungentur mutuo.* Heb. *Et quinque cortinæ erunt coniunctæ mulier ad ſororem ſuam.* Ezechiel 3. 13. *Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram.* Heb. *Mulierem ad ſororem ſuam.* Geneſ. 15. 10. de partibus

tibus animalium mactatorum. *Et vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit.* Heb. *Et dedit virum partem eius è regione proximi ſui.* Iſai. 34. 16. *Alter alterum non quæſiuit.* Heb *Mulier ſororem ſuam non requiſiuit.* q.d. nihil deerit euentui. Atqui hæc ſunt annotata à Kimchio, Sancte, alijſq. in Lexicis.

Hieronymus Pradus in Commentarijs primę viſionis Ezechielis, & Ioannes Baptiſta Villalpandus Tomi 2. Explanationum, Parte 2. in Cap. 42. Ezechielis, à Cap. 35. vſq. ad 45. longa diſputatione oſtendere nituntur Cherubinos Propitiatorij, & ſculptos in Templi parietibus, & illos Ezechieli viſos vna & eadem figura fuiſſe; nempe effigie humana, & corporis forma virili, quaternis præditi aquilinis alis, binis inuolantes, binis inferiores corporis partes contegentes: quorum dorſa leoninis veſtiebantur iubis, & pedes erant vitulinis vngulis conſimiles. Et hanc eſſe formam quam illis Ezechiel tribuit Cap. 1. Verſ. 5. & 10. *Et in medio eius ſimilitudo quatuor animalium: & hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis: quatuor facies vni & quatuor pennæ vni.* MIRA IORVM FORMA E RECENTIORIBVS.

Et cum Ezechiel addat in Cherubinis fuiſſe faciem hominis, faciem leonis, faciem bouis, & faciem aquilæ: non eſt exiſtimandum vnicuique Cherubo quatuor capita, cum quatuor vultibus diſtinctis & è collo prominentibus, nempe humanum, leoninum, bouinum, & aquilinum caput adfuiſſe: ſic enim redderent monſtrum turpiſſimum & horrendum: cum Cherubini eſſent omni decore & pulchritudine mirabiles, nimirum inter præcipua Templi ornamenta: ſed, facies, Heb. *Panim*, non tantum ſignificare vultum qui in capite reſidet, ſed vniuerſe quidquid aſpectui obijcitur, & quãuis cuiuſq. rei ſuperficiem & ſimilitudinem, ſeu ſpeciẽ, vt ſunt exempla in Scriptura paſſim obuia, 2. Reg. 14. 20. & alibi. Sicq. Cherubinorum vultus, ſimilitudo, & tota ſtatura erat humana, ſed cum leoninis iubis, plantis vitulinis, & aquilinis alis, quæ erant facies, hoc eſt, ſimilitudines, & habitus, leonis, vituli, & aquilæ. Scimus doctos iſtos viros Pradum ac Villalpandum ob hanc interpretationem, & effigiationem Cherubinorum paſſos calumniam, & reſpondere conatum Villalpandum Cap. 35. & ſeqq. Negari ſane non poteſt diſertos Patres inſigni vſos eruditione & iudicio ad firmandam ſententiam ſuam: ſed ad viuum hæc reſecari vix poſſent niſi poſt prolixiſſimam totius viſionis Ezechielis explanationem, ſingulorum accuratiſſimam expenſionem, & multorum Scripturæ difficilium locorum collationem: nec ſcio an integer Cõmentarius his ſufficeret. Interim maneamus in vulgata opinione, Cherubos Templi humana iuuenili ſpecie, alatos fuiſſe, vt omnium ſæculorum pictura Eccleſiaſtica mira conſenſione repræſentat. Nudos in Templo efformari ſolitos, aſſerunt Hebræi, & noſtri omnes è S. Dionyſio de Cæleſti Hierarchia Cap. 15. Quòd autem, inquit, nudi aut diſcalceati deſcribuntur, hoc ſignat quod liberi, & ab omni ſoluti, & expediti labe ſint puri.] Hoc ipſum affirmari quidam putant 3. Reg. 7. Verſ. 36. *Cherubim, & leones, & palmas, quaſi in ſimilitudinem hominis ſtantis.* Noſter aperte edicere videtur Cherubim humanam formam expreſſiſſe. Heb. *ſecundum nuditatem viri.* vt vertit Montanus. *Chemaar is* difficilem habet explicationem. Marinus, *Sicut nuditas viri.* Alij, *Tamquam nuditatem viri.* hoc eſt, quaſi virum nudum. Sanctes, *Secundum latus*, vel ex latere, vt Rab. Ionah, *viri.* ideſt, vniuſcuiuſque *Is*, vir, Hebraica

פנים

כמער איש

איש

braica phraſi ſæpius pro, vnuſquiſque, ponitur in Scriptura; Kimchius, *Secundum coniunctionem vniuſcuiuſque*. Rabbah Ben Seiloh, *Secundum coniunctionē viri*. ideſt, quemadmodum vir ſuæ coniungitur vxori, ore ad os. Vatablus, *E regione cuiuſque*. Clarius, *Vnumquodque e regione alterius*. Quidam, *Quemadmodum in abaco quolibet*. Alius, *Secundum nuditatem*, ideſt, ſpatium, vacuum, *vniuſcuiuſque*, Nihil propius quàm illud, *Sicut nuditas viri*. quod Vulgatus expreſſit, *In ſimilitudinem hominis ſtantis*, & nudi.

CHERVBIM ANGELICVS ORDO. Porro Cherubim in diuinis Litteris, peculiare eſſe nomen cuiuſdam Ordinis ſupernorum ac beatorum ſpirituum, quos generali vocabulo Angelos vocamus: ad quos repræſentandos effictæ ſint illæ Cherubinorum effigies in Templo, etſi Nouatores negent, aſſerentem habemus totam Eccleſiaſticam Antiquitatem. Affirmant id Liturgia Aegyptiaca S. Marci, quæ etiam nomine S. Cyrilli Alexandrini circumfertur, & Liturgia S. Iacobi Ieroſolymitana; Ex Græcis Patribus, S. Clemens Romanus Pontifex Apoſtolicar. Cõſtitutionum Lib. 8. Cap. 12. S. Dionyſius Areopagita de Cæleſti Hierarchia Cap. 6. & 7. S. Ignatius Antiochenus Epiſt. ad Trallianos, Clemens Alexandrinus Lib. 5. Stromatum, S. Hippolytus Martyr Oratione de Conſummatione Mundi, S. Methodius Martyr Sermone de Reſurrectione, S. Antonius Abbas Epiſt. 2. ad Arſinoitas, S. Athanaſius Oratione in dictum, Omnia mihi tradita ſunt à Patre, & de Communi eſſentia Patris & Filij & Spiritus ſancti, & Quæſt. 4. ad Antiochum, S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catech. 2. S. Baſilius in Liturgia, S. Epiphanius Serm. de laudibus Deiparæ, S. Gregorius Nyſſenus Homil. 15. in Cantica, S. Chryſoſtomus Homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura, & in Liturgia, & Homil. 4. in Geneſ. Palladius Epiſcopus Helenopolis in Lauſiaca Cap. 20. S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 1. in Geneſ. & in Liturgia, Theodoretus Quæſt. 60. in Exod. & in 1. Cap. ad Coloſſ. & in Diuinis decretis Cap. 7. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus Orat. 1. in Annunciationem Deiparæ, S. Sophronius Ieroſolymitanus Epiſcopus Orat. 6. de excellentia Angelorum, S. Maximus Monachus & Martyr in Comment. ad 6. Cap. Dionyſij de Cæleſti Hierarchia, S. Ioannes Damaſcenus Lib. 2. de Fide Orth. Cap. 3. Cæſarius Dialogo 1. Pantaleon Diaconus in Encomio S. Michaelis, Cap. 3. Euthymius in 15. Lucæ, Michael Glycas Annalium Parte 1. Theodorus Prodomus Dialogo de Amicitia exulante.

EX SENSV PATRVM. Ex Latinis, S. Hilarius in Pſalm. 134. S. Hieronymus Lib. 2. in Iouinianum Cap. 15. S. Auguſtinus Quæſt. 105. in Exod. S. Gregorius Homil. 34. in Euangelia, S. Iſidorus de Summo bono Lib. 1. Cap. 12 S. Beda Lib. Quæſt. 9. de Angelis, Haimo Dominica 4. poſt Pentecoſten, Rabbanus Lib. 1. de Vniuerſo C. 5. Alphanus Salernitanus in Agone duodecim Martyrum, S. Anſelmus ad Cap. 12. poſterioris ad Corinth. Hugo de S. Victore, in Summa Sententiarũ, Tract. 2. de Creatione & ſtatu Angelicæ naturæ, Cap. 5. Rupertus Abbas Lib. 2. in Geneſ. C. 15. Honorius Auguſtodunenſis in Speculo Eccleſiæ, Serm. de S. Michaele, S. Bernardus Serm. 27. in Cantica, & Lib. 5. de Conſideratione, Petrus Lombardus Lib. 2. Sent. Diſt. 9. Et omnes poſteriores Orthodoxi Theologi. Horum omnium ſententias, fuſe deſcripſit vir incomparabilis Iodoccus Coccius, in præclaro illo Theſauro Catholico Tomo 1. Lib. 4. Artic. 2.

Quid-

Quidnam fuerint Cherubim illi à Deo ante Paradiſum collocati. *Cap. LXXIX.*

NOTA eſt Theodoreti ſententia hac de re, quam ipſe Quæſt. 40. his verbis expoſuit: Non eſt credendum Cherubim dicere Virtutes quaſdam inuiſibiles, vt quidam exiſtimant. Quoniam inuiſibilis natura nihil illic contuliſſet: cum viſio ſenſibilis eſſe debeat, quæ ipſum Adam inſtituit. Non igitur gladius ille flammeus naturaliter ignis erat, ſed viſu talis: neque Cherubim erant animalia, ſed talia videbantur. Siquidem & Ezechiel Cherubim videt habentes quatuor facies: cum tamen inuiſibilis natura quadruplicem faciem non habeat. Sed Cherubim vocat illud omne quod potentia præditum eſt. Sic dicit: Qui ſedet ſuper Cherubim. hoc eſt, qui potenter regnat. Et, Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit. hoc eſt, aduenit cum multa virtute. Illud igitur, Et ſtatuit Cherubim, dixit, vt indicet potentem quandam & terribilem viſionem & formam, perinde ac ſi quædam animalia in ingreſſu Paradiſi collocaſſet, quibus inde Adam arceretur.] Hæc Theodoretus. THEODORETVS PERPERAM SENTIT DE CHERVBINIS.

Theodorus Heracleæ Epiſcopus, & Procopius Gazæus in 3. Geneſ. eandem Theodoreti opinionem, totidem pene verbis expreſſerunt. Nouus quidam Hæreſiarcha è Græcia Iacobus Chyus, (quem illum eſſe qui Romæ ſe Palæologum nominabat, & ad Catholicam rediit, Bellarminus arbitratur: quem male poſtea periiſſe accepimus;) in Expoſitione Symboli à ſe edita, hæc ait: Statua illa cum igneo gladio ad cuſtodiam Paradiſi poſita, quam Moyſes Cherubim appellauit, non erat Angelicus ſpiritus, ſed virile quoddam ſimulacrum, horribili forma, laruaque circumtectum: quod Deus ad incutiendum terrorem primis Parentibus præ foribus Paradiſi collocauerat: more agricolarum, qui in ſatis & hortis ligneos palos defigunt, laceris humanarum veſtium pannis indutos, vt eo terriculamenti genere, aues à ſeminum atque frugum paſtu deterreant.] Hæc ille. PEIVS IACOBVS CHYVS HAERESIARCHA.

Bar-Cepha iſtorum ſententiam, cum ſua ratione refert hunc in modum: Alii dicunt Cherub non cæleſtem aliquem ſpiritum, neque incorporeum Angelum fuiſſe, ſed ſpectrum quoddam vehemens, idque Cherub nomine vocatum eſſe, quia ſoleat Scriptura, quæ magnis viribus magnaque vehementia polleant, ea hoc nomine vocitare; quale eſt illud, Qui æquitauit ſuper Cherubim, & volauit. Significat enim Deum magna vi adueniſſe, & veluti inſidentem Cherubis, apparuiſſe, hoc eſt, potenter exercuiſſe imperium. Secundum hos habent iſta Moſis verba hunc ſenſum: Quòd Deus conſtituerit ſpectrum quoddam vehemens ac terribile pro foribus, inque ipſo aditu Paradiſi, ſpecie animantis cuiuſpiam, deterrendi coercendique Adam cauſa. Adferunt autem hi ſuæ ſententiæ hanc rationem. Nomen, inquiunt, Cherub ad iuuenile quoddam robur proprie ſpectat, ac proinde Cherubini Spiritus Deo viciniores aſſiſtunt, nec ad terras dimittuntur: neque enim Scriptura iis procurationem aliquam terris aſſignat: ſed Angeli

ſunt qui ad terram ablegantur, reſque in ea adminiſtrant, & diſpenſant.] Hæc Moſes.

CHERVBIM PARADISI CVSTODES VIRTVTES ANGELICAE.

Ceterum Cherubim Paradiſi cuſtodes, fuiſſe Angelicas quaſdam reuera virtutes, & ſupernos cæleſteſque Spiritus, plerique Sanctorum Patrum affirmant: S. Chryſoſtomus Homil. 18. in Geneſ. inquit: Præcepit Deus vt virtutes illæ Cherubim cuſtodirent viam Ligni Vitæ.] Et in Serm. de Aſcenſione: Angeli, & Archangeli noſtris dolebant ſupplicijs: & quando puniebamur, ipſi quoque nimia triſtitia tenebantur. Et Cherubim licet Paradiſum cuſtodirent, tamen noſtris ſupplicijs triſtabantur: & Cherubim meruerunt quidem cuſtodire Paradiſum, ſed dolebant honorem cuſtodiæ.] S. Auguſtinus Lib. 11. de Geneſi Cap. 40. Et ordinauit Cherubim, & flammeam romphæam quæ vertitur, cuſtodire viam Ligni Vitæ. Hoc per cæleſtes vtique poteſtates etiam in Paradiſo viſibili factum eſſe credendum eſt: vt per Angelicum miniſterium eſſet illic ignea quædam cuſtodia.] S. Gennadius Conſtantinopolitanus Epiſcopus in Græca Catena Geneſ. 3. Cherubim poteſtates ſunt ex his quæ dicuntur incorporeæ, & viſu non manifeſtæ: eæ cum ad cuſtodiam Paradiſi eligerentur, conformaſſe gladios dicuntur, qui ipſo aſpectu ignei viderentur, ſemperque mobiles, atque ita Adam ab ingreſſu excluderent,] Hæc ille.

Moſes Bar-Cepha Cap. 28. ait: Dominus Iacobus Sarugenſis ea Oratione quam de Paſſione, & rurſus ea quam de Aſcenſu ſcripſit, & cum eo alij dicunt, cuſtodem Paradiſi Cherub fuiſſe vnum quempiam ex cæleſtibus Angelis incorporeum.] Et poſt alia: Erat igitur Cherub cuſtos Paradiſi, cæleſtium Spirituum vnus aliquis, tenens lanceam igneam, eamque vibrans atque coruſcans, & primos Parentes deterrens ab acceſſu, vt ſenſit Dominus Iacobus Sarugenſis, & plerique cum eo.] Hoc ipſum aſſerunt S. Eucherius, S. Beda, Hugo Victorinus, Strabus Monachus, Anſelmus Laudunenſis, Lyranus, Toſtatus, Steuchus, Vatablus, Sd, Catharinus in 3. Geneſ. & omnes ferme Recentiores. Vide Sixtum Biblioth. Lib. 5. Annot. 58. Pererium Lib. 6. in Geneſ. Bellarminum Lib. de Gratia primi Hominis, Cap. 16. Yſtellam in 3. Geneſ.

QVI SVPERNI SPIRITVS MITTANTVR.

Iam illud argumentum quod contrariæ ſententiæ fautores opponebant, teſte Bar-Cepha, nempe Cherubinos, ſecundum Ordinem primæ Hierarchiæ non mitti ad procuranda hæc inferiora, ſed Deo ſemper adſiſtere, confutandum. Petrus Lombardus in 2. Sent. Diſtinct. 10. Scotus, Gabriel, Durandus ibidem, & Gregorius de Valentia Tomo 1. Diſputatione 8. Quæſt. 6. Puncto 2. exiſtimant, ordinarie quidem non mitti Angelos ex ſuperioribus Ordinibus, ſed ſolum ex inferioribus: extraordinarie tamen aliquando, etſi raro, mitti quoque ſupremos Angelos, etiam Cherubinos, & Seraphinos. Iuxta hanc ſententiam, quæ eſt cumprimis probabilis, facile dici poteſt, Cherubos appoſitos cuſtodiæ Paradiſi, fuiſſe beatos Spiritus ſecundi Ordinis primæ Hierarchiæ: & tunc ſolum miſſos in Scriptura legi, quòd res illa ſingularis eſſet, & ardua.

At S. Thomas ſecutus S. Dionyſium de Cæleſt. Hierarchia, Cap. 9. & 13. & S. Gregorium Homil. 34. in Euangelia, docet, ſuperiores Angelos non mitti ad externa in terris miniſteria. Itaque aſſerit Seraphinos, Cherubinos, &

Thronos,

Thronos, qui ſunt tres Ordines primæ Hierarchiæ, & Dominationes, qui ſunt primus Ordo ſecundæ Hierarchiæ, numquam mitti: at Virtutes, & Poteſtates, qui ſunt ſecundus & tertius Ordo ſecundæ Hierarchiæ; & Principatus, Archangelos, & Angelos, qui ſunt tres Ordines tertiæ Hierarchiæ, ſolere mitti: quam ſententiam cum bonis quibusque Theologis meliorem putamus. Vide Bañez, & Cumel in 1. Par. Quæſt. 112.

Et huic opinioni conſentanee dicimus, Cherubinos cuſtodes Paradiſi non fuiſſe illos ſupernos Spiritus ſecundi Ordinis, primæ Hierarchiæ, ſed aliquos ex inferioribus Angelis; nempe ex tertio Ordine tertiæ Hierarchiæ. Sed cur dicti ſunt Cherubim? Reſpondemus ex pulchra S. Thomæ doctrina 1. Par. Quæſt. 112. Art. 2. ad 2. minores Angelos interdum mutuari nomina ſupremorum, vel æquiuoce propter aliquam miniſterij analogiam; vel quia exequuntur ſua miniſteria, virtute ſuperiorum Angelorum. Sic vnus de Seraphim dicitur Iſaiæ 6. qui purgauit labia Prophetæ, cum eſſet infimi Ordinis Angelorum; nempe æquiuoce appellatus Seraph, hoc eſt, incendens, quòd miſſus fuerit ad incendendum labia Iſaiæ, vt annotauit S. Dionyſius de Cæleſti Hierarchia Cap. 13. Vel quòd aliqui è Seraphinis ſupremis non hoc ipſe immediate fecerit; ſed quia inferior Angelus virtute eius hoc fecit. CVSTODES PARADISI, EX TERTIO ORDINE TERTIAE HIERARCHIAE.

Eadem ratione, inquit Dominicus Bañes, Angelus qui deputatus eſt cuſtodiæ Paradiſi, appellatur Cherubim: etenim tam humile miniſterium, cuiuſmodi eſt ſeruare Paradiſum terrenum, non debuit committi Angelo ſupremæ Hierarchiæ: ſed ille Angelus appellatur Cherubim ex miniſterio aſſumpto: quoniam Paradiſus fuit occluſus homini, eo quòd extendit manum ad fructum arboris ſcientiæ: Cherubim enim denotat ſcientiæ plenitudinem.] Hæc ille. Pererius dictos eos inferiores Angelos Cherubim putat, vt intelligamus cuſtodes illos Paradiſi fuiſſe ſcientiſſimos, attentiſſimos, & prouidentiſſimos: quòd Cherub plenitudo ſcientiæ interpretetur. Nos ex alijs notionibus, quas præcedenti Capite elucidauimus, illis nomen Cherubim inditum ſuſpicamur, quòd eſſent quaſi inuehentes, volucres, incitati, inuolantes, in aera ſuſpenſi, capitibus imminentes, ad omnem vim irruptionis propulſandam parati.

His addimus, nuncupatos quoque Cherubim, quòd forſan virtute aliquorum è ſecundo Ordine primæ Hierarchiæ Cherubinorum, illud miniſterium cuſtodiæ obierint: & illos ſupremos dici cuſtodes Paradiſi, non quòd per ſe immediate cuſtodiant: ſed per infimos quibus ſuam communicant virtutem, & nomen. Quod etiam obſeruauit Catharinus in 3. Geneſ.

Specie humana, aſpectabili, & corporea apparuiſse Adamo ad oſtium Paradiſi eos Cherubos, nimirum eadem qua poſtmodum in Templo expreſſi fuere, S. Gennadius, Iacobus Sarugenſis, Bar Cepha, & plerique Recentiorum tradiderunt, & nos facile credimus, & Cap. 81. apertius explicabimus. HVMANA SPECIE.

Quid flammeus gladius, atque verſatilis. Cap. LXXX.

להט החרב FLAMMEVS gladius, Hebraice *Labat ha Chereb.* nota elegantem paronomaſiam: Collocauit Dominus Cherubim *& labat ha Chereb*. Ad verbum, Et flammam gladij. Septuaginta, Et flammeam romphæram. Sanctes in Theſauro: Et ferrum gladij. quòd ferrum lanceæ, ſeu gladij, flammæ ac linguæ ſpeciem præſeferat. Putarunt aliqui, Moſen eleganti tranſlatione laminam gladij terſam, politam, ac fulgentem, appellaſſe flammam gladij, quæ vt flamma ſpleudeat dum vibratur: vndè reddunt, *Et laminam* politam ac fulgentem *gladij*. Quocirca duplex ſenſus concipi queat, prior, quòd gladius ille ſeu enſis, aut romphæa, vere fuerit aliqua flamma ceu fax in modū gladij aut fulminis coruſcantis: qui ſenſus ex Septuaginta & Vulgato accipi potuit. Alter vero, quòd enſis ille non verus ignis extiterit, ſed ſpeciē laminæ ferreæ expolitiſſimæ ac fulgidæ exhiberet, quæ in modum flammæ micans ac ſcintillans ſplendores funderet: ac forſan quòd crebra celerique rotatione ſcintillas vibrare videretur: nam ideo addidiſſe apparet, tò *verſatilem*. Nec eſt inſolens eiuſmodi epitheta diſtrictis & politis gladijs tribui: ſiquidem Maro:

HEBRAEA GEMINVM SENSVM CONCIPIVNT.

Vaginaq. cauâ fulgentem diripit enſem.

Et alibi: *- vaginaq. eripit enſem*
Fulmineum. -

Hunc poſteriorem ſenſum ſequuntur Rab. Moſch, & alij ferme Hebræi: ex noſtris Steuchus, Vatablus, Clarius, Oleaſtrius, Marinus: ex hæreticis Mercerus, Leo Iudæ. Chaldæus Paraphraſtes dixit, Aciem gladij. vel, acutum gladium. Equidem Hebraico idiotiſmo, flammam interdum poni pro lamina ſeu ferro lanceæ ſeu gladio, ex alia Hebraica voce *lahab* eiuſdem cum *lahat* ſignificatus, palam liquet, vt Iudic. 3. 22. *Tam valide, vt capulus ſequeretur lahab.flammam,* hoc eſt, laminam. Et Nahum 3.3. *Et flamma*, laminæ, *gladij*. Noſter, *Micantis gladij*.

להב
להט

Porro hoc loco Geneſ. diuerſe à Maſſoretarum punctatura, poſſis legere: *Labat choreb.* hoc eſt, flammam æſtus, vel flammam deſolationis, nempe flammam acerrimam, omnia proterentem.

להט חרב

Ergo hic per Flammeum gladium, vel flammam gladij, aut flammā æſtus intellexerunt quidam à Moſe indicatam Torridam Zonam, quæ ob vehementiam caloris arceat homines ab ingreſſu Paradiſi, vltra quam, vel in qua ſub Aequinoctiali ſit conditus; vt illuc propter feruorem præuſti Cinguli penetrare non poſſint. Iſtud indicat Tertullianus Apologet. Cap. 47. Et ſi Paradiſum nominemus maceria quadam igneæ illius Zonæ à notitia orbis communis ſegregatum.] Et S. Cyprianus Lib. de Geneſi Cap. 2. idem innuit, ita canens de Protoplaſtis Paradiſo exactis:

FLAMMEVS GLADIVS NON EST TORRIDA ZONA.

Deiectoſque procul ſacratis dimouet hortis,
Obuerſoſq. locat, medioque eliminat igni:
In quo perceleri Cherubim euoluitur æſtu,
Dum calidus deferuet apex, flammaſque volutat.

S. Thomas Theologiæ decus 2.2. Quæſt. 164. Art. 2. ad 5. hæc ſcribit: Saluis ſpiritualis ſenſus myſterijs, ille locus Paradiſi præcipue videtur eſſe in acceſſibilis

ceſſibilis,propter vehementiam æſtus in locis intermedijs, ex propinquitate Solis. Et hoc ſignificatur per flammeum gladium: qui verſatilis dicitur propter proprietatem motus circularis huiuſmodi æſtum cauſantis: & quia motus corporalis creaturæ diſponitur miniſterio Angelorum, vt patet per Auguſtinum 3. de Trinitate, conuenienter etiam ſimul cum gladio verſatili, Cherubim adiungitur ad cuſtodiendam viam Ligni Vitæ.] Hæc S. Thomas. Cuius verba expendemus magis Cap. 89. Vide ſupra Cap. 10. Sed & Gulielmus Hamerus in 2. Geneſ. Flammeum gladium hoc loco, diſerte intelligit Torridam Zonam.

NEC MVRVS IGNEVS A TERRA AD CAELVM.

Opinati ſunt alij, Flammeum gladium eſſe murum quendam ignis, vel ibi ex terra erumpentis, vt in Ethna Siciliæ, Veſuuio monte, & noui Orbis Volcanis, vel à Deo aliunde allati, aut de nouo ibidem creati, quo Paradiſus toto ambitu & ab omni parte veluti impenetrabili ſepto eſſet circumuallatus. Ita ſenſiſſe viſus eſt Lactantius Firmianus Libr. 2. Diuinarum Inſtitut. Cap. 13. ſic dicens: Deus eiecit hominem de Paradiſo, ipſumque Paradiſum igni circumuallauit, ne homo poſſet accedere.] Hæc ille.

Hoc ipſum diſerte docent Hugo de S. Victore, Rupertus, Petrus Comeſtor, Lyranus, Toſtatus, & alij in 3. Geneſ. At dura nimis eſt & aliena metaphora, vt murus igneus dicatur flammeus gladius. S. Ambroſius in Pſal. 118. & Rupertus Lib. 3. in Geneſ. Cap. 32. Flammeum gladium, ignem Purgatorium qui animas expiat, interpretantur. Hanc allegoriam non reſpuimus, ſi tamen primum ſenſus hiſtoricus conſeruetur. Ad hiſtoriæ igitur veritatem ſimpliciſſimum arbitramur, vt Cherubim veri Angeli in humana ſpecie cuſtodes Paradiſi appoſiti ſunt; ita quoq. flammeum gladium reuera fuiſſe, igneã aliquam flammã inſtar prægrandis romphææ: vel ſpeciem gladij, aut laminæ ferri politæ atq. fulgentis: vtrumq. enim potuiſſe cõtingere, ex Moſis verbis notauimus. Atq. id iam claſsici Interpretes communi ſenſu probant.

SED VEL IGNEA FLAMMA, VEL SPECIES FVLGENTIS ROMPHAEAE.

Moſes Bar-Cepha Libr. de Paradiſo Cap. 28. hæc ait: Dominus Iacobus Sarugenſis, & cum eo alij dicunt, cuſtodem Paradiſi Cherub fuiſse vnum quempiam ex cæleſtibus Angelis incorporeum: aciem vero gladij verſatilis fuiſſe figuram quandam igneæ lanceæ, quam Cherub manu tenens atq. coruſcans, proterrebat primos Parentes à Paradiſo, arcebatque ab Arbore Vitæ. Ceterũ lanceæ formã inde arguunt, quòd eò myſtice ſpectaſſe videatur lancea illa, quã Chriſtus ſuo latere excepit: quaſi iam tum de manu Cherub erepta eſſet illa lancea, patefactaq. ad Arborem Vitæ, via. Alij dicunt aciem gladij vocatam eſſe non ferrum, neque ignem, ſed figuram quandam enſis, quæ ignea ſpecie collucere atque fulgere videbatur.] Hæc ille.

Sed illud quod addit Moſes, *Atq. verſatilem*, exponendum: Hebraicum femineum participiũ *Hamithhapecheth*, iungendũ cum *Chereb*, gladio, qui eſt Hebraice generis feminei: non cum *Lahat*, flamma, quæ eſt maſculei generis. Vnde ad verbum reddendum: Et flammam gladij verſatilis, vel, ſeſe vertentis. Ita exponunt Caietanus, Lippomanus, Marinus, Mercerus, Bertramus, Montanus, & alij: Quod & Septuaginta, & Noſter Vulgatus, & Chaldæus Interpres, & Moſes Bar Cepha ſecuti ſunt. Quamuis non ignoremus vſu ſacræ Linguæ interdum ſuppoſitis maſculeis iungi verba feminea, de qua re pauca notabamus Cap. 65. Vnde non prorſus abſurde Sanctes expoſuit: Et aciem gladij verſatilem. Oleaſtrius, Acies gladij verſa, ſeu vertens ſe.

המתהפכת
חרב
להט

Mithha-

Mithhapecheth cum *Lahat*, femineum cum maſculeo conſtruens: neq. ſine myſterio, nempe iram Dei maſculam & robuſtam, nimiumq. accenſam aduerſus genus humanum, tandem temperandam blanditie & facilitate miſericordiæ per Chriſtum, molliterque vertendam & auertendam, quod indicatur genere femineo.

Nonnulli *Mithhapecheth*, vertentem ſeſe, exponunt ancipitem, bicipitem, bina acie, vtrinque acutum & ſcindentem, ut ferme fabricantur militares enſes, Hiſpanici præſertim: quos appellant, *de dos cortes, o, filos*. Aben Ezra in Geneſ. 3. inquit: Is gladius bina habet ora: atque is ſenſus eius quod eſt, Et gladius erat verſatilis.] Ita quoque exponunt Steuchus, Lippomanus, Vatablus, Clarius, Oleaſtrius, Pererius. Vt intelligamus ſpeciem fuiſſe ingentis enſis terſi, politi, rutilantis, ancipitis, qui vtrinque dextra ſiniſtraque ferire ac diſcindere poſſet. Steuchus in Cap. 3. Coſmopœiæ, verſatilem interpretatur, quod creberrima agitatione citiſſime euibraretur ab Cherubinis in omnes partes, terrificum in modum micans ac fulminans. Sed prior Bar Cepha hæc ait: Quod vero verſatilem gladium dicit, perpetua cum agitatione huc illuc vibratum eſſe ſignificat, coruſco fulgore inde emicante, quo obtuentium oculi non ſine horrore perſtringerentur.] Sic ille. Id quod Hebraica formula Hithpahel indicat in *Mithhapecheth*, nā ſignificatū intendit, q.d. celerrime ſeſe vertentem. Hunc ſenſum prætulerim, quòd alioqui verſatilis pro bicipite, exemplo careat in Scriptura, quæ gladium ancipitem, duorum orium ſolet appellare Iudic. 3. 16. Pſal. 149. 6. Prouerb. 5. 4. Oleaſtrius intelligit, vertentem ſeſe, ſcilicet, ad viam Ligni Vitæ: quaſi gladius vnius tantum eſſet aciei, ſed illa erat obuerſa ad viam Ligni Vitæ. Forſan cui videantur Septuaginta hanc intelligentiam innuiſſe, cum reddunt: Et flammeam romphæam quæ vertitur ad cuſtodiendam viam Ligni Vitæ.] Sed ſenſus Oleaſtri alienus eſt, cum ea ratione potius acies reſpicere debuiſſet verſus eam partem qua homo irrumpere poſſet, nempe ad eum arcendum: & illud Septuag. *Ad cuſtodiendam viam &c.* non ingendum cum *vertitur*: ſed cum Cherubim & flāmea romphea: *vertitur*, autem cum rompheа: q. d. Et flammeam romphæam quæ vertitur, hoc eſt, verſatilem, collocauit ad cuſtodiendam viam &c. Caietanus, Flammam procedentem à gladio, qui vertitur, hoc eſt, à cæleſti corpore: forſan innuit æſtum ſideris.

QVID VERSATILIS.

Scite obſeruatum ab Steucho, Vatablo, Pererio, & alijs, cum eſſent plures Cherubini, plures quoq. fuiſſe flammeos gladios: nimirum vnumquemque Cherubum ſuum habuiſſe flammeum gladium horrificum ac præfulgentem. Nec his obeſt, quod Scriptura Cherubim plurali forma, & flammeum gladium ſingulariter ponat: nam vſu ſermonis Hebraici interdum plurali ſingulare in ſyntaxi adiungitur, Geneſ. 47. 3. *Paſtor ouium ſerui tui ſumus*. Ideſt, ſingulus quiſque ex ſeruis tuis. Iſaiæ 59. 12. *Peccata noſtra reſpondebit nobis.* hoc eſt, vnumquodque peccatorum noſtrorum. Micheæ 1. v. 9. *Quia deſperata eſt plaga eius.* nempe, vnaquæq. è plagis. Vide Sanctem Inſtitut. Hebr. Lib. 2. c. 4. Sic hoc loco, Cherubim & flammeum gladium, hoc eſt, quem quiſque è Cherubis ſuum teneret.

PLVRES GLADII.

Ergo poſiti ſunt à Deo ad cuſtodiam Paradiſi, plures Cherubini humana forma, alati, iuuenes, ſinguli cum ſingulis flammeis gladijs, ea ſpecie, quam

explica-

explicauimus; quos celeri manu rotabant tantis micatibus, vt fulmina vibrare viderentur: qua figura tam horrendum terrorem Adamo & Heuæ incutiebat, vt nullo pacto auderent propius conſiſtere. Sic interdum in Scriptura ad perterrendos homines, Angeli cum gladijs diſtrictis atque fulgentibus apparuerunt, Numer. 22. 23. 1. Paralipom. 21. 16. & 30.

Elucidatur locus Geneſ. 3. *V.* 24. Et collocauit *Dominus* ante Paradiſum Voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam Ligni Vitæ. *Cap. LXXXI.*

IAM Cap. 53. dicebamus verba illa: ***Et collocauit ante Paradiſum Voluptatis.*** Septuaginta de Adamo expoſuiſse, cum totum locum ita reddiderunt: *Et eiecit* Dominus *Adam, & habitare fecit contra*, vel è regione, *Paradiſum Voluptatis. Et ſtatuit Cherubim & flammeam rompheam quæ vertitur, ad cuſtodiendam viam Ligni Vitæ.* Quam lectionem ſecuti ſunt omnes illi Græci Patres quos Cap. 15. produximus: & ex Latinis Tertullianus, S. Ambroſius S. Auguſtinus, & alij. At Fons Hebraicus, Chaldæus Interpres, Vulgatus noſter de Cherubinis ea verba perſpicue dicunt, nempe quòd Deus Cherubinos collocauerit ante Paradiſum Voluptatis. Quæ lectio haud dubie eſt præferenda: quam quoque ſequuntur Recentiores omnes ex Hebræo Interpretes. Suum tamen honorem Septuaginta & Patribus detulimus Cap. 53. ILLVSTRANTVR HEBRAEA.

Et collocauit. Sacan, proprie habitare fecit, vt Septuaginta dixerunt: propius erit: Vicinos eſse fecit, viciniam habere voluit: vt non ſubitariam cuſtodiam, ſed fixam & validam intelligas. *Ante Paradiſum Voluptatis. Mikedem legan Eden.* Kimchius, Sanctes, Steuchus, Vatablus, Leo Iudæ, Marinus, exponunt, Ab Oriente, vel, ad Orientem, Paradiſo Eden. Montanus, Ab Oriente ad Paradiſum Eden. vt aſserat Moſes Cherubinos collocatos ad eam partẽ, qua ſol Oriens Paradiſum aſpiceret, quòd ab ea parte eſſet oſtium ſeu præcipuus aditus Paradiſi. Moſes Bar Cepha ita commentatur: Et verſari fecit ad Orientem Paradiſi ipſius Eden, Cherub, & aciem gladij verſatilis, ad cuſtodiendum iter Arboris Vitæ. In Hæbræo eſt: Et manere fecit ab Oriente Paradiſi figuras. (*Suſpicor hanc interpretationem vocis Cherubim à Maſio perperam inſertam.*) Significatur autem his verbis, cuſtodiam Cherub, & aciem gladij collocatam fuiſſe à Deo ad latus Orientale dumtaxat Paradiſi, quaſi ex ea parte ſolum prohibere Adamum voluerit, non item ab alijs lateribus. Quippe exiſtimandum eſt, ab Ortu ſolis portam fuiſse, aditumque patuiſse in Paradiſum, atque illac introductum, illacque rurſum exactum Adamum eſse: inde etiam ſemitam fuiſse ductam in medium Paradiſum, vbi ſita erat Vitæ Arbor, atque ideo ne reuerſus aliquando Adam, illac ſe intro reciperet, cuſtodiam ibi eſse collocatam.] Hæc Bar-Cepha. PORTA PARADISI VBI.

סכן

מקדם לגן עדן

Verum difficile aſsentimur huic interpretationi, quòd primi Parentes eiecti ſint ad partes Occidentales ipſi Paradiſo: ab Occidua ergo Paradiſi parte egreſſi videntur, quà erat aditus, cuſtodia Cherubinorum cum gladijs

inſpe-

inſpectantium, muniendus, ne regrederentur: niſi dicamus Adamum & Heuam circuitu pulſos è Paradiſo, & per portam Paradiſi Orientalem emiſſos, circumductos in regiones ipſi Paradiſo Occidentales, quo minus, per gyros abacti, viam deinde aditumq. Paradiſi reperire poſſent. Sed meliorem remur Chaldæi, & noſtri Vulgati explanationem. *Ante Paradiſum.* Nam *Mikedem*, ante, quoque ſignificare, diximus plenius Cap. 20.

CHERVBIM PLVRES. *Cherubim.* diximus de his ſatis Cap. 78. & 79. eſſe hic pluralis numeri, perſpicuum eſt: itaq. dubium eſſe non poteſt plures Angelos humana forma ad cuſtodiam Paradiſi à Deo collocatos: quòd ſi aliqui Patres vt in ſuperioribus Capitibus vidimus, vnum tantum Cherub ſæpius nominent, id eos ſynecdochice feciſſe conſtat, cum ad inſtitutum de quo ipſi tunc agebant, parum referret ſeu vnus ſeu multi eſſent Cherubim. Reuera tamen plures fuiſſe ſacer ipſe Textus eloquitur. Quot autem fuerint, clam eſt; niſi quòd Catharinus in 3. Geneſ. abſq. vllo ſolido fundamento coniectatur duos fuiſſe. *Et flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam Ligni Vitæ.* Ad verbum: *Et flammam gladij vertentis ſeſe, ad cuſtodire viam Ligni vitarum.* Stabant plures Cherubini humana, iuuenili ſpecie, alati, inuehentes, in aera ſuſpenſi in ipſo margine Paradiſi ad aditum ſeu præcipuum eius introitum, ſinguli ſingulos fulmineos enſes incredibili celeritate rotantes, atque miſeros Protoplaſtos ingenti terrore procul abigentes.

SINGVLARIS HVGONIS EXPOSITIO. Hugo de S. Victore ſingularem huius loci attulit expoſitionem in Annotationibus ad 3. Geneſ. ita ſcribens: Quia & homo & diabolus vterque in Paradiſo peccauerant, vterq. eiectus eſt. Et ne alterutri illorum iterum liceret intrare, contra vtrumq. poſita eſt cuſtodia & offendiculum: Cherubim vt repellat diabolum; ignis vt hominem. Et notandum, Deum ſpeciem ignis facere aut feciſſe, vt in Vita S. Nicolai legitur, cuius natura dicitur eſſe, vt ſi quis manum adhibuerit, ardorem quidem ſentit, ſed nullam patitur aduſtionem: & eſt ignis ille talis naturæ, quòd comburit ſpiritum, nec eget materia, quam conſumat: ſicut nec ille qui eſt in Sphæra ſolis. Iſte autem noſter ignis & eget materia, & ſolum corpus vrit.] Hæc ille. Eadem ex ipſo exſcripſit Petrus Comeſtor in Hiſtoria Scholaſt. Geneſ. Cap. 24. nec prorſus diſſenſit Rupertus Lib. 3. in Geneſ. Cap. 33. Expendat iſta Lector, nobis enim in his immorandi non eſt otium.

CHERVBI CVSTODES PARADISI ADVERSVS DAEMONES. At quòd Cherubini appoſiti fuerint cuſtodes Paradiſi aduerſus dæmones, præter citatos Auctores, aſſerunt quoque Toſtatus & Pererius, ob eam peculiarem rationem, ne dæmones illuc irreperent, indeque decerpentes de fructu Arboris Vitæ, hominibus, longiſſimæ vitæ auidiſſimis, darent, atque eo promiſſo, vel dono innumeros mortales ad ſui nefarios cultus, & omne genus magicarum & reprobatarum artium traducerent: cum nullo æque capiantur homines quàm vitæ amore. Et ſane numquam hactenus legimus aut ſciuimus vlli vmquam Mago quamtumuis ſibi deuincto & obnoxio promiſiſſe, vel dediſſe dæmonem de fructu Vitæ: nimirum quia nequit in Paradiſum introire.

Hanc ego ſententiam nec probare nec abijcere cupio: tantum reputo, dæmonem etſi poſſet, numquam tamen de fructu illo daturum hominibus, etiã ſibi amiciſſimis: cum reuera ipſe nulli ſit amicus, nec vitam hominum quæ-

rat,

rat, aut votis eorum adeſſe ſtudeat, ſed perditioni: ſic nullum vmquam magum, cum poſſit, ditaſſe reperitur.

Iam illud perquirendum, quanto tempore manſerint Cherubini illi cuſtodes cum flammeis gladijs ante Paradiſum. Euſebius Cæſarienſis in Græca Catena Geneſ. 3. manſiſſe ait quamdiu vixit Adam. Ob id, inquit, & fulminantis gladij aſpectus & Cherubim vtilem terrorem præbuerunt quouſque vixit Adam.] Hæc ille. Si Cherubini appoſiti ſunt cuſtodes Paradiſi ne illuc dæmones ingreſſi furentur de fructu Vitæ, vt Toſtatus & Pererius aiebant, certum eſt manere illic Cherubinos, quamdiu manſerit Paradiſus & Arbor Vitæ: ſed aduerſus diabolum nihil opus eſt, vt Cherubi humana & aſpectabili forma ibi ſubſiſtant. Res ſane eſt impendio difficilis & obſcura. Non eſt dubium generis noſtri Satores cum Paradiſo pellerentur, vidiſſe terribilem illam Cherubinorum effigiem cum fulgentibus gladijs, quæ illos à Paradiſi ingreſſu deterreret: forſan quamdiu habitarunt iuxta Paradiſum, vt Cap. 53. notabamus, terrificam illam viſionem à longe proſpectarunt: illis vero inde digreſsis, euanuiſſe: quòd Deus vel hominum inſcitia, vel alijs impedimentis de quibus Cap. 89. agemus locum Paradiſi fecerit prorſus imperuium & inacceſſum. QVAMDIV MANSERIT CHERVBINORVM CVSTODIA.

Quid ſi dicamus manere Cherubos, cum gladijs fulmineis, quamdiu ſtat Paradiſus, etiam ad diem vſque poſtremum rerum humanarum? Iſtud affirmantes vidimus Palatium in 44. Eccleſ. & Pomarium in Tſemach Dauid. Diuini conſilij nos latent rationes, & ad quæuis etiam obuia caligamus, hæremus, compreſſa noſtra ſuperbia: ſummittamus ingenia, & inter arcana diuina iſtud reponamus. Hebræi in Ritualibus ſuis,[a] animas ſuorum defunctorum conceptis precibus, commendant Angelis cuſtodibus Horti Eden, cū orant: Angeli pacis egredimini in occurſum ipſius, portas Paradiſi Eden reſerate illi, atq. pacem aduentui ipſius denunciate. Cuſtodes theſaurorum Horti Eden patefacite ei portas Horti Eden, & ingrediatur N. Paradiſum, fruaturq. fructibus Paradiſi. Expetenda, ſint ab eius dextera: Dulcia, à ſiniſtra. Hoc exaudias ò Domine, eiq. dicas: In pace eſto aduentus tuus.] Hæc ipſi. Vel ſub typo Horti Eden cæleſtem gloriam adumbrantes, vel hæretice putantes animas piorum in Paradiſo terreſtri commorari.

[a] *Libr. Mazhor, interprete Genebrardo.*

Paradiſum Voluptatis poſt Adæ peccatum aboleri coepiſſe, ac tandem diluuio alijſq. caſibus funditus euerſum, iam non extare, aliqui Recentiores exiſtimarunt. Cap. LXXXII.

NONNVLLI Recentiores arbitrati ſunt Paradiſum illum Voluptatis ſtatim poſt Adæ lapſum paulatim diſsipari & corrumpi coepiſſe cum omni ornatu & amoenitate ſua, vt pote locum terrenum, caſibus obnoxium, cultore deſtitutum, neglectum, maledictioni cū tota reliqua terra, cuius ipſe melior pars erat, ob peccatū Adæ ſubiectum. Deinde generali eluuione, qua mundus interijt, ſubmerſum, adobrutum, vorticibus rapidiſsimis conuulſum, cunctis ſurſum deorsū turbatis, inuerſis, penitus diſſipatū perijſſe, omni terræ facie ita deformata, & corrupta, vt ne ve-

ſtigium loci pulcherrimi vix relictum fuerit. Atq. nullo pacto extare in terra Paradiſum. Auctores huius ſententiæ cum eorùndem verbis accipe.

AVG.STEVCHVS. Auguſtinus Steuchus in Notis ad 2. Geneſ. hæc ait: Erat ergo Paradiſus Eden, locus quidem amœnus, atq. odorus, his tamen caſibus obnoxius, quibus & cætera mortalia obnoxia ſunt. Atq. hanc eſſe cauſam puto, quòd is Paradiſus non inueniatur nunc: incultus enim fortaſſe redditus eſt, neq. illam amœnitatis formam ſeruat. Puto aquarum illuuie arbores amœniſſimas eſſe euerſas, terram autem quæ ſuaues herbas pareret, vorticibus rapidiſſimis diſſipatam fuiſſe, atq. ita locum delicatum concidiſſe, èque oculis mortalium euanuiſſe, vt poſt diluuium ne veſtigium quidem appareret.] Hæc ille. Subdit plura in eadem ſententiam, & fuſiora magis in Cap. 2. Coſmopœiæ.

IACOBVS NACLANTVS. Iacobus Naclantus Clugienſis Epiſcopus in Medulla ſacræ Scripturæ in Explicatione Sex dierum mundi, in Tertia portione ex 2. Cap. Geneſ. hæc ſcribit: Meæ quadraret imbecillitati quòd Paradiſus in terra fuerit Promiſſionis, ſicut & in præcedentibus dictum eſt: quem & putarem in præſenti deſtructum: immo & forte à principio deſolatum: vel mox admiſſo peccato, quando maledicta eſt terra, & ſpinis, tribuliſq. expoſita: vel quando mundum inundarunt aquæ, tempore vniuerſalis cataclyſmi, ſicut dictum eſt in ſuperioribus. Cui tamen rei non magis aſſentio, quàm res ipſa permittat: quin & abſolute ſubſcribo, nedum veritati, vel Eccleſiæ ſenſui, ac determinationi, ſed & cuiuis conſtãtiori ſeu probatiori ſententiæ.] Hæc ille. Qui plura præmiſerat de eadẽ re ſuperius in expoſitione Tertiæ diei conditi orbis.

HIER.OLEASTRIVS. Hieronymus Oleaſtrius in 2. Geneſ. hæc autumat: Videntur autem arbores Paradiſi aquis diluuij fuiſſe deſtructæ.] & in C. 3. addit: Mirandum valde quòd locus ille Paradiſi non ſit amplius cognitus aut inuentus. Et potuit fieri, vt aquis diluuij arbores illius ſint euerſæ.] Hæc ille.

CORN.IANSENIVS. Cornelius Ianſenius Gandauenſis Epiſcopus C. 143. in Concordiam Euangeliorum inquit: Vt omittam non tantum incertum eſſe vbi ſit iam terreſtris ille Paradiſus, ſed etiã probabilibus valde rationibus pleroſq. oſtendere & adſtruere Paradiſum illum nuſquam iam extare, vt qui ſimul cum vniuerſa terra, cuius erat pars, maledictioni ſit factus obnoxius ob peccatum Adæ, quod ibi cõtigit: atq. diluuio etiam cũ tota terra obductus perierit, vt Paradiſi felicitas ſimul cũ nomine à terra migrauerit ad cæleſtia.] Hæc ille.

GILB.GENEBRARDVS. Gilbertus Genebrardus Aquenſis Archiepiſcopus Lib. 1. Chronograph. Pag. 7. de Paradiſo ait: Sed diluuio tandem omnibus ſurſum deorſum turbatis ob ruptas maris, terræ, aeris cataractas, Geneſ. 7. ita immutata eſt terræ facies, vt loci illius veſtigium vix vllum deinceps ſuperfuerit, & fluuiorum illorum oculi ſiue fontes in alias regiones, eaſque diſiunctiſſimas tranſlati ſunt. Nequis putet Paradiſum illum hodie extare, aut locum vbi olim ille extitit, eiſdem allui fluuijs.] Sic ille.

PETR. GALESINIVS. Petrus Galeſinus Protonotarius Apoſtolicus in Notis ad ſacram Hiſtoriam S. Seueri Sulpitij Num. 213. ſcribit: Amoenitas vero illa Paradiſi interijt diluuio, vt non mirum ſit ſi ad hodiernum diem ne veſtigium quidem illius remaneat.] Tantum ille.

IOAN. MALDONATVS. Ioannes Maldonatus in 27. Matth. Verſu 44. refellens eorum opinionem, qui di-

qui dixerunt,animã Latronis deportatam in Paradiſum terreſtrem, hæc ait: Quid Latroni dediſſet beneficij,quòd in loco poſuiſſet, vbi nihil eſſet nunc percepturus voluptatis,Paradiſo iã deſerto,atq. vaſtato?] Hęc Maldonatus.

Benedictus Pererius Lib.3.in Geneſ.Q.5.de Paradiſo,in hunc modum diſſerit: Eſt rationi ac diuinis Litteris ſatis conſentaneum, nullũ eſſe nũc Paradiſum illum terreſtrẽ,in quo Adam ad breue tempus fuit. Hoc autẽ in præſentia nonnullis,nec opinor,inualidis rationibus probare conſtitui. Quod ſi forte viſum fuerit doctis,& pijs viris, licet ſatis hæc opinio probabilis ſit, & in eo genere rerũ verſetur,quæ ad fidem minime pertinent:tutius fore tamẽ antiquam & communẽ ſequi Doctorum ſententiã, ſaltim quoad hæc opinio, magis cognita eius probabilitate,paulatim in Scholis recipiatur,& à Theologis probata peruulgetur,ſicq.ſuam ipſa exuens nouitatem,propter quam nonnullis fortaſſe diſplicere poſſet,maiorem in dies veteraſcens, fidem & au ctoritatem adquirat. Equidem prudens iſtorum cõſilium vehementer laudo proboq. meq. ipſorum ſententiæ adſcribi volo:illud etiam monens Lectorẽ, quæ pro hac opinione hic diſputantur, ea prodita eſſe litteris & publicata, non tam quidem,vt eam ſequerentur alij,quàm vt ex his cognoſcerent, quid hæc opinio haberet probabilitatis,quibuſq. argumentis contraria ſententia oppugnaretur:vt ea,quibus à veteri opinione nõ diſcedere ſatius videretur, fortiter profligarent.] Et poſt multas argumentorum machinas ad euertendum Paradiſum inſtructas,hæc ſubijcit: Nobis tamen viſum eſt multo probabiliſſimũ,terreſtrem illum Paradiſum generali diluuio deſtructũ,hoc tempore nullũ eſſe.Hanc nempe ſententiam doctiſſimi quiq. huius noſtri ſæculi maxime approbarunt.] Hactenus Pererius.Qui plura etiam addit Lib. 7. in Geneſ Quæſt.7. de Henoch. BEN. PERERIVS.

Robertus Bellarminus Cardinalis Lib.1.de Beatitudine Sãctorum C.3.in rem ſuam aſtruit hæc verba:Adde non videri improbabile quibuſdam Paradiſum terreſtrem perijſſe aquis diluuij.] Sic ille. Sed vir eruditus hanc poſtea abiecit ſententiam,vt Cap.83. videbimus. ROB. BELLARMINVS.

Franciſcus Suarez Tomo 2.in 3.Partem Diſput.55.Sectione 1.inquit:Multi probabiliter exiſtimant terrenum Paradiſum aquis diluuij perijſſe. Quæ opinio licet antiqua non ſit,tot vero coniecturis in Scriptura fundatis nititur, vt non poſſit improbabilis exiſtimari.] Hæc ipſe. FRAN. SVAREZ.

Blaſius Viegas in Comment.Apocalyp.C.11.Sectione 5.ait:Opinionẽ igitur eã,quæ ait Paradiſum terreſtrem iam non exiſtere,ſed aquis diluuij obrutum,& plane diſſipatum perijſſe, probabilem eſſe,& diuinis Litteris conſentaneã iudicamus,eiq. nihil obeſſe debere nouitatẽ,quo minus,vt probabilis defendi poſſit.] Et poſt multa in iſtius opinionis cõfirmationem adducta, ſubdit:Hæc ſunt quæ pro hac parte diſputari poſſunt,ex quibus illud,ſaltim, meo iudicio concluditur, admodum eſſe probabile,Paradiſum terreſtrem non extare.] Hæc Viegas. BLAS. VIEGAS.

Alfonſus Villegas Tomo 2. in Vita Henoch,in quæſtione iſta, num extet Paradiſus,ait ſe cunctis exacte perpenſis,certo quidpiam definire non poſſe.

Gulielmus Hamerus in Comment.in 2.Geneſ.fol.46. Col.1.non paruam ſuſpicionem præbuit, exiſtimaſſe ſe,Paradiſum iam nunc non extare,cum inquit: Quæ hactenus de Paradiſo adduximus, ſatis declarant, cum veraci hi-

ſtoria olim in terra & fuiſſe, & intelligi debere.] Quid illud, olim? fortaſſe quia nunc non?

ET ALII.

Plures alios iſtius opinionis fautores nondum reperimus: niſi quòd illis, qui Paradiſum in Meſopotamiæ confinibus plantatum dixerunt, in procliui eſt idipſum aſſerere: cum in Meſopotamiæ regionibus vicinis nullum extet Paradiſi veſtigium: huius ſententiæ eſſe diximus Cap. 14. Annium, Vatablū, Clarium, Ximenium, Sà, Ananiam: ex Hæreticis vero, Munſterum, Fagium, Iunium, Tremellium, Mercerum. Audiuimus quoq. non paucos ex Academiarum profeſſoribus eandem opinionem amplecti de euerſo & abolito iam Paradiſo. Anno Salutis 1573. Patauij in publicis Diſputationibus Hieronymus Quainus, multis rationibus defendit non extare Paradiſum: cuius diſputatio cum plauſu & honore excepta fuit: ſed à ſciolis nouitatum amantibus. Verba Auctorum deſcripſimus, vt liceat palam diſpicere qua formidine & moderatione recens dogma proponant, conantes omnibus modis inuidiam nouitatis abſtergere. Argumenta vero quibus ad ſtabiliendam Paradiſi euerſionem vtuntur, peculiaribus poſtea & integris Capitibus explicabimus.

Conſenſus Patrum, & poſteriorum Theologorum, Paradiſum Voluptatis adhuc extare. Cap. LXXXIII.

EQVIDEM Paradiſum terreſtrem ad hanc vſque diem, integrum cū omni ſuo ornatu adhuc ſubſiſtere, nec aquis diluuij, alijſue caſibus euerſum, ſed ad diem vſq. iudicij manſurū, tanta conſenſione creditum ſemper eſt ab omnibus Eccleſiaſticis Auctoribus, vt ante Auguſtinum Eugubinum repertus ſit nemo, qui Paradiſum cataclyſmi vorticibus diſsipatū, aut quouis alio caſu deſtructum, vt iam non extet, aſſeruerit: poſt Eugubinum vero, pauci illi quos adduximus, idq. haud fidenter, & animoſe, ſed trepide, & male præſcij venturorum, cum nouam opinionem ex die in diem incrementa cepturam augurarentur: quod tamen ſecus multo contingit, eruditis quibuſq. vt abſonam, & nouitate intutam aſpernantibus.

MIRABILIS LOCVS S. IRENAEI PRO EXISTENTE PARADISO.

Ante omnia nobis in cauſa iſta magnum affert momentum S. Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis & Martyr, S. Polycarpi Smyrnenſis Epiſcopi, Ioannis Apoſtoli, auditoris diſcipulus, vir Apoſtolicorum temporum, quem Tertullianus Lib. aduerſ. Valentinum, C. 5. omnium doctrinarum accuratiſsimum exploratorem vocat: & S. Epiphanius Hæreſi 24. & 31. Sanctiſsimum, priſcumque Theologum, & ſucceſsorem Apoſtolorum appellat: & alij ſancti Patres ſummis laudibus efferunt. Is enim Apoſtolicas traditiones vna tantum intermedia manu ex ipſo Apoſtolorum ore fideliter excipiens, ex ipſarum auctoritate Paradiſum adhuc integrum ſupereſſe, & in eo viuos nunc conſeruari Henoch & Eliam ad finem vſque mundi, apertiſsime profitetur Libr. 5. Aduerſ. Hæreſ. Cap. 5. his verbis: Henoc placens Deo, in quo placuit corpore translatus eſt, translationem iuſtorum præmonſtrans: & Elias ſicut erat in plaſmatis ſubſtantia, aſſumptus eſt, aſſumptionem Patrum prophetans: & nihil impedit eos corpus in translatione & aſſumptione eorum. Per illas enim manus, per quas initio plaſmati ſunt, per ipſas & aſ-

ſumptio-

ſumptionem & tranſlationẽ acceperunt. Aſſuetę enim erant in Adam manus Dei coaptare & tenere & baiulare ſuum plaſma, & ferre & ponere vbi ipſæ vellent. Vbi ergo primus poſitus eſt homo, ſcilicet in Paradiſo, quemadmodum Scriptura dicit: Et plantauit Deus Paradiſum in Eden, contra Orientem: & poſuit ibi hominem quem plaſmauit: & inde proiectus in hunc mundum non obediens. Quapropter dicunt Presbyteri, qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli, eos qui tranſlati ſunt, illuc tranſlatos eſſe. (Iuſtis enim hominibus, & ſpiritum habentibus præparatus eſt Paradiſus, in quem & Paulus Apoſtolus aſportatus audiuit ſermones inenarrabiles, quantum ad nos in præſenti:) & ibi manere eos qui tranſlati ſunt, vſq. ad conſummationem, coauſpicantes incorruptelam.] Hæc S. Irenæus.

Ergo cum maniſeſtiſſime aſſerat S. Irenæus Paradiſum adhuc ſtare, & in eo viuere adhuc in corporibus Henoch & Eliam ad finem vſq. mundi: & hãc eſſe traditionem ſeniorum, ac eorum qui ipſoſmet Apoſtolos audierunt, diſerte affirmet: id quod ipſe exactiſſime noſſe potuit, cum Lib. 3. C. 3. teſtetur ſe vidiſſe S. Polycarpum Smyrnenſem, diſcipulũ Ioannis Euangeliſtæ: ex cuius ore, & aliorũ qui Apoſtolos audierant, eam traditionẽ accepiſſe proculdubio credẽdus eſt: quis dubitet Presbyteros illos, Apoſtolorũ diſcipulos illam traditionẽ de ſtante adhuc Paradiſo & in eo manẽtibus Henoch & Eliã, non aliunde hauſiſſe quàm ex ipſomet Apoſtolorum ſermone, & doctrina; atque eandem puram & integram, vt ex ipſo Apoſtolico fonte ebiberant, ſincere ac fideliter per S. Irenæum ad poſteros tranſmiſiſſe?

Quid igitur, peſſumdato tam claro Apoſtolici viri teſtimonio, vetuſtiſſimam ab ipſis Apoſtolis ductam aſſertionem ſpernemus; & argutulis Recentiorum commentis potius fidem adhibebimus? Et ſane miramur, quibus hãc eſſe S. Irenæi mentem conſtiterit, potuiſſe ſic Paradiſum euertere. Sed videamus quid ad S. Irenæum reſpondeant. Pererius & Viegas aiunt, non magnam fidem habere quæ S. Irenęus tradit: nam quòd ſcribit Henoch & Eliã in Paradiſo manere, incertum eſſe docet S. Auguſtinus Lib. 2. contra Pelagiũ & Cæleſtium C. 23. quòd vero S. Irenæus exiſtimauit iuſtorum animas antequã ad Dei viſionem admittantur, in Paradiſo terreſtri commorari ad diem vſque iudicij; eſt dogma damnatum ab Eccleſia in Concilio Florentino: illud quoque abſonum, Paulum raptum in terreſtrem Paradiſum. Ita Pererius, & Viegas. Verum S. Auguſtinus eo loco non ait incertum abſolute eſſe vbi nunc Henoch & Elias viuant: ſed eſſe quæſtionem quæ ad fidem non pertineat: & ſalua fide diſceptari vtrinque poſſe, vt C. 87. videbimus. Multa autẽ ſunt quę etſi ad fidem non pertineant, ſunt tamen infra fidei certitudinem certa, ex fide & auctoritate magnorum Scriptorum. Sed fac S. Auguſtino fuiſſe incertũ: cum S. Irenæus dicat hoc docuiſſe Apoſtolorum diſcipulos, videturne tibi parui momenti tanta auctoritas? quam ſi S. Auguſtinus legiſſet, haud dubie fuiſſet exoſculatus: & quidem in hac re haud infra S. Auguſtinum eſſe S. Irenæum tantum virum, quiſque cordatus probe agnoſcat. MALE ELVDITVR.

Deinde intolerabilis calumnia eſt, damnati ab Eccleſia erroris de animabus in Paradiſo terreſtri detentis, facere aſſertorẽ S. Irenæum: nam neq. hunc quem ex S. Irenæo adduximus locum quiſquã in patrocinium illius erroris vmquã deprompſit: & Apoſtolicum virum ab eo delirio eſſe alieniſſimũ, luculenter DEFENDITVR S. IRENAEVS.

culenter demonſtrarunt Feu-ardentius in Notis ad Lib. 5. C. 31. Bellarminus Lib. 1. de Sanctorum Beatitudine Cap. 4. Coccius Tomo 1. Theſauri, Lib. 5. Art. 2. & aſſentiuntur omnes eruditi : nec vmquam recte fecerunt qui S. Martyri eam notam inuſſerunt. Quocirca verba illa S. Irenæi per parentheſim adiecta : (*Iuſtis enim hominibus præparatus eſt Paradiſus in quem & Paulus eſt raptus.*) neutiquam de terreſtri, ſed de cæleſti Paradiſo ſunt accipienda, perſpicuo ſenſu ; nam cum ſuperius præmiſiſſet, tranſlationem & aſſumptionem corpoream illam Henoch & Heliæ in hac vita, typum fuiſſe tranſlationis & aſſumptionis iuſtorum in ſpiritalem & meliorem alteram vitam : ita quoque Paradiſum illum terreſtrem, inquem tranſlati & aſſumpti ſunt Henoch & Helias, figuraſſe Paradiſum ſublimiorem & cæleſtem, qui iuſtis hominibus eſt præparatus, & in quem Paulus aſportatus fuit.

PEIVS ALII TANTAM AVCTORITATEM ELEVANT.

Porro Pererius & Viegas illud adiungũt, non magnopere curandam traditionem illam Presbyterorum, quam S. Irenæus adducit, quòd illi ipſi Presbyteri pleraque omnino falſa, & cum diuinis Litteris pugnantia tradiderunt. Equidem non imus infitias ab illis eiſdem Presbyteris ſe accepiſſe profeſſum S. Irenæum, Chriſtum quinquaginta annos in terris vixiſſe Lib. 2. Cap. 39. & quæ prolixe ad finem Lib. 5. tradit de Millenario Chriſti regno in terris : quæ falſa eſſe conſtat : at quàmprimum ea abſurda ex Presbyteris S. Irenæus protulit, ſtatim illis, ab Eccleſiaſticis Patribus eſt contra itum, mox plerique ſeſe oppoſuerunt, refutantes noua & abſona dogmata: verum hanc de extante adhuc Paradiſo, & Henoch & Helia ibi degentibus traditionem, quis vmquam in Eccleſia à tempore Apoſtolorum ad Auguſtinum vſque Eugubinum, abiecit? qui exploſit? quis contradixit? immo omnes ſuſcepere. Nullus per tot ſæcula vel ſuſpicari potuit, quæ nunc pauciſſimi ſe perſpicue videre iactant? Eluſerunt alij verba S. Irenæi, & aliorum Patrum; fatentur quidem Henoch & Heliam detineri nunc in Paradiſo terreſtri, non quòd modo extet Paradiſus, hoc eſt, decor, ornatus & amœnitas eius, qualis eſt à Deo conſitus, cum iam ſint omnia euerſa, diſſipata : ſed quòd illi Prophetæ habitent nunc in illo ſolo, ac loco vbi olim plantatus fuit Paradiſus : nam tametſi loci pulchritudo & voluptas extincta fuerit; at ſolum ipſum & locus cum ſint in terra, nullis exſcindi aut transferri caſibus potuit : & forſan manent in eo priſcæ elegantiæ & præſtantiæ veſtigia.

STABILITVR FIRME.

Verum hæc ſunt curioſa humani ingenij inuenta : nam ſi Paradiſus proprie cum illa ſua amœnitate aquis diluuij diſſipatus fuit, quid opus erat in eo loco vbi is antea fuit, potius quàm in alio Henoch & Heliam aſſeruari : cum etſi in eo antiqui ornatus veſtigia manſerint, (quod tamen euerſores Paradiſi non admittunt) non ſit dubium, plura alia loca, accedente humana cultura, in orbe delicatiora & amœniora reperiri : nec illa veſtigia vllo modo poſſint locũ ſingulari aliqua proprietate ab alijs ordinarijs & communibus terræ diſcernere : cum tamen certum ſit, S. Irenæum, alioſque Patres non ob aliam rationem tradidiſſe eos Prophetas in Paradiſo ſeruari, niſi ob amœnitatem & delitias loci.

Adde, quòd S. Irenæus diſerte adſtruit, illo in Paradiſo Eden, vbi Adam poſitus fuit, in illo, inquam, Paradiſo voluptatis, loco amœniſſimo, qui ob ſuam eximiam pulchritudinem & delitias, typus eſt gloriæ Sanctorum, ibi

degere

degere Henoch & Eliam. Quid enim neceſſe erat S. Irenæo illa verba addere: *Iuſtis enim hominibus præparatus eſt Paradiſus.* niſi intellexiſſet Paradiſum in quo viuunt in terra Henoch & Elias, cum omni ſuo, quo conditus eſt, decore & præſtantia conſeruari adeo florentem, vt ob ſingularem eius amœnitatem, & voluptatem, Paradiſum cæleſtem ſcite adumbret? At hæc ſatis, nam piget frigidas eluſiones inſectari: iam alios Patres pro adhuc ſtante Paradiſo adducamus.

S. Theophilus Antiochenus Epiſcopus, qui tempore M. Aurelij floruit, Lib. 2. ad Autolycum ait: Paradiſus æternitate donatus in medio cæli & terræ conſtitit, quantum ad amœnitatem & pulchritudinem attinet.] Aeternitate donatum dixit, quod tamdiu ſtaturus ſit quamdiu mundus.

ALIORVM PATRVM AVCTORITATE PARADISVS CONSERVATVR.

S. Athanaſius Quæſt. 48. ad Antiochum inquit: Quid? Num corruptibilem dicimus Paradiſum, an incorruptibilem? Reſponſio. Neque corruptioni eum obnoxium dicimus in morem noſtrarum plantarum & fructuũ, quæ à putredine & vermibus arroduntur: neque tamen plane viciſſim incorruptibilem ſecundum futuri ſeculi incorruptibilitatem, & magnam conſecuturam ſenectutem. Sed reſpectu noſtrorum fructuum & hortorum omni corruptione eſt ſuperior: ad futuram vero bonorum gloriam, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, inferior eſt & creditur.] Hæc ille. Qui ergo diluuio. alijſque caſibus potuit Paradiſus corrumpi?

Philoxenus Mabugenſis Epiſcopus apud Bar-Cepham Lib. de Paradiſo Cap. 17. de Paradiſo eiuſque plantis verba faciens, ait: Nequaquā ſubiectæ ſunt execrationi atq. damnationi: hæ enim in eam modo terrā pro ita vt ab ſunt, quæ extra Paradiſum eſt, poſt violatā ab Adamo legē, nuntiatæ ipſis Paradiſus maneret immunis, ſicut in hanc vſq. diem quoq. immunis liberq. eſt, eoque delicatiſſimæ & ſpecioſiſſimæ arbores in ipſo etiam extant.] Sic ille.

Moſes Bar-Cephā Lib. de Paradiſo, Cap. 13. inquit: Reſpondemus Baſilium quidem & eius fratrem Gregorium Nyſſenum, atque præter hos dominum Seuerum complureſq. alios opinari Paradiſum ad Orientalem terræ regionem extare.] Vides quot Patres aiunt Paradiſum extare. Ipſe Bar-Cepha, qui Commentarium integrum de Paradiſo condidit, quique res Padiſi exactiſſime perſcrutatus eſt, cum varijs locis ſui Operis perſpicue nimis affirmet adhuc ſupereſſe: nullibi ne per ſuſpicionem indicat extinctum.

S. Auguſtinus magnum pondus adjicit cum Lib. 2. de Peccato Originali aduerſus Pelagium & Cæleſtium Cap. 23. hæc adſtruit: Longe aliter ſe habent quæſtiones iſtæ, quas eſſe præter fidem arbitratur, quàm ſint illæ in quibus ſalua fide qua Chriſtiani ſumus, aut ignoratur quid verum ſit, & ſententia definitiua ſuſpēditur, aut aliter quàm eſt, humana & infirma ſuſpicione conijcitur: veluti cum quæritur, Qualis, vel vbi ſit Paradiſus, vbi conſtituit Deus hominem, quem formauit ex puluere: cum tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet. Vel cum quæritur, Vbi ſint nunc Elias vel Henoch, an ibi, an alibi, quos tamen non dubitamus, in quibus nati ſunt corporibus viuere.] Hæc S. Auguſtinus.

Quidam aiunt S. Auguſtinum tantum voluiſſe aſſerere, de fide eſſe, verum & corporeum Paradiſum à Deo initio plantatum, non tantum allegoricum: non tamen dixiſſe, de fide tenendum, etiam nunc hodie extare Paradiſum.

At

PERSPICVE S. AVGVSTINVS EST IN EA SENTENTIA.

At negari nequit, vtcumque ſit, nimis perſpicue S. Auguſtinum ſuis verbis indicaſſe, adhuc ſupereſſe Paradiſum. Neque enim ſic de Paradiſo locutus fuiſſet, *Vbi ſit Paradiſus*: &, *Cum tamen eſſe illum Paradiſum fides Chriſtiana non dubitet. Et vbi ſunt nunc Elias vel Henoch, an ibi*. niſi intellexiſſet Paradiſum adhuc ſubſiſtere: alioqui dixiſſet: *Vbi fuerit Paradiſus: Cum tamen fuiſſe illum Paradiſum.* Conſule Bellarminum Lib. de Gratia primi Hominis Cap. 14 & Valentiam in 1. Par. Quæſt. 102. Puncto 2. qui hunc eſſe S. Auguſtini ſenſum erudite demonſtrant. Sed pigeat de mente S. Auguſtini dubitare, cum ipſe aperte aſſerat Lib. 8. de Geneſi Cap. 7. Locum Paradiſi nunc eſſe à cognitione hominum remotiſſimum: & quatuor illa ingentia flumina inde ſubterraneis meatibus in diuerſas orbis partes, vt hodie videmus, erumpere. Habes eius verba à nobis deſcripta Cap. 50.

CLASSIBVS ARGVMENTORVM PROBATVR.

Verum ne citandis Patribus tædio ſimus Lectoribus, eorum ſententias in claſſes quaſdam conferemus. Prima claſſis eſt eorum, qui Paradiſi pulchritudinem & delitias ita deſcribunt, vt eum adhuc ſtare, & de re præſenti ſe loqui manifeſte oſtendant. Huius generis ſunt Tertullianus, Lactantius, Marius Victor, S. Alcimus Auitus, S. Iſidorus Hiſpalenſis, S. Damaſcenus & alij: quorum dicta exſcripſimus Cap. 11. Omnium nomine vnum S. Alcimum nunc accipe:

Permanet, æterno concluſus limite, poſtquam hic
Excidit expulſus primæui criminis Auctor.

Secunda claſſis eſt eorũ, qui docent idcirco in Eccleſia hunc vigere more, vt ad Orientem conuerſi adoremus, quia in ea mundi parte ſitus eſt Paradiſus: ſatis enim indicant adhuc nunc extare Paradiſum: nam ſi non ſupereſſet, quid opus eſſet nunc faciem ad Orientem inter orandum ad contuendum Paradiſum conuertere; cum non ob aliud conuertamus ora niſi vt locũ felicitatis reſpiciamus? In hoc ordine ſunt S. Athanaſius, S. Cyrillus Ieroſolymitanus, S. Baſilius, S. Gregorius Nyſſenus, Seuerus, Bar-Cepha, quorum ſententias poſuimus Cap. 21. Omnium nomine S. Gregorium Nyſſenum audi: Locus noſter priſtinus in Oriente eſt, ex beatiſſimis illis locis excimus.] Hæc ille.

Tertia claſſis eſt eorum, qui Gangem, Nilum, Tygrim, & Euphratem, etiam hoc tempore ex fonte illo qui Paradiſum irrigabat, & ex ipſo Paradiſo profluere, occultiſque ſub terram cuniculis, in diuerſis mundi regionibus conſpicuos fontes aperire dixerunt: credunt enim exiſtere Paradiſum: nam ſi per diluuium euerſus fuiſſet, tranſlatis quoque aliò fluuiorum fontibus ob vniuerſam terræ faciem perturbatam, quid neceſſe erat quatuor illa flumina ex Paradiſo deriuare? Iſtud tradunt Philoſtorgius, S. Auguſtinus, Theodoretus, Bar-Cepha, Hugo de S. Victore, Rupertus Abbas, & alij: quorum verba deſcripſimus Cap. 30. Nomine omnium ſic ait Theodoretus: Exeunt enim illinc, vt ait Scriptura diuina: poſtea per quoſdam meatus ſubterraneos tranſeuntia, originem aliam ſubeunt. Nam ſi paterent eorum omnes meatus, quidam vtique conarentur, eorum ripas proſecuti, locum Paradiſi perluſtrare.] Hæc ille.

Quarta claſſis eſt eorum, qui aſſerunt Henoch & Eliam nunc ſeruari ſuperſtites in Paradiſo Voluptatis ad finem vſque ſæculi. Manere enim Paradiſum

diſum cum omni ſua amœnitate ſentiunt; neque enim ob aliam cauſam eos Dei miniſtros in Paradiſo conſeruari credunt, quàm ob præſtantiam loci, vbi feliciter degant. In hac claſſe ſunt S. Irenæus, Auctor apud S. Iuſtinum Martyrem, S. Victorinus Martyr, S. Athanaſius, S. Ephræm Syrus, S. Hieronymus, S. Alcimus Auitus, Moſes Bar-Cepha, & alij: quorum ſententias fuſe adducemus Cap. 87.

CONSENSV ETIAM SCHOLASTICORVM THEOLOGORVM.

Quinta claſſis eſt omnium Theologorum Scholaſticorum cum Magiſtro Sententiarum in 2. Sententiar. Diſtinct. 17. S. Thomæ 1. Par. Quæſt. 102. Art. 1. ad 3. & Art. 2. ad 3. & 3. Par. Quæſt. 49. Art. 5. ad 2. & omnium eius Interpretum. Equidem nullus Theologorum ante Petrum Lombardum, nullus poſt ipſum, ad Eugubinum vſque repertus eſt qui vel aſſeruerit, vel per ſuſpicionem innuerit, Paradiſum aquis diluuij deſtructum non extare. Inſuper innumeri clari Explanatores Geneſeos ex Recentioribus, vt Hugo Carenſis, Lyranus, Burgenſis, Toſtatus, Caietanus, & alij omnes, Paradiſum adhuc extare, clariſſime profitentur. Hebræ omnes tam veteres quam Recentiores, & poſtremus omnium Dauid de Pomis in Tſemach, conſtantiſſime docent adhuc viuere Paradiſum.

Sexta claſſis eſt illorum qui poſt exortam opinionem de euerſo Paradiſo, ſcripſerunt. Primus qui Paradiſum deſtruxiſſe reperitur, eſt Auguſtinus Steuchus: Pererius putauit eam opinionem in dies veteraſcentem, fidem & auctoritatem acquiſiturã: Viegas inquit: Quã quidem exiſtimamus ſucceſſu temporis eſſe plurium Doctorum ſuffragijs, conſenſuque fulciendam.] At contra iſtud accidit: quamprimum enim Eugubinus eam ſententiam ſpargere coepit, ſe illi complurimi doctiſſimi viri oppoſuere: Ambroſius Catharinus in 2. Geneſ. carpit Steuchum his verbis: Dederunt quidam occaſionẽ quærendi, an nunc itidem maneat ille Paradiſus cum ſuo ornatu: quod non videtur eſſe trahendum in dubium, cum omnes Doctores quos hactenus legi, exiſtimarint eum adhuc manere, & ibi eſſe Henoch & Eliam,] Hæc ille. Cur ergo Viegas Catharinum citat pro opinione Eugubini?

PLVRES QVI NOVAE EXORTAE OPINIONI RESTITERVNT.

Sixtus Senenſis Lib. 5. Biblioth. Annotat. 36. duo illa aſſerta Eugubini, Nõ extare Paradiſum, &, Henoch & Eliam non manere in Paradiſo; à recte fidei regula exorbitare, & communi Patrum omnium conſenſui repugnare, diſerte affirmat. Franciſcus Cumel in 1. P. Quæſt. 102. art. 2. Temerarium eſſe aſſerit negare Paradiſum adhuc ſtare. Dominicus Bañes eodem loco, probabilius cenſet extare adhuc Paradiſum. Gregorius de Valentia Tomo 1. Diſpu. 7. Quæſt. 6. Puncto 2. inquit: Apud me præponderat tam conſentiens auctoritas Patrum & Theologorum, qui perſuaſi hactenus fuerunt, etiam nunc ſupereſſe illum Paradiſum.] Robertus Bellarminus Lib. de Gratia primi Hominis Cap. 12. agens de opinione Eugubini, hæc ait: Mihi vero multis de cauſis hæc ſententia non probatur, Primum quia eſt opinio noua, & repugnans communi Doctorum conſenſui, non ſolum Patrum, ſed etiam Scholaſticorum &c.] Hæc ille. Eadem Cap. 14. Eandem ſententiam de adhuc vigente Paradiſo Voluptatis aperte tuentur Feu-ardentius in Notis ad Cap. 30. Lib. 4. S. Irenæi, Marianus Victorius in Notis ad Epiſt. 61. S. Hieronymi Num. 31. Thomas Bozius Lib. vlt. de Signis Eccleſiæ C. 6. Franciſcus Ribera in 11. Apoc. Nu. 13. Felicianus Capitonus in Explicatio. Catholicis Parte 1.

Explicatione S. Henricus Enriquez Lib. de Fine Hominis, Cap. 19. & 23. Ioſephus Acoſta Lib. 3. de Nouiſſimis Temporibus C. 6. Petrus Tyræus de Glorioſa Filij Dei apparitione Taborina Cap. 3. Numero 22. Ludouicus Yſtella in 2. Geneſ. & innumeri alij Recentiores, qui poſt Steuchum ſua ſcripta euulgarunt: vt cernas quàm parum ſucceſſerit nouitiæ opinionis conatus.

PROPE TEMERITATIS NOVA OPINIO NOTATVR.

Equidem res eſt impendio dura in dubium velle reuocare, immo quidem aperte negare id quod cœtus omnis Doctorũ, cum antiquorum, tum Recentiorum tanto conſenſu, tam longo temporum ductu compertiſſimum ſemper habuit. Fatentur Pererius & Viegas conſenſum eſſe omnium, & veterum & poſteriorum Theologorum, Paradiſum adhuc integre ſubſiſtere: reclamant ipſi, cum paucis illis, quos præcedenti Capite produximus: idque non ſecure & firmiter, ſed trepide ac hæſitanter: ſi à tanto Patrum & Theologorum conſenſu diſſentire, non eſt temerarium, non video plane quid temerarium proprie dici queat.

Num aquæ diluuij penetrarint in Paradiſum. Cap. LXXXIV.

OMNES illi quos Cap. 82. citauimus aſſerentes iam non extare Paradiſum, pro comperto habent aquas diluuij obruiſſe illum amoeniſſimum hortum, extirpaſſe ac penitus euertiſſe omnem eius ornatum & pulchritudinem. Seorſim Pererius id ſibi probandum magna cura ſuſcepit Lib. 7. in Geneſ. Quæſt. 7. de Henoch.

ARGVMENTA, QVÒD AQVAE DILVVII PARADISVM SVBVERTERINT.

Primum, quia Geneſ. 7. Verſ. 18. 19. & 20. dicitur: *Vehementer inundauerunt aquæ, & omnia repleuerunt in ſuperficie terræ, & præualuerunt nimis ſuper terram. Opertique ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cælo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes quos operuerat.* At Paradiſus pars terræ erat, opertus igitur diluuio fuit.

Secundo, ſi Paradiſus intactus fuit aquis diluuij, quid opus erat Noe tanto labore Arcam fabricare, vt à diluuio ſeruaretur, cum facile ipſe, & familia, aliaq. animalia in Paradiſo tuti ab eluuione conſeruari potuiſſent? Tertio, quia cum aquæ diluuij ſupergreſſæ ſint quindecim cubitis altiſſimos omnes ſub cælo montes, dubium eſſe non poteſt, quin Paradiſo quoque altiores fuerint: atque ita ſine ingenti miraculo fieri non potuit, vt Paradiſum non obruerint: fingere autem tantum miraculum ſine auctoritate, ſine ratione, abſurdum videtur.

Ceterum cataclyſmi aquas non attigiſſe Paradiſum, cecinit Lactantius illo carmine:

Et cum diluuium merſiſſet fluctibus orbem,
Deucalioneas exuperauit aquas.

Id quod etiam docent Scholaſtici Theologi, teſte Bellarmino; ac quidem id recte abſque vllo incommodo affirmari poſſe aſſerunt Toſtatus in 2. Geneſ. Quæſt. 9. & in Cap. 7. & in Cap. 13. Quæſt. 110. 117. Bellarminus Lib. de Gratia primi Hominis Cap. 14. Caietanus in 7. Geneſ. Yſtella in 2. Geneſ. & alij. Stabilietur magis hæc ſententia ex confutatione rationum in oppoſitum obiectarum.

Ad Primam reſpondeo, Hebraicam particulam *Col*, ideſt, omnis, non ſemper ita ſtricte ſumendam, vt nullam patiatur exceptionem, cum interdũ non omnes ſimpliciter,ſed hyperbolice magnam partem vniuerſitatis ſignificet: vnde Kimchius in Lib. Radicum ait: *Col*, ideſt,omnis,eſt dictio comprehendens ſingula, & aliquoties partem multitudinis,vt illud Geneſ. 41. V. 57. Et omnis terra venit in Aegyptum.] Hæc Kimchius. Habes plura eiuſmodi exempla in Scriptura,collecta à Petro Galatino Lib.3.de Arcanis Catholicæ Veritatis Cap.4. Martino Cantapetrenſi Lib.6. Hypotypos. Cap. 3. Emanuele Sà in Phraſibus Scripturæ: & ſane ſunt frequentiora quàm vt indicatione ſit opus. Ergo quòd aquæ diluuij dicuntur operuiſſe omnem terram,& omnes montes: intelligendum non quidem ſimpliciter de tota terra, ſed de illa tantum humano generi ad habitandum poſt lapſum Adæ conceſſa: immunemq. fuiſſe Paradiſi terram, quæ innocentiæ tantum domicilium erat, ab ea inundatione.

SOLVVNTVR.

כל

Contra vrgent, quòd à regula Scripturæ generali nihil ſit excipiendum, niſi quod vel ipſa Scriptura,vel ſolida ratio excipiat. Fatemur & nos quoq. exceptionem Paradiſi à diluuio,magnum in Scriptura habere fundamẽtum: nam cum Eccleſiaſticus dicat,Henoch translatum in Paradiſum;conſtetque ex Scriptura Henoch non perijſſe in aquis diluuij, nec tamen aſſerat ſeruatum in Arca Noe,conſentanee aſſerimus conſeruatum in Paradiſo, quò non pertigerunt aquæ diluuij.Equidẽ Eccleſiaſticum loqui de Paradiſo terreſtri, C.88.aperte monſtrabimus.Addimus,etſi ex Scriptura habere nõ poſſemus exceptionem Paradiſi à diluuio,eam tamen nobis ſuggerit præualida ratio: Primum,Deus idcirco diluuium ſuper terras induxit,vt homines & animãtia omnia extingueret:nempe homines propter execranda ſcelera, animantia, quia ijs abuſi fuerant homines;vniuerſam terræ faciem aquis deformare voluit,quia innumeris prauis hominum vſibus inſeruierat: at in Paradiſo nec homines, nec animalia erant: eratque locus ille caſtus & impollutus, propria felicitatis & innocentiæ ſedes: nam quòd Adam vno tantum pomo,atque id ſemel abuſus fuit, ſat habuit Deus illum inde exturbare, ne locus peccatorum, qui proprie iuſtorum erat, ille deinde fieret:nulla igitur erat ratio cur diluuio cum reliqua terra mergeretur. Deinde cum tanto Patrum & Theologorum omnium cõſenſu C.87. ſimus demonſtraturi Henoch & Eliam in Paradiſo terreſtri ſuperſtites aſſeruari ad tempora vſque Antichriſti, idq. ita fieri tanta cum ratione ſtatuerit Deus; eadem magna ratio perſuadet vt credamus Paradiſum intactum ab aquis diluuij: quoniam cum diluuium inundauit,iam Henoch ibi erat:ibidem quoque poſtmodum reponendus Elias: ob id decebat locum integrum ab eluuione ſeruari.

OPTIMA RATIO PARADISVM EXCIPIT AB AQVIS DILVVII.

Ad Secundam dicimus,Paradiſum locum genuinum eſſe hominum innocentiæ & felicitati in terris deſtinatum: nec vllo pacto conueniſſe Noe & filijs,qui erant peccato,morti,ærumnis vitæ obnoxij.at Henoch & Eliam,puros,æternitatis candidatos, miſerijs vitæ exemptos, maximiſque myſterijs conſecratos par eſt illic degere.

Ad Tertiam,Caietanus in 7.Geneſ.facile reſpõdet,abſq. miraculo factum vt aquæ diluuij non peruenerint ad Paradiſum:nã quod Scriptura ait, aquis opertos omnes montes ſub cælo,intelligi vult de cælo aereo,non de ſidereo:

nempe de montibus qui ſunt ſub media regione aeris, quæ cælum ſæpius in Scriptura vocatur, altitudinẽ ſuam attollunt, hoc eſt, quorum ſublimior celſitudo infra cælum aereum, ſeu mediã regionem aeris exurgit: at cum multi ſint montes quorum vertices ſunt ſupra cælum aereum, id eſt, mediam aeris regionem, nubeſque ſuperent, ac locum vnde imbres ruunt, non videntur iſ operti aquis diluuij: & in his non eſt dubium potuiſſe eſſe montem in quo ſitus eſt Paradiſus.

MIRACVLO NON ILLVC ATTIGERVNT AQVAE.

Verum vt interim omittamus expendere veritatẽ huius interpretationis Caietani, quàm neſcio an ſatis ſolide refellat Pererius in 7. Geneſ. certe nobis vſui eſſe illa non poteſt, quòd tantam Paradiſi altitudinem, vt mediam aeris regionem excedat, non agnoſcimus Cap. 13 Fatemur ſane miraculo effectum ne aquæ diluuij Paradiſum attigerint, cuiuſmodi & in Rubro mari Exodi 14. & in Iordane Ioſuè 3. patratum fuit: neq. tamen ſine ratione & auctoritate miraculum comminiſcimus: Equidem Henoch ſeruãdus erat à diluuio; non eſt autem ſeruatus in Arca Noe, vt quidam ſine vlla veriſimilitudine ſuſpicati ſunt, de quibus diximus Lib. 9. de Antichriſto C. 4. erat autẽ ipſe tunc quãdo cœpit diluuium in Paradiſo, profecto congruentius & vſitatius fuit, prohibere aquas diluuij ne in Paradiſum, vbi Henoch degebat, intrarent, quàm Henoch in aere ſuper aquas integrum annum ſuſpenſum tenere: quod Pererius áſſeruit Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 5. de Paradiſo, & Lib. 11. Diſput. 1. aut in terra inter medios vortices & gurgites toto eo tempore conſeruare.

At qui hanc, quòd aquæ diluuij non attigerint Paradiſum, exiſtimamus probabiliſſimam eſſe ſententiam, & propter Auctores, & propter rationes.

Etſi aquæ diluuij in Paradiſum intrarint, non propterea euertiſſe funditus Paradiſum. Cap. LXXXV.

ETSI ATTIGERINT, NON PROPTEREA EVERTERVNT.

GRegorius de Valentia Tomo 1. Diſp. 7. Q. 6. Puncto 2. ad Quartum, iſta præſcribit: Concedo locum illum Paradiſi, vt & omnia alia terræ loca, fuiſſe obrutum aquis diluuij, atque etiam illius venuſtatem & amœnitatem deſtructam & deletam diuturna illa inundatione: ſed poſtmodum tamen recuperaſſe naturaliter, magna ſaltem ex parte, venuſtatem ſuam, exiſtentem ex vbertate & diſpoſitione arborum & plantarum ac ipſo ſitu loci: idq. tum efficacia virtutis ſeminalis ad repullulandum, quæ manſit in radicibus, & natura terræ illius loci: tum efficacitate Solis, & aliarum ſuperiorum cauſarum naturalium. Nam & alia loca nemoroſa terræ ſimiliter per illã eluuionem emarcuerũt, & deſtructa ſunt, nec tamen ideo poſtmodum nulla & nuſquã fuerunt: ſed ſuum ſtatum & decorem aliqua ſaltem ex parte, per inſitam ipſis virtutem ſeminalem, & actionem Solis recuperarunt.] Hæc ille.

Robertus Bellarminus Lib. de Gratia primi Hominis C. 14. in hunc modũ differit: Sed fac in Paradiſum aquas diluuij penetraſſe, nõ inde efficies neceſſario Paradiſum omnino eſſe deſtructum. Diluuiũ ſiquidẽ non mutauit ſitũ loci, neq. aeris temperamentum, nec arbores omnes eradicauit, vel areſecit: alioqui vbi quæſo, reperiſſet columba ramum virẽtis oliuæ, quã ſtatim poſt diluuium detulit ad Noe? Detrimentum igitur aliquod Paradiſo aquæ diluuij forſitã attulerunt, ſed nõ eiuſmodi vt Paradiſus eſſe deſierit.] Tantũ ille.

MIRACVLO:

Quæ omnia ſatis probabiliter dici putamus. Addimus, potuiſſe recte Paradiſum per vnum ferme annum aquis merſum, integrum & illibatum, ſaltem cum minima læſione perdurare. Rogant, ſi credimus id factum miraculo? Forſan ita factum. Sed rident, quod commentitijs miraculis improbabilitatem noſtræ opinionis fulciamus. Si miraculo ſeruatus Henoch, quid mirum miraculo etiam ſeruatum Paradiſum? Quid omnipotentiæ Dei inuidētur? ad tuendam omnium ſæculorum ſententiam, ſatis magna ratio eſt admittere miraculum. Nec inficiamur, naturaliter & abſq. miraculo fieri potuiſſe. Hic iam inclamat iſta Pererius: Quis credat (niſi qui quodlibet quantumuis incredibile poteſt credere) locum Paradiſi delicatiſſimum, ornatiſſimum, ſummaq. elegantia, & politiſsima arte deſignatum & perfectum, per vnum ferme annum altiſsimis aquis vſquequaq. obrutum & oppreſſum, ſine decoris, venuſtatis, magnificentiæ, ac pulchritudinis ſuæ detrimento durare potuiſſe? cum tanto tempore etiam firmiſsimum & ampliſſimum ædificium aquis ſubmerſum perdurare non poſſet, quin paulatim decor, & elegantia eius dilaberetur ac periret, compago partium diſſolueretur, integritas corrumpetur, deniq. firmitudo debilitaretur ac labefactaretur. Quomodo enim ſubtractis aquis tanto tempore Paradiſus ſeruare poſſet venuſtatem illam, & decorem loci, dimenſiones viarum, ordines arborum, pulcherrimam & locorum & ſtirpium diſpoſitionem, varietatem tot herbarum & arborum, deniq. bonitatem & fertilitatem terræ.] Hactenus ille.

ET SINE EO FIERI RECTE POTVIT.

DILVVNTVR ARGVTIAE.

At plane miramur iſtas argutias, vt velint eodem loco haberi vim illam & vigorem admirandum Paradiſi, & aliorum hortorum noſtræ infelicis humus: expendant Paradiſum ſingulari quadam & eximia prouidentia opificis Dei ſatum; arbores & herbas cuiuſdam longe excellentioris præſtantiæ quā noſtras extitiſſe; locum fuiſſe immortalitatis, & eum immortalem Patres vocare, vt S. Athanaſium, Philoxenum, Bar Cepham & alios; quem nolint maledictioni obnoxium fuiſſe. (Vide Cap. 66. & 11.) plātas vegetiores & diuturniores, temperiem robuſtiorem: & ſane locum ita temperatum atq. egregie adeô munitum aduerſum omnes caſus, innata quadam terræ bonitate & virtute; vt eum inuiolabilem & quodammodo incorruptibilem iure exiſtimare poſſimus. Quocirca etſi eluuionis aquæ pauca fortaſſe fœdauerint; at leue damnum acceptum facile inſita loci natura, ceſſante diluuio eſt reſarcitum. Si fundum Rubri maris, & totius Orientalis Oceani plenum eſt arborum ſiluis, vt Cap. 49. dicebamus, quid mirum Paradiſi arbores vno anno ſub diluuio vixiſſe? Atq. hæc ſatis, illud tantum notes velim, antiquiores vidiſſe hanc de diluuio obiectionem, nec propterea ſibi à recepta opinione putaſſe diſcedendum, vt Paradiſum non extare putarent.

ARBORVM QVARVNDAM VITA DIVTVRNISSIMA.

Sed hic tempeſtiue monemus, non eſſe incredibile Paradiſum cum arboribus ſuis ita florentem ad finem vſque ſæculi poſſe conſeruari: cum de quarumdam arborum vita longæuiſſima, non pauca extent Auctorum teſtimonia. Plinius Libr. 16. Cap. 44. iſta prodit: Vita arborum quarumdam immenſa credi poteſt, ſi quis profunda mundi, & ſaltus inacceſſos cogitet.] & cum multa de veterrimis arboribus ſubiungat, hæc poſtea addit: Vetuſtior autem Vrbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis litteris Etruſcis, religione arborem iam tunc dignam fuiſſe ſignificat. Tiburtes quoque

origi-

originem multo ante Vrbem Romam habent. Apud eos extant ilices tres, etiam Tiburto conditore eorum vetuſtiores, apud quas inauguratus traditur. Fuiſse autem tradunt filium Amphiarai, qui apud Thebas obierit vna ætate ante Iliacum bellum.] Et paulo inferius: Iuxta vrbem autem Ilienſium, quercus in Ili tumulo tunc ſatæ dicuntur, cum cœpit Ilium vocari. In Ponto circa Heracleam aræ ſunt Iouis Stratij cognomine, ibique quercus duæ ab Hercule ſatæ.] Et Lib. 16. C. 2. inquit: In Septentrionali plaga Hercyniæ ſiluæ roborum vaſtitas intacta æuis, & congenita mundo, prope immortali ſorte miracula excedit.] Hactenus Plinius.

De ficu Ruminali ſub qua Remus ac Romulus nutriti, cuius meminerũt Liuius Lib. 1. Plinius Lib. 5. C. 18. Plutarchus in Romulo, & alij, iſta narrat Tacitus Annali 13. extremo: Eodem anno, *nempe Nerone Tertium & Valerio Meſſala Coſſ.* Ruminalem arborem in Comitio, quæ ſuper octingentos quadraginta, *triginta reſtituit Lipſius recte*, ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & areſcente trunco diminutam, prodigij loco habitum eſt, donec in nouos fœtus reuiuiſceret.] Hæc ille. De ficu Ruminali quædam notat Ioſephus Scaliger in Feſtum.

Ioſephus agens de Vrbe Hebrone hæc refert Lib. 5. Belli Iudaici Cap. 7. Cernitur autem ſexto ab oppido ſtadio arbor maxima Therebintus, eamq. memorant ab initio mundi creati, nunc vſque durare.] At qui eandem arborem ad tempora vſque Conſtantij Regis ſtetiſse Euſebius & S. Hieronymus teſtantur his verbis in Locis Hebraicis: Quercus Abraham, quæ eſt Mamre, vſque ad Conſtantij Regis Imperium monſtrabatur, & mauſoleum eius in præſentiarum cernitur: eumq. à nobis iam ibidem Eccleſia ædificata ſit, à cunctis in circuitu gentibus Therebintus ſuperſtitioſe colitur, eo quod ſub ea Angelos Abraham quondam hoſpitio ſuſceperit.] Hæc illi. Perduraſſe eam ilicem ad tempora vſque Brocardi, qui ea loca anno Domini 1283. præſens inuiſit, ipſemet Auctor affirmat. Noſtra etiam ætate adhuc eandem extare, certis peregrinorum relationibus conſtare referunt Maſius in 24. Ioſue v. 26. & alij. Quid igitur impoſsibile, aut magnum, arbores Paradiſi præſtantioris longe naturæ quàm reliquæ terræ, ad finem vſque rerum viuere?

Cur Deus condiderit Paradiſum, quem tamen homines non eſſent inhabitaturi: & cur eum modo conſeruat, nulli plane vſui, aut cui? Cap. LXXXVI.

MIRABITVR fortaſsis quiſpiam, cur Deus Paradiſum tanta pulchritudine in hominis vſum conſeuerit, cum aperte præuiderit breuiſsimo tempore illic manſurum fuiſse genus humanum: & in ſempiternum extorrem Paradiſi victurum. Plerique varias cauſas & rationes diuini conſilii ea in re perquiſierunt, interim dum illæ ſublimes & magnæ in arcanis Diuinitatis latent, haſce paucas accipe. Theodoretus Quæſt. 24. in Geneſ. rogat: Qua cauſa Deus plantauit Paradiſum, mox expulſurus inde Adamum? Reſpon-

Reſpondet. In primis Dominus Deus non ſolet condemnare ex præſcientia. Qua propter transgreſsionem Adæ præuidens, bona illi conceſsit.] hoc eſt, non tractat Deus hominem in præſentia, ſecundum ea quæ aliquando facturus eſt homo; ſed ſecundum præſentem eius ſtatum & merita: in præſentia erat homo felix cum originali iuſtitia: dedit ergo ei locum Paradiſi, præſenti ſtatui congruentem. Addit Theodoretus aliam rationem: Deinde voluit illum cognoſcere beneficia diuina, vt his priuatus odio graui proſequeretur peccatum, per quod tantis bonis careret.] Hæc ille. AGIT DOMINVS CVM HOMINE EX PRAESENTIBVS.

Quæ S. Thomas dilucidius explicauit, ſiquidem in 1.P. Qu.102. Art.2. ad 5. ait: Non propterea Paradiſus eſt fruſtra, quia non eſt ibi hominum habitatio poſt peccatum: ſicut etiam non fruſtra fuit homini attributa immortalitas quædam, quam conſeruaturus non erat. Per huiuſmodi enim oſtenditur benignitas Dei ad hominem: & quid homo peccando amiſerit.] Et 2. 2. Qu.164. Art.2. ad 4. inquit: Locus ille Paradiſi tereſtris quamuis non ſeruiat homini ad vſum, ſeruit tamen ei ad documentum: dum cognoſcit propter peccatum ſuiſſe ſe tali loco priuatum: & dum per ea quæ corporaliter in illo Paradiſo ſunt, inſtruitur de his quæ pertinent ad Paradiſum cæleſtē, quò aditus homini præparatur per Chriſtum.] Hæc S. Thomas. Dices, eſto condiderit Paradiſum tam paruo tempore homini incolendum, cur eum modo conſeruat? Conſitus ille eſt a Deo vt eſſet conſentaneus locus humanæ felicitatis & innocentiæ; at iuſtitia originalis, & immortalitas hominis & perbeatus ille ſtatus perijt, cur igitur quoque non interijt Paradiſus? Numquam illuc intraturi ſunt homines, numquam locum inuiſuri, quorſum manet, vacuus, otioſus, ſine cultore, & inhabitante homine? Propter duos enim ſolos homines Henoch & Eliam locum adeo ample diffuſum, Deum tot ſæculis inuiolatum conſeruare haud ſatis rationi congruere videtur. OBIECTA QVOD NON DECEAT SERVARI NVNC PARADISVM.

At iſta diluere non fuerit difficile: perierunt quidem per Adami peccatum originalis iuſtitia & cetera bona ſupernaturalia, quæ hominem beatum illo in ſtatu reddebant, nimirum illa quæ accidentia erant humanæ menti, animoq. diuinitus impertita, quæ homo ipſe ſua culpa amiſit, & deprauata ſua voluntate in ſe ipſe extinxit, cū qua Adami corrupta voluntate, illa bona ſtare non poterant: at Paradiſus ſubſtantia quædam erat naturalis, fixa, ſubſiſtens, manibus Dei in terra condita, immortali quodammodo vigore prædita, quam homo voluntate ſola extinguere non poterat: & niſi Deus opus ſuum ipſe deſtrueret, aut caſu aliquo violento læderetur, interire non potuit. A caſibus autem tutum Paradiſum oſtendimus, cum diluuio intactum probauimus. Sic videmus ſcientias rerum omnium Adamo inditas, pulchritudinem, craſim corporis optimi temperamenti, & alias eiuſmodi dotes quæ ad arbitrium humanum non pertinent, neutiquam amiſſas per peccatum. DILVVNTVR.

Quòd vero Deus nunc Paradiſum conſeruet incolumem ad finem vſque mundi, eædem ferme rationes oſtendunt, quæ, Cur eum initio creauit, demonſtrant. Nam cum Deus Paradiſum condiderit, hortum qualitate, inſita virtute, & natura loci vigentiſsimum, ac pene immortalem; nulla ratio perſuadet vt Deus opus ſuum quod ipſe tanta cura perfecerat, exſcinderet: ſuo igitur natiuo vigore perdurat Paradiſus: externi quoque caſus ipſum non attingunt, non illum diluuium euertit: non ignis, non hominum furor, non beſtia- RATIONES CVR ADHVC STET PARADISVS.

beſtiarum irruptio, quò nihil horum peruadit, vmquam violauit: cælum, aeremq. ac ſolum habet felix, temperatiſsimum, optimum, cur non ſemper floride vigeat? Maledictio illa in terram à Deo iaculata, in illa tantum extra Paradiſum humo expéditur: Paradiſus ab execratione omni, & mali experientia manet immûnis; vt Philoxenus, Bar-Cepha, quos C.66. citauimus, Toſtatus in 13. Geneſ. Q. 832. & alij pleriq. affirmant: & ratio eſt perſpicua: illi enim tantum terræ Deus maledixit, quam Adam in ſudore vultus culturus erat; at ea ſola eſt quæ extra Paradiſum iacet: viuit ergo Paradiſus florens ac ſplendidus. Non tamen dubitem humana cultura illum futurum meliorem fuiſſe ſi ſtatus innocentiæ permanſiſſet: at quantum eſt ex natura loci omnium amœniſſimi, certum eſt extare pulcherrimum: quem quoque cultura ſua Henoch & Elias formoſiorem reddant. Vides ergo ex dictis, etiã ſi Henoch & Elias non eſſent in Paradiſum translati; nihilominus manſurum, poſtquam à Deo tanta præſtantia & innata bonitate creatus fuit. Interim tamen tam præclaro cum vſui Deus inſeruire facit, vt duos illos magnos Apoſtolos & inuictos diuini verbi præcones Henoch, & Eliam in beata terreſtri vita ad Antichriſti vſq. tempora conſeruet, vt ſequenti Capite dicemus. Nec magnum eſt vt ob ſolos duos amicos ſuos tam amplum locũ Deus ſuſtineat, nam non noua prouidentia & extraordinaria, ſed eadem qua conſeuerat, ſeruat: etſi noua foret, non eſt nouũ Deo, ſibi dilectos eiuſmodi honoribus illuſtrare: nec nobis ardua & abſtruſa diuini conſilij pateſcunt.

NICEPHORVS EXISTIMAVIT ANIMAM CHRISTI TRIDVO ANTE RESVRRECTIONEM MANSISSE IN PARADISO.

Non prætermittimus, Nicephorum Calliſtum exiſtimaſſe Chriſti animã à corpore in morte digreſſam, quamprimum piorum animas à limbo eduxit, eas ſecum in Paradiſum terreſtrem intuliſſe: ibiq. toto illo triduo ad ſacram vſq. reſurrectionem ſuam manſiſſe: hæc enim ſcribit Lib. 5. Hiſt. Eccleſ. Cap. 31. Ipſe enim iuſtitiæ Sol Chriſtus, anima ſola per mortem à corpore ſegregata, apud inferos iuſtorum animis præſto fuit, & dux itineris ad Paradiſum ferentis præit, lucis princeps, viæq. ductor eis perinde atq. Latroni factus. Eadem namq. die ac potius eadem hora ab inferis redijt, vt quidem cum alij nonnulli, tum is cui aurea lingua nomen indidit, *Chryſoſtomus*, inprimis hæc accuratius certiuſq. expoſuerunt. Nec enim rationi conſonum erat, animam eius apud inferos retineri, qui nihil prorſus à primi Parentis maledictione & exitio ſecum attuliſſet. Subito vero, & vt ita dicam, fulgetri celeritate, dignos atq. idoneos luce ſumme coruſcantis Deitatis illuſtrans, ac immenſa potentia ex caliginoſis illis, ſoleq. carentibus latebris reducens, & principibus ibi tenebrarum, ducibuſq. malorum, diuinæ poteſtatis ſplendore, & Angelicarum cohortium militia quaſi obtritis, nullo tempore, & labore nullo, atq. vt ſemel dicam, eo qui ſolum Deum decet, modo in momento vno ad ſacra, immenſaq. luce relucentia Paradiſi tabernacula traduxit.] Et poſt alia ſubdit: Rurſus tertia poſt die cum profundum etiamnum vna Sabbatorum eſſet diluculum, ac Sol quidem tum circa Paradiſum in Eden oriretur, altioraq. & ſublimiora montium iuga attingeret: circa noſtrum autem Orizontem ſeptima vt ſic dicam, aut etiam octaua obtineret hora nocturna, cum vitæ principe Deo ſimili animato, & pure intellectuali corpore, & ex ſepulchro prodiens, ita vt antea prænuntiauerat, reſurrexit.] Hactenus Nicephorus.

At

At refragantur huic Nicephori ſentētiæ Theologi Scholaſtici in 3.Sent.Diſt. 22.& S.Thomas 3.P.Q.52. Art. 4. qui affirmant,toto triduo mortis Chriſti manſiſſe eius animam in inferno. Sunt multæ Patrum auctoritates in hanc ſententiam,quas refert Suarez in 3.P.Diſput.43.Sectione 4. Ceterum S. Thomas in 3.Sent.Diſt.22.Q.3.Art.2. quæſtiuncula 3.ad 3. de animabus Sāctorum quas Chriſtus à Limbo extraxit, quid actum fuerit quadraginta illis diebus quibus Chriſtus poſt ſuam reſurrectionē, antequam in cælum aſcenderet,in terris manſit,hæc ait: Dicendum,quòd animæ Sanctorum erāt cum Chriſto,vt de eius corporali præſentia gauderent: vel erant in Paradiſo terreſtri,quamuis locus ille non ſit proprie ſpirituum:ſed erant ibi diſpenſatiue ad tempus.] Hæc ille. Quibus aſſentitur S. Bonauentura in Meditationibus Vitæ Chriſti,Cap.91. REFRAGANTVR THEOLOGI.

Idem tamen S.Thomas de tempore inter Reſurrectionem & Aſcenſionē Chriſti vbi Chriſtus tunc eſſet,quando diſcipulis non apparebat, hæc ſcribit 3. P. Q. 55. Art 3. ad 2. Incognitum autem eſt quibus in locis intermedio tempore corporaliter eſſet, cum hoc Scriptura non tradat, & in omni loco ſit dominatio eius.]Et hoc eſt tutius,quod etiam alij probant.

Henoch & Eliam conſeruari nunc ſuperſtites in Paradiſo Voluptatis, ad aduentum vſque Antichriſti. Cap. LXXXVII.

HENOCH & Eliam nondum vita functos, ſed viuos adhuc in corporibus manere ad finem vſq. mundi, quo venturi ſunt ad reſiſtendum Antichriſto, fuſe & ex Scriptura,& Patrum traditione demonſtratum à nobis eſt Lib. 9. de Antichriſto: ſed quonam in loco interim ſeruentur, pleriq. Sanctorum Patrum aut ambigunt, aut ſe neſcire profitentur, S. Cypriani nomine Auctor in Tractatu de montibus Sina & Sion,inquit:Henoch tranſlatus eſt in loco vbi Deus ſcit.] S.Chryſoſtomus Homil.21.in Geneſ.& Homil.22. in Epiſt. ad Hebræos, ſcribit: Multi quærunt quò tranſlatus ſit Henoch,& quare tranſlatus ſit:& quare non fuerit mortuus nec ipſe nec Elias. Et ſi adhuc viuunt, quomodo viuunt, & quali habitu: ſed ſuperuacaneum eſt iſta quærere.Quòd vero tranſlatus ſit iſte, & aſſumptus ille, Scripturæ dixerunt; vbi autem ſit,& quomodo,non addiderunt: nihil autem amplius quàm neceſſaria ſunt, dicunt.] S. Auguſtinus Lib. 2. de Peccato Originali Cap.23.hanc quæſtionem nequaquam ad fidem pertinere ſcribit:habes eius verba à nobis Cap.83.poſita.Theodoretus Queſt. 45. in Geneſ. ait: Quem in locum Deus omnium tranſtulit Henoch?Non inquirenda ſunt quę ſilentio ſunt tradita,ſed veneranda quæ ſcripta ſunt.]Theophylactus in 11.Hebræorum inquit:Proinde quòd viuens tranſlatus ſit Henoch, & quòd viuat, ſcimus:vbi autem & quomodo,incertum, Scriptura hoc non pateſaciente.] Oecumenius Hebræor.11.ait:Viuens enim tranſlatus eſt Henoch, & adhuc viuit: porro vbi & quomodò, incertum eſt.] Rupertus Abbas Lib.3.de Trinitate,C.33.ait:Numquā Scriptura dat intelligi,quòd Henoch & Eliā Deus tranſtulerit in ipſum Paradiſum,vbi comederent de Ligno Vitæ, & viuerent in æternum:ſed ita ſublati ſunt,vt in ſecretam quandam regiónem terræ ducerentur, vbi in magna carnis & ſpiritus quiete viuerent: quouſque ad finem mundi redeant,& mortis debitum ſoluant.]Hæc ille. HENOCH ET ELIAS VBI NVNC MANEANT, ALIQVI PATRVM SE NESCIRE AIVNT.

ALII IN CAELOS TRANSLATOS INDICANT.

Alij indicaſſe videntur Henoch & Eliam in ipſum cęlum eſſe receptos, atque ibidē nunc degere. S. Ambroſius Lib. de Paradiſo C. 2. inquit: Henoch raptus eſt ad cælũ.] S. Ephræm Syrus Sermone de Transfiguratione ait: Imperauit Chriſtus cælo, & Eliam deduxit, innuit terræ, & Moſen ſuſcitauit.] S. Hieronymus in Amos 9. inquit: Aſcendit Dominus cum Henoch in cælum, aſcendit & cum Elia.] Sedulius Lib. 1. Operis Paſchalis, aſſumptionem Eliæ hoc carmine cecinit:

Aurea flammigeris euectus in aſtra quadrigis,
Qua leuis æthereos non exprimit orbita ſulcos,
Sidereum penetrauit iter, curruq. coruſco,
Dexteriora petens, ſpatio maiore triumphum
Duxit, & humani metam non contigit æui.

Claudius Marius Victor Lib. 2. Carminũ in Geneſ. de Henoch iſta decātat.

Cuius de ſerie pollens virtutibus Henoch
Deſcendens, meritis non etiam impar auitis,
Redditus in ſedes patrias, orbemq. beatum,
Viuit adhuc, & habet vitæ iam regna futuræ.

S. Alcimus Auitus Lib. 4. de Diluuio C. 6. de Henoch canit:

- quem priſca fides & conſcia virtus
In cælum ſine morte tulit: ſic celſa petenti.

De Elia vero:

Quamquam quò Noe proauus conſcenderat Henoch,
Elias curſu poſt tempora longa ſecutus,
Scribitur ignitis ſcandens penetraſſe quadrigis.

Dorothæus in Synopſi hæc ſcribit: Elias qui terræ fuerat ſortitus domicilium, cælũ quoq. ſubito penetrauit, qui mortalis factus erat, cũ immortalibus cōuerſatur, qui humi incedebat, inſtar ſpiritus cũ Angelis in cælis agit.] Procopius Gazęus in 5. Geneſ. ait Henoch & Eliā in æterna tabernacula receptos.] Michael Pſellus in Chaldaicis Præceptis apud Steuchũ in 2. Gen. tradit, illos non in Paradiſum, ſed in locum tamen corporeum, verum ęthereum aut cęleſtē translatos. S. Gregorius. Eliā non in cælum, ſed in reconditā aliquā terrę regionē aſſumptũ docet Hom. 29. in Euāg. his verbis: In cęlũ aerium Elias ſublatus eſt, vt in ſecretā quandam terræ regionē duceretur.]

NON ESSE IN PARADISO QVI NAM RECENTIORES PVTANT.

Recentiores Paradiſi euerſores ex iſta Scriptorum varietate anſam arripuerunt exiſtimandi Henoch & Eliā non eſſe nunc in Paradiſo illo terreſtri. Steuchus in 2. Geneſ. ait: Quod autē Henoch & Elias in Paradiſum translati feruntur, id eadē facilitate refellitur, qua aſſeritur. Quo quæſo ex idoneo loco Scripturarum id colligitur? Elias fateor aſſumptus eſt, ſed num in Paradiſum? quis tā audax eſt, qui hoc auſit aſſerere: cum id nuſquam memoriæ proditum inueniatur? Eodē modo Henoch aſſumptus eſt, ſed quē in locum Scriptura nō refert. Quod ſi hi cum corpore aſſumpti ſunt, arbitror eos ibi poſitos, vbi & Ieſus cum corpore verſatur. Neq. vero propter corpus in hunc Paradiſum erant transferendi, cum glorificata corpora, aliā recipiant naturā: quod & in Ieſu Chriſti corpore accidiſſe didicimus.] Hęc ille. Sed inſpice rē abſurdam, quòd Henoch & Eliæ corpora glorificata attribuit, quam Lib. 9. de Antichriſto C. 5. ex ſenſu Patrum exploſimus. Naclantus in Medulla Scri

ptura

pturæ in Opere tertiæ diei ſcribit: Quod dicitur de Henoch, deq. Elia in Paradiſo viuere, fateor ſic à pluribus affirmari: ſed potius vt famoſa, quàm vt comperta ſit aſſertio.] Hæc ille.

Pererius Lib.7. in Geneſ. Q.7. de Henoch inquit: Satis videtur probabilis illa ſententia, Henoch & Eliã non eſſe in illo Paradiſo terreſtri: ſed in aliquo ſecreto loco amœniſſimo.] Iſtud longo argumentorum apparatu firmare conatur. Id ipſum quoq. affirmare coguntur omnes, qui Paradiſum per diluuium diſſipatum putant. Vide Viegam Comment. 5. in 11. Apoc. Sect. 5.

Equidẽ Patres qui Eliam & Henoch in cælũ raptos tradiderunt, nihil aliud expreſſiſse voluerunt, quàm id quod 4. Reg. 2. v. 11. dicitur de aſsumptione Eliæ: *Et aſcendit Elias per turbinem in cælum.* Nimirum ſubuectum in cælum, hoc eſt, aerem,[a] & per aera ductum in locum vbi nunc viuens ſeruatur: hunc vero eſse Paradiſum mox ex Patribus oſtendemus. EXPLICANTVR PATRES. [a] *Lyranus & alij in eũ lo. um.*

Quod vero S. Gregorius aſſerit, ductos in ſecretam quandam terræ regionem, cur hanc, conſentanee alijs Patribus, non dicemus eſſe terreſtrem Paradiſum: cum eſſe hunc in ſecretiſſima terræ parte conſtet, vt poſtmodum C. 89. monſtrabimus.

Auctores vero qui dicebant, ignorari vbinam locorum Henoch & Elias modo exiſtant, nec id eſſe curioſius diſquirendum, vel ſunt Græci quibus ignota erãt Lectio illa Eccleſiaſtici de Henoch in Paradiſum tranſlato: vel ſunt Latini quibus nondum recepta erat eadem Lectio Noſtri Vulgati, vt mox dicemus. De Ruperto dixerim, vel eum oblitum loci Eccleſiaſtici, vel perperam interpretatum.

S. Auguſtinus qui hanc putauit non eſſe fidei quæſtionem, certum eſt locum Eccleſiaſtici vt nunc eſt in Editione Vulgati, ipſum non habuiſſe: & damus nos libenter, etiam ſtante loco Eccleſiaſtici, non eſſe de fide Catholica certum, Henoch & Eliam nunc in Paradiſo manere: at cum innumeri & veteres & recentiores Chriſtiani Scriptores id magno conſenſu tradant, nec vllus veterum negaſſe aut contradixiſſe reperiatur, cur apud cordatos & eruditos, hæc ſententia magnum auctoritatis pondus non habebit? Accipe iam magnos, & multos aſſertores.

S. Irenæus, cuius auctoritas in cauſa iſta, ſumma nobis merito eſſe poſſit, hanc eſſe traditionem Presbyterorum Eccleſiæ, qui diſcipuli Apoſtolorum fuere, diſertiſſime profitetur Lib. 5. aduerſus Hæreſes Cap. 5. ſic dicens: Vbi ergo primus poſitus eſt homo, ſcilicet in Paradiſo, quemadmodum Scriptura dicit: Et plantauit Deus Paradiſum in Eden contra Orientem, & poſuit ibi hominem, quem plaſmauit, & inde proiectus eſt in hunc modum non obediens: quapropter dicunt Presbyteri, qui ſunt Apoſtolorum diſcipuli, eos qui tranſlati ſunt, *ſcilicet Henoch & Eliam*, illuc tranſlatos eſſe. Iuſtis enim hominibus, & ſpiritum habentibus præparatus eſt Paradiſus: & ibi manere eos, qui tranſlati ſunt, vſque ad conſummationem, coauſpicantes incorruptelã.] Hæc ipſe. Quæ ſatis ſuperq. eſſe poterant vt illis quæuis diſerta ingenia acquieſcerent: nam quibus modis iſta eludere niſi ſint quidam Cap. 83. & vidimus, & aperte nimis confutauimus. ESSE NVNC IN PARADISO PATRES ASSERVNT.

Auctor nomine S. Iuſtini Philoſophi & Martyris Qu. 85. ad Orthodoxos hæc habet: Henoch & Elias nondum obierunt, ſed manent in immortalitate

in Paradiſo expectantes æternam vitam.] Hæc ille. Quem tametſi nolint eſſe Iuſtinum Martyrem, quòd Quæſt. 82. & 86. citet Originem, & Quæſt. 115. S. Irenæum, ipſo recentiores: at eſſe peruetuſtum Auctorem non eſt dubium: Theodoreti Opus ſuſpicatur Sixtus.

S. Victorinus Martyr, Pictauienſis Epiſcopus Commentario in Apocalyp. ait: Henoch. & Elias ſunt in Paradiſo.]

S. Athanaſius in Epiſtola, Quòd Nicæna Synodus ſit recipienda: ita ſcribit: Adam ſtatim vbi natus eſſet, in Paradiſo collocatus, nihil quidquam differentiæ habuit ab Henoch, qui poſt tempora natiuitatis ſuæ, cum Deo placuiſſet, in Paradiſum translatus eſt.]

S. Ephræm Syrus in eadem quoq. fuit ſententia, de quo hæc ſcribit Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo C. 1. Neceſſum eſt corporatum eſſe Paradiſum, quòd Henoch & Elias in eo manent, vt affirmat dominus Ephraim in eo Opere quo Librum Geneſeos, hoc eſt, de rerum ortu, interpretatur: & in his etiam Sermonibus, quos de Paradiſo conſcripſit. Illi enim viri cum corporati ſint, vt qui vitæ huius vinculis adhuc ſunt colligati, conſentaneum eſt, vt in corporalibus quoq. locis maneant.] Hæc Moſes.

S. Hieronymus Epiſt. 61. hæc aſſerit: Henoch translatus eſt in carne, Elias carneus raptus eſt in cælum: necdum mortui, & Paradiſi iam coloni, habent quoq. membra in quibus rapti ſunt, atque translati.]

VESCUNTUR DE LIGNO VITAE.

S. Auguſtinus eidem ſententiæ ſatis ſuffragatur, cum de Henoch & Elia, num modo cibis vtantur, ita ſcribit Lib. 1. de Peccatorum meritis & remiſſione, C. 3. Aut ſi & his ſuſtentaculis opus eſt, ita fortaſſe in Paradiſo paſcuntur, ſicut Adam priuſquā propter peccatū exinde exire meruiſſet. Habebat enim, quantum exiſtimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de Ligno Vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem.] Hæc ipſe.

S. Alcimus Auitus Lib. 1. de mundi initio C. 9. diſerte canit pro Adamo & Heua Paradiſo expulſos, eum locum nunc incolere Henoch & Eliam diuinos miniſtros.

Lucus inacceſſa cunctis mortalibus arce
Permanet, æterno concluſus limite, poſtquam hic
Decidit expulſus primæui criminis auctor.
Proq. reis digne felici ab ſede reuulſis,
Cæleſtes hæc ſancta capit nunc terra miniſtros.

At quos cæleſtes miniſtros terra Paradiſi capere poteſt niſi Henoch & Eliā? S. Iſidorus Lib. de Vita & morte Sanctorū C. 3. Henoch ſubtractus meruit in eū locū transferri, vnde fuerat Protoplaſtus excluſus: manet autē hactenus in corpore: in cōſumatione mūdi reſtituet cū Elia mortalem vitæ conditionē.] Petrus Comeſtor in Hiſtoria Geneſ. Cap. 30. inquit: Tranſtulit Henoch Deus in Paradiſum Voluptatis ad tempus, vt in fine temporum cum Elia conuertat corda Patrum in filios.]

RECENTIORES ETIAM AFFIRMANT HENOCH ET ELIAM IN PARADISO VIVERE.

S. Thomas 3. Parte Quæſt. 49. Art. 5. ad 2. Henoch raptus eſt ad Paradiſum terreſtrem, vbi cum Elia ſimul creditur viuere vſque ad aduentum Antichriſti.] Sic ille: eadem habet in 2. Sentent. Diſt. 29. Q. 1. Art. 5. ad 4. & 1. P. Q. 102. Art. 2 ad 3.

Nicolaus Lyranus in 5. Gen. Doctores autem Catholici dicunt, quòd Henoch

noch propter excellentiã ſuæ virtutis,aſſumptus fuit à Deo,& poſitus in Paradiſo terreſtri: vbi & Elias poſtea raptus eſt 4.Reg.2.& inde exituri ſunt ad prædicãdum contra perfidiã Antichriſti.] Et in Cõment.4.Reg.2.ait:Locus autẽ ad quẽ deportatus fuit Elias,ſecundũ Doctores Catholicos & Hebręos eſt Paradiſus terreſtris: vbi Henoch ante fuerat tranſlatus:& inde circa finẽ mũdi ambo proceſſuri sũt ad prędicãdũ cõtra perfidiã Antichriſti.]Hęc ille.

Toſtatus in 5.Gen.ſcribit: Doctores Catholici omnes & tota fideliũ Eccleſia credit,quòd Henoch translatus fuerit in Paradiſum, ſicut Elias:& manẽt iſti duo in terreſtri Paradiſo, vt poſt pugnent & prædicent contra Antichriſtum.] Hæc ipſe: eadem docet in 2. Geneſ. Q. 7. & in 13.Geneſ.Quæſt.123.

S.Antoninus 4.P.Thelog.Tit.13.C.4 §.3.De Paradiſo terreſtri mittentur in mundum contra Antichriſtum,Henoch & Elias,quò fuerunt trãſlati.]Eadem alibi varijs locis repetit:nec opus eſt plures citare,quandoquidem omnes ad Eugubinum vſque,perpetuo conſenſu tradiderunt Henoch & Eliã in Paradiſo terreſtri viuere,nec vllus reclamaſſe repetitur: Nunc aliquos qui ET INNV-
poſt Eugubinum ſcripſerunt,referamus,vt perſpicue quiuis cernere valeat, MERI QVI
exortę nouę opinioni complures iſſe obuiam, nec eam gliſcere ſiuiſſe,tametſi POST STEV
illius ſuffragatores magnum eiuſdem incrementum ſibi præſagierint. CHVM SCRI

Ambroſius Catharinus in 2. Geneſ. recitatis Steuchi verbis quæ ſuperius PSERVNT.
hoc ipſo Capite deſcripſimus,hæc ſubdit: Ego vero miratus ſum primum ac vehementer huius viri ſermonem tantæ fiduciæ plenum.Ait enim tam celebrem & conſtantem (dicam audacter) clariſſimorum virorum ſententiam *de Henoch & Elia viuentibus in Paradiſo terreſtri*, eadem facilitate refelli qua aſſeritur.] pergit pluribus confutare Eugubini ſententiam.

Sixtus Senẽſis Lib.5.Bibliothecæ Annot.36. aſſertum Eugubini quòd He- SIXTI CEN-
nóch & Elias nõ ſint in Paradiſo,à rectę fidei regula exorbitare,Patribus cõ SVRA GRA-
tradicere,& diuinæ Scripturæ eſſe aduerſum affirmat. Rixã mouet Pererius VIS.
Sixto ob cenſurã,ſed cum eandem retuliſſet Bañes,nequiquã improbauit.Sixtus cenſuit ita,quòd locum Eccleſiaſtici ſibi manifeſtum putaret: nec dixit hanc eſſe Eccleſiæ cenſuram,ſed ſuam:nõdum res delata eſt ad Eccleſiæ tribunal. Quibus notus fuerit locus Eccleſiaſtici in Editione Vulgata,magnas ita cenſendi cauſas habere videtur.Nec opus eſt opponere Chryſoſtomum, Auguſtinum,Theodoretum,quibus Vulgati lectio haud comperta.Dicemus de his Capite ſequenti.

Franciſcus Feu-ardentius in Notis ad 30.C.Lib.4.S Irenæi, Num.6. ſcribit:In eum Paradiſum quo poſitus fuerat Adam, cum eodẽ quo vixerat corpore,Henoch ſeruari,ex traditione Presbyterorum,qui Apoſtolos audierũt, ſe accepiſſe ſcribit S.Irenæus Lib.5. C. 5. Huic ſententiæ tot ſuffragantur,vt ab ea diſcedere mihi religio ſit; præcipue cum aperte dicat in Eccleſiaſtico Cap.44.Syracides Latinus,(Græca enim variant) Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum.] Hæc Feu-ardentius.

Marianus Victorius Reatinus Epiſcopus,in Scholijs Epiſt.61.S.Hieronymi,Num.51.ait:Quod autẽ aſſerat hic D.Hieronymus in Paradiſum tranſlatos Henoch & Eliã eſſe,in terreſtrẽ videlicet; communis omnium ſententia eſt:cui Eccleſiaſtici auctoritas aſſentitur, dum de Henoch ſcribit his verbis: Henoch placuit Deo,& translatus eſt in Paradiſum.] Hæc ille.

Felicia-

ELIAM ET HENOCH VIVERE IN PARADISO, TRADITIO ECCLESIAE MULTIS.

Felicianus Capitonus Archiepiſcopus Auinionenſis Parte 1. Catholicar. Explicationum, Explicatione 5. hæc habet: Refellendi etiam ſunt, qui aſſerere nituntur, poſt Adæ peccatum Paradiſum terreſtrem paulatim defeciſſe, & denium aquarum inundatione diluuij omnino ſubuerſum atque ſublatum: quippe quod Eccleſiæ traditio eſt, Henoch & Eliam adhuc viuos ibi habitare, & vſque ad tempora Antichriſti reſeruari, cum ad confirmandam Euangelicam veritatem pro ſalute electorum mittentur.] Tantum ille.

Ioſephus Acoſta Lib. 3. de Nouiſſimis Temporibus Cap. 6. ait: Irenæi verbis docemur Apoſtolorum fuiſſe traditionem, Henoch & Eliam adhuc viuere in corpore: deinde in Paradiſo terreſtri, vbi Adam fuit, eos eſſe: tandem ſeruari eos vſque ad conſummationem mundi.] Quamquam addit, S. Auguſtinum illud ſecundum in dubio ponere.

RECEPTA SEMPER IN ECCLESIA OPINIO.

Ianſenius quamuis ipſe non credat Henoch & Eliam nunc eſſe in Paradiſo, hæc tamen ingenue fatetur, elucidans locum Eccleſ. 44. Verſ. 16. Itaque Interpres de ſuo addidit, *in Paradiſum*, ſecutus, vt eſt veriſimile, receptam ſemper in Eccleſia opinionem, qua Henoch ſine morte creditur translatus in Paradiſum, ſicut & Elias: vnde tempore Antichriſti venturi putantur.] Sic ille. At recepta in Eccleſia opinio ſemper fuit, eos in terreſtri Paradiſo degere, eo nimirum, vbi Adam fuit.

Franciſcus Cumel in 1. Par. Quæſt. 102. Art. 1. Concluſ. 3. inquit: Henoch & Elias communi conſenſu creduntur eſſe accolæ Paradiſi terrenalis: & de Henoch videtur adeo certum, vt non ſit fas dubitari.] Et poſt alia: Cum igitur conſtet hos viuere, & communiter receptum ſit quòd degunt in Paradiſo, & colligitur ex illo Eccleſ. 44.] Hæc ille.

Et ne iam legentibus, tot Auctoribus citandis faſtidio ſimus, Henoch & Eliam nunc in Paradiſo terreſtri viuere ad finem vſq. mundi, affirmant etiã Bellarminus Lib. 1. de Gratia primi Hominis, Cap. 12. & 14. Ribera in 11. Apocalip. Numero 13. Enriquez Lib. de Fine Hominis Cap. 19. & 23. Soto in 4. Sentent. Diſtinct. 46. Quæſt. 1. Art. 1. Bañes 1. Par. Q. 102. Art. 1. Valentia Tomo 1. Diſput. 7. Quæſt. 6. Puncto 2. ad 3. Bozius Lib. 24. de Signis Eccleſię Cap. 6. Ioannes Pineda Lib. 1. Monarch. Eccleſ. Cap. 13. §. 1. Tyræus de Filij Dei apparitione Taborina Cap. 3. Num. 22. Paulus Palatius in 44. Eccleſ. Yſtella in 2. & 5. Geneſ. Ex Hebræis Recentioribus docet iſtud quoque Dauid de Pomis in Tſemach Dauid in voce Eden: cuius verba deſcripſimus in Antichriſto Lib. 9. Cap. 4. nam antiquiores idem ſenſiſſe ex Lyrano iam ſuperius vidimus. Et, vt vnico verbo dicamus, Recentiores omnes, (illis pauciſſimis exceptis, qui Paradiſum iam non extare opinantur, quos Cap. 82. recenſuimus,) Henoch & Eliam Paradiſi colonos eſſe affirmant.

Parergon de Elia Thesbite.

ELIAS CUR DICTUS THESBITES

LIb. 9. de Antichriſto Cap. 2. multas rationes adduximus cur Elias dictus ſit *Thesbites de habitatoribus Galaad* 3. Reg. 17. 1. nunc aliam præter illas, quam Auctorum lectione reperimus, ſub legentium iudicia mittimus. 1. Paralip. 5. Verſ. 8. de Bala vno ex poſteris Ruben Patriarchæ, eiuſque cognatione ſcriptum extat: *Contra Orientalem quoque plagam habitauit vſque*

ad introitum eremi, & flumen Euphraten. Multum quippe iumentorum numerum poſſidebant in terra Galaad. In diebus autem Saul prœliati ſunt contra Agareos, & interfecerunt illos: habitaueruntq. pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga quæ reſpicit ad Orientem Galaad. Et Verſ. 18. 19. 20. 21. 22. de filijs Ruben, & Gad, & dimidiæ Tribus Manaſſe, dicitur: *Dimicauerunt contra Agareos. Traditiq. ſunt in manus eorum Agarei, & vniuerſi qui fuerant cum eis, quia Deum inuocauerunt cum prœliarentur: & exaudiuit eos, eo quòd credidiſſent in eum. Ceperuntq. omnia quæ poſſederant, camelorum quinquaginta millia, & ouium ducenta quinquaginta millia, & aſinos duo millia, & animas hominum centum millia. Vulnerati autem multi corruerunt: fuit enim bellum Domini. Habitaueruntq. pro eis vſque ad tranſmigrationem.* ſcilicet Babylonicam. Ergo quidam exiſtimant, partem illam Galaad, quæ ad Orientem ſpectat, temporibus Saulis Agareis, ſeu Agarenis (vt alij legere malunt,) ab Iſraelitis ademptam, vocatam Hebraice Theſab, vel ex eo quòd veteres incolæ ad centum millia captiui abducti ſunt: vel quòd ex Iſraelitis trans Iordanem coloniæ eò tranſmiſſæ ſunt, vt eam inhabitarent, vt Auctor ſacer affirmat. nam *Iaſab*, Hebræis, habitare, inquilinum eſſe: *Sub*, vel *Sabab*, reduci, reuerti, deſignat ושב שוב שבב

Et quia forſan Elias vel ortus, vel oriundus fuit eſt illa regione Theſeb, quæ pars erat Orientalis Galaad, vnde eiecti ſunt Agareni: & de ſtirpe illorum colonorum erat, qui eam partem exactis Agarenis, inhabitauerunt; propterea appellatus eſt *Thesbites de habitatoribus*, ſeu inquilinis *Galaad*. Reliqua vide in Antichriſto: nam iſta ne exciderent, viſum eſt hoc loco ſuppinxiſſe: quæ nemo cum ratione contemnet. Multa alia de ratione vitæ Henoch & Eliæ in Paradiſo, abunde Lib. 9. de Antichriſto, perſcripſimus.

Expenditur locus Eccleſiaſtici 44. *Verſ.* 16. Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, vt det Gentibus pœnitentiam. *Cap. LXXXVIII.*

MAGNVS reuera hic locus iure videri debet ad adſtruendum Henoch in terreſtrem Paradiſum translatum, & ibi manere ad aduentum vſque Antichriſti: cuius ſenſus genuinus videtur, Henoch aſſeruari viuum in Paradiſo Voluptatis: vt extremo mundi & Antichriſti tempore veniat, & hominibus pœnitentiam prædicet, vt Strabus, Lyranus, Palatius, & omnes fere Interpretes exponunt. Sed qui Paradiſum euerſum fingunt, varie locum eludunt: Primum [a] aiunt, Græce non eſſe vocem illam, *in Paradiſum*, ſed tantum ad verbum: Henoch placuit Deo, & translatus eſt exemplum pœnitentiæ generationibus. Qua ratione in Editione Complutenſi, Romana Carrafæ, Sanctis, Vatabli, & aliorum habetur. Ianſenius geminum ſenſum adhibet: Primum, Translatum Henoch in aliquam ſecretam & amœnam regionē vt eſſet exemplum hominibus quātam curam Deus gerat ſuorum charorum, quos à cœtu & conſortio improborum ad ſe raperet: ſicque pœnitentiam agerent, & Deo adhærerent. Alterum, Raptum Henoch, qui cum viueret inter homines, ob vitæ integritatem,

[a] *Pererius, Ianſenius Viegas, Suarez, Villegas.*

PARTICVLA, IN PARADISVM, AVTHENTICA.

tatem, exemplum poenitendi & recte viuendi cunctis erat propoſitum.

At in dubium neutiquam reuocari apud Catholicos debet particula illa, *in Paradiſum*, quam à ſacrato Vulgato Interprete poſitam, cunctis Latinis exemplaribus ſuffragãtibus certiſſimum eſt: porro cuius Orthodoxo quanto in pretio habenda ſit Editio Vulgata, Tridentini Concilij decreto & auctoritate firmata, nemo non nouit. Nec eſt dubitandum reperiri poſſe Græcos Codices, vt Feu-ardentius annotauit, qui eam ſerant. Et vt nulli reperiantur, certum eſt, Interpretem ſiue quòd ita in Græcis ſuo tempore legerit: ſiue quod diuino impulſu hanc eſſe nouerit mentem Auctoris, illam adiecíſſe: & perite obſeruatum Ianſenio, ſacrum Interpretem de ſuo addidiſſe *in Paradiſum*, ſecutum receptam ſemper in Eccleſia opinionem, qua Henoch viuens creditur translatus in Paradiſum terreſtrem, ſicut & Elias: & ibi manere ad tempora vſque Antichriſti. Cernis igitur quanto conſenſu compertum in Eccleſia perpetuo fuerit, Henoch in Paradiſo terreſtri viuum ſeruari, quòd Interpres Vulgatus id ipſum, explicandi cauſa, in ſua Editione voluerit expreſſiſſe.

a Pererius, Suarez, Viegas.

Addunt inſuper, [a] Paradiſi vocem generalem eſſe, & diffuſo ſignificatu interdum quoque vniuerſe deſignare hortum vel locum quemuis amoeniſſimum, tranquillitatis & voluptatis plenum, vt Cap. 4. notabamus. Vnde etſi Henoch dicatur translatus in Paradiſum, non propterea cogimur intelligere poſitum in illo Paradiſo Voluptatis, in quo fuit Adam: ſed in loco quodã terræ ſecreto, qui propter delitias & amoenitatem recte dictus ſit Paradiſus.

REFELLITVR RECENTIORVM EXPOSITIO.

Verum duo perſpicue hanc interpretationem explodunt, Primum, quia vox Paradiſi in Scriptura quando generatim hortum quemuis & pomarium ſignificat, ſemper ponitur cum quibuſdam adiunctis, vt Canticorum 4. 13. *Emiſſiones tuæ, paradiſus malorum punicorum*. Cum vero abſolute & per ſe ponitur, non indicat niſi illum per antonomaſiam, quem Deus humanæ felicitatis locum in Oriente initio rerum conſeuit: aut illum cuius hic figurã gerit, nempe cæleſtem, & beatorum ſedem: at cum Eccleſiaſticus dicat Henoch translatum in Paradiſum abſolute: nec poſſimus intelligere in cæleſtem ſedem beatorum: neceſſe eſt aſſerere translatum in Paradiſum illum terreſtrem, in quem illatus fuit Adam. Deinde, ſi vti prædiximus, Vulgatus Interpres hoc loco de ſuo addidit illam particulam, *in Paradiſum*, quòd hæc eſſet Chriſtiani orbis conſenſio, Henoch in Paradiſo viuum commorari: ſane vulgata Chriſtiani populi opinio eſt, in illomet Paradiſo ex quo pulſus Adam fuit, ibidem Henoch manere.

HENOCH NON EST RAPTVS IN LIMBVM PATRVM.

Tentant adhuc, Paradiſum in Scriptura alicubi ſignificare Limbũ Patrum ſeu Sinum Abrahæ, vt Lucæ 23. Verſ. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Quod de limbo nonnulli Patrum exponunt. Quocirca poſſet quis non penitus abſurde dicere, Henoch raptum in Paradiſum, hoc eſt, in Limbum Patrum, vbi ſeruatur ad finem vſque mundi. Ceterum Cap. 91. diſſeremus num eo loco Lucæ Paradiſus ſit Limbus Patrum: vtcumq. ſit, hactenus Auctorem non reperimus, qui dixerit Henoch aſſeruari in Limbo Patrum, niſi imperitum Nouatorem Robertum Stephanum qui in 4. Reg. 2. hoc de Elia commentus eſt. Eſt certe opinio prorſus abſona 1. Quia locus ille Limbi, erat poenalis, obſcurus

ſcurus carcer, & ergaſtulum piorum : at Henoch, vt etiam aduerſarij fatentur, translatus eſt in locum amœniſſimum, lucidiſſimum, omnifarijs delitijs adornatum, qualis reuera non eſt Limbus. II. Conſentiunt omnes, Eliam & Henoch in vnum eundemq. locum translatos : Elias vero, vt ait Scriptura, *Aſcendit per turbinem in cælum* : at illac iter non eſt in Limbum : abſurdum enim videtur vt quis deportandus in Sinum Abrahæ locum ſubterraneum, & in profundis terræ viſceribus occluſum, verſus cælum in aera ſublatus aſcenderet. III. Particula illa, *In Paradiſum*, ſi adiecta eſt à Vulgato è celebri Chriſtianorum opinione : certe nullus hactenus credidit Henoch viuere in Limbo, ſed in Adamico illo Paradiſo.

Conantur amplius, & concedunt, [a] ex verbis Eccleſiaſtici Henoch tranſlatum in Paradiſum illum terreſtrem, à quo expulſus fuit Adam: at non propterea inde ſequi, vel Paradiſum nunc exiſtere : vel Henoch in eo nunc manere : nam cum Henoch ſexcentis annis (vt ex Moſe colligi poteſt) ante diluuium translatus fuerit in Paradiſum : potuit quidem toto illo tempore ſexcentorum & amplius annorum, in Paradiſo morari : verum Paradiſo per diluuium extirpato, non iam ibi manſit, ſed in alium locum translatus fuit. Sed enim quod iſti ſe ſubtiliter & argute excogitaſſe putarunt ad euertendam vim teſtimonij Siracidis, iure quàm maxime alienum à mente Eccleſiaſtici videri debet. Nam ſi Henoch ex Paradiſo in alium locum tranſferendus erat, & deſtruendus Paradiſus, quid erat neceſſe eum à principio in Paradiſo locari? & non potius in eo loco vbi fixe manſurus eſſet. Rurſus, ſi Henoch quando ipſe Ieſus ſcribebat, non erat in Paradiſo, quid opus erat eum dicere translatum in Paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam? quid enim hoc aliud indicat, quàm Henoch poſitum in Paradiſo, vt inde tandem in fine ſæculi veniat ad dandum, ſua prædicatione, gentibus conſilia & documenta pœnitentiæ ac ſalutis? vt Explanatores omnes perpetuo intellexerunt; vnde quoq. acceperunt Henoch reddendum iterum terris in fine mundi, vt prædicet contra Antichriſtum : neque enim aliunde potiſſimum didiciſſe videntur Patres niſi ex iſto loco, venturum Henoch ad reuincendum Antichriſtum. Quocirca duo illi ſenſus à Ianſenio redditi ad locum iſtum Eccleſiaſtici, quos initio huius Capititis retulimus, vt alieni à mente Vulgati Interpretis, Expoſitorum, & Patrum, prorſus reijciendi ſunt. Adhæc, quod ſæpius inculcamus, ſi Vulgatus non ſine numine, particulam illam, *in Paradiſum*, ex mente Auctoris appoſuit, non ob aliud quàm ad indicandam peruulgatam opinionem de Henoch exiſtente in Paradiſo : equidem ab omnibus ſemper creditum eſt, etiamnum hodie Henoch cum Elia in terreſtri illo Adami Paradiſo manere. Iam ſatis de Eccleſiaſtici loco.

[a] *Pererius, Bellarminus, Viegas, Villegas.*

REIICITVR PRAEPOSTERA INTERPRETATIO VERBORVM ECCLESIASTICI.

Verum cerne in quas anguſtias ſe conijciant qui Paradiſum aquis diluuij demolitum, & Henoch in illo iam non degere exiſtimarunt. Si ab illis quæras vbinam locorum Henoch, inundante diluuio, terrasque & Paradiſum obruente, incolumis ſeruatus fuerit? Pererius & Viegas aiunt, ſubuectum in aeris oras, aquis diluuij ſuperiores, & ſuſpenſum in aera toto illo eluuionis anno integro pependiſſe. At piget iſtud credere : & neſcio an vllus cordatus credat : & res videtur indigna refutatione, vt ſane eſt indigna & Deo & Henocho eiuſmodi liberatio. Alij dicunt, inter medios

VBI ERAT HENOCH TEMPORE DILVVII.

diluuij vortices, & inter immanes aquarum moles ſeruatum illæſum, vt Ionam in ventre ceti. Nonnulli addiderunt, forſan in Arcæ Noe aliquo angulo inuiſibilem humanis oculis, delituiſſe Henoch occultatum à Deo, toto illo cataclyſmi tempore: nam quod S. Petrus aſſeruit octo tantum animas ſeruatas in Arca Noe, id quidem de hominibus communem vitam in mundo viuentibus intelligi volunt: at Henoch illis non annumeratum, quòd extraordinariam vitæ ſortem ab humano conuictu & miſerijs alienam iam duceret, nec ad ærumnoſum hunc mundum pertineret.

Neſcio an vllus his audiendis delectetur: quo enim fundamento, ratione, auctoritate iſta firmantur? Quanto ſatius & eruditius fuerit, ſacris Scripturis, & Patrum doctrinæ conſentanee aſſerere, Henoch in Paradiſo conſeruatum: quem amœniſſimum hortum aquæ diluuij non deſtruxerunt: in eodemq. loco modo exiſtere ad tempora vſque Antichriſti.

Si Paradiſus terreſtris adhuc integer exiſtit; quid cauſæ eſt quòd à nemine vmquam potuit hactenus reperiri.

Cap. LXXXIX.

TOTVS FERME ORBIS APERTVS.

ABVNDE Cap. 51. docuimus Paradiſum in aliqua Orientalis Indiæ, vel Sinarum regione, aut locis Orientaliſſimis fuiſſe plantatum: at totus Oriens & nauigationibus, & peregrinationibus pedeſtribus, hoc tempore mundi iam apertus, perluſtratus, ac peruagatus eſt, Sinarum opulentiſſimis regnis patefactis, tota India & maritimis & mediterraneis adita, vltimo Oriente penetrato, Camboia, Quachinchina, & alijs terris vicinis inuentis & peragratis hominum incredibili diligentia: & tamen ad hanc vſque diem nemo vel veſtigia Paradiſi ſe inueniſſe iactauit. Immo & totus orbis vetus & nouus hac iam ætate apertus præter Noui orbis intimum Aquilonem, & profundum Auſtrum; at numquam Paradiſus vllibi repertus.

Equidem Paradiſum non eſſe locum natura imperuium & inacceſſibilem, ſatis oſtendunt Cherubini cum flammeis gladijs ad cuſtodiam eius appoſiti, vt recte notarunt Toſtatus in 13. Geneſ. Quæſt. 93. & Pererius Lib. 3. in Geneſ. Quæſt. 4. de Paradiſo: nam alioqui loco prorſus inadibili quid opus eſſet cuſtodia illa, cum de ſe ſatis eſſet munitus & occluſus? At mirum profecto eſt cum tam peruicax ſit humana curioſitas, & perſcrutandi libido, neminem hactenus vel accenſum ad veſtigandum Paradiſum: vel ſi perquiſiuit, numquam potuiſſe reperire. Et vt interim multa omittamus, quæ parum appoſite dici poſſe videntur, & à Toſtato referuntur in 13. Genet. Q. 93. 94. 95. & 96. ſolidiora ex Patribus & Theologis reponamus.

a apud Steuchum in Notis ad 2. Geneſ.

ANTE DILVVIVM COGNITAM PARADISI VIAM, S. CHRYSOSTOMVS AIT.

S. Chryſoſtomus hæc habet: a Ante enim diluuium, cognoſcebant homines & locum & viam quæ duceret ad Paradiſum: poſt diluuium extra Paradiſum eſſe reperti ſunt: & neque Noe, neque poſteris eius vltra cognitus eſt.] Hæc ille. S. Auguſtinus Lib. 8. de Geneſi Cap. 7. inquit: Locus ipſe Paradiſi à cognitione hominum eſt remotiſſimus.] Theodoretus Quæſt. 25. in Geneſim docens

docent quomodo quatuor illa maxima flumina ex Paradiſo, non aperto procurſu, ſed ſubterraneis meatibus fluant, hæc addit: Quod quidem non fruſtra omnium Deus ita diſpenſauit, ſed vt amputaret ſuperfluam hominum curioſitatem. Nam ſi paterent eorum omnes meatus, quidam vtiq. conaretur, eorum ripas proſequuti, locum Paradiſi perluſtrare: ſed fruſtrarentur optatis,& longitudine itineris feſſi,atq. neceſſariorum penuria laborantes, modo in aſpera loca incidentes,modo in deſerta,interdum in manus crudelium & barbarorum hominum deuenirent. Hæc igitur præuidens miſericors Deus, ignotos illorum meatus reddidit.] Hæc Theodoretus.

Theologi Scholaſtici,& quotquot Paradiſum adhuc extare affirmant, in id omnes conueniunt,Paradiſum locum eſſe occultiſſimum & ab hominum notitia remotiſſimum,quem nullus hominum ſcit, aut illuc vmquam intrauit.S.Thomas.1.Par.Quæſt.102.Art.1.hanc ponit obiectionem: Aliqui diligentiſſime inquiſierunt omnia loca terræ habitabilis, qui tamen nullam mentionem faciunt de loco Paradiſi. *Reſpondet*: Dicendum, quòd locus ille ſeclufus eſt à noſtra habitatione aliquibus impedimentis, vel montium, vel marium, vel alicuius æſtuoſæ regionis, quæ pertranſiri non poteſt: & ideo Scriptores locorum de hoc loco mentionem non fecerunt.] Hæc S.Thomas. Et 2.2.Quæſt.164.Art.2.ad 5.ait:Ille locus Paradiſi præcipue videtur eſſe inacceſſibilis propter vehementiam æſtus in locis intermedijs, ex propinquitate Solis. Et hoc ſignificatur per flammeum gladium: qui verſatilis dicitur propter proprietatem motus circularis huiuſmodi æſtum cauſantis.] Hæc ille: ex quibus verbis numquam intellexerim S.Thomã per Flammeum gladium Gene.3.24. ſignificari voluiſſe,Torridam Zonam,vt nonnulli putarunt huius fuiſſe mentis S.Thomam: cum perſpicuum ſit Torridam ab initio rerum creatam: & non poſt hominis è Paradiſo eiectionem impoſitam: ſed voluiſſe tantum aſſerere, Deum tunc ſingulari prouidentia effeciſſe regionem aliquam æſtuoſam, è vehementia Solis valido afflatu eam ferientis; (cum antea forſan eiuſmodi non eſſet:) ad occludendam viam Paradiſi: ſiquidem videmus eas interdum regionum viciſſitudines, quæ ante temperatæ eſſent, mox incendio ſolis reddi æſtuoſiſſimas. EXPLICATVR S.THOMAS.

Pererius eam reddit cauſam ignorati Paradiſi, quòd infideles qui Scripturæ non credunt, reputant fabuloſa omnia quæ de Paradiſo feruntur, ſicq. nulla eos cupido capit perueſtigandi Paradiſum: fideles vero cum norint locum hominibus interdictum,occluſum, nullumq. illuc penetrare poſſe,omnem curã & ſtudium perquirendi deponunt; cum ſciant ſe operã luſuros, & cuncta in caſſum ceſſura: imo impie locum quæri, quem Deus occultũ velit. VARIAE CAVSAE OCCVLTATI PARADISI.

Nos recte iudicamus,prouidentiæ diuinæ non defore plures ac præclaras artes rationesq. quibus Paradiſum abſcondere poſſit, ne ab vlla mortalium diligentia reperiri queat. Ergo cum in Oriente,ſeu in India, ſeu in alia eiuſmodi regione Paradiſum conſitum tradiderimus,arcent viam vel vaſtæ ſolitudines,vel ſiluæ denſiſſimæ, vel immanitas ſerpentum, vel crudelitas ferarum: quæ omnia late Orientem occupare, ex magnis Auctoribus oſtendamus. Q.Curtius Lib.9.hæc refert: Amne Hydaſpe ſuperato, ad interiora Indiæ proceſſit Alexander. Siluæ erant prope in immenſum ſpatium diffuſæ; proceriſq. & in eximiam altitudinem editis arboribus vmbroſæ.

Plerique rami inſtar ingẽtium ſtipitum flexi in humum,rurſus quà ſe curuauerant,erigebantur, adeo vt ſpecies eſſet non rami reſurgentis,ſed arboris ex ſua radice generatæ.Ceterum hic quoque ſerpentium magna vis erat, ſquammis fulgorem auri reddentibus: virus haud vllum magis noxium eſt, quippe morſum præſens mors ſequebatur,donec ab incolis remedium oblatum eſt. Hinc per deſerta ventum eſt ad flumen Hydraotem: iunctum erat flumini nemus opacum arboribus alibi inuſitatis,agreſtiumque pauonum multitudine frequens.] Et inferius: Vndecim dierum vltra flumen Hyphaſin per vaſtas ſolitudines iter eſſe cognoſcit, excipere deinde Gangem maximum totius Indiæ fluminum.] Hæc Curtius.

INDIAE SOLITVDINES. De vaſtis Indiæ ſolitudinibus iſta Plinius Lib.6.Cap.20. A ſangæ tigri fera ſcatentes. Hos includit Indus montiũ corona circumdatos & ſolitudinibus per ſexcenta trigintaquinque millia paſſuum. Infra ſolitudines,Dari,Suræ: iterumq. ſolitudines per centum octoginta octo millia paſſuum, plerũque arenis ambientibus haud alio modo, quàm inſulas mari.] Hæc Plinius. Strabo Lib.15. Intellexit Alexander Indiam Auſtralem partim ſiti vaſtã, partim fluminibus,& omnino exuſtã,& beſtijs magis quàm hominibus conuenientem.] Et Curtius Lib.9.Peruenit Alexander ad maritimos Indos,deſertam vaſtamq. regionem late tenentes, ac ne cum finitimis quidem vllo commercij iure miſcentur. Ipſa quoque ſolitudo, natura immitia efferauit ingenia.] Solinus in Polyhiſtore Cap.53.Quà ab Scythico Oceano, & mari Caſpio in Oceanum Eoum curſus inflectitur,ab exordio huiuſce plagæ,profundæ niues,mox longa deſerta,poſt Anthropophagi,gens aſperrima, dein ſpatia ſæuiſſimis beſtijs efferata, ferme dimidiam itineris partem impenetrabilem reddiderunt. Quarum difficultatum terminum facit iugum mari imminens, quod Tabin Barbari vocant. Poſt quem adhuc longinquæ ſolitudines. Sic in tractu eius oræ, quæ ſpectat æſtiuum Orientem,vltra inhumanos ſitus, primos hominum Seres cognouimus.] Hæc ille.

Pomponius Mela Lib.3.C.7.Taprobane aut grandis admodum inſula,aut prima pars orbis alterius Hipparcho dicitur, ſed quia habitatur, nec quiſquam circum eam eſſe traditur,prope verum eſt.Contra inde illa oſtia ſunt, quæ vocant Solis,adeo inhabitabilia,vt ingreſſos vis circumfuſi aeris exanimet confeſtim, & inter ipſa oſtia,rara tenet regio ob æſtus intolerabiles,alicubi cultoribus egens. Inde ad principia Rubri maris pertinent inuia atq; deſerta humus, & cineri magis ſit quam pulueri ſimilis.] Hæc Mela. Sed de ingentibus Orientis profundi ſolitudinibus plura Marcus Paulus Lib.1.C. 36. & alibi: quem tu per otium conſules.

VASTI SERPENTES. Deſerta quoque Indiæ alere elephantos, rhinocerotas, tigres, leones, & alias innumeras feras,crudelitate & robore inſignes ex Scriptoribus notum eſt.de ſerpentibus immanis vaſtitatis pauca ſubijcimus. Plinius Lib.8.Cap. 14.Megaſthenes ſcribit, in India ſerpentes in tantam magnitudinem adoleſcere,vt ſolidos hauriant ceruos,taurosque.] Solinus Cap.55. Enormitas in ſerpentibus tanta eſt, vt ceruos & animantium alia ad parem molem tota hauriant: quin etiam Oceanum Indicum quantus eſt, penetrent: inſulasque magno ſpatio à continenti ſeparatas pabulandi petant gratia. Idque ipſum palam eſt potentia ampliſſimæ magnitudinis fieri, vt per tantam ſali

latitudinem ad loca permeent deſtinata.] Tantum ille. Mela vero Lib. 3. C. 7. Immanes & ſerpentes aliqui, vt elephantes morſu atque ambitu corporis afficiant.]

Strabo Lib. 15. Serpentes vlnarum duarum magnitudine, è membranis alas geſtantes veſpertilionis inſtar. Hos noctu volare, guttas vrinæ effundentes aut ſudoris, incautorum corpora tabefacientes. Ingentis quoque magnitudinis ſcorpiones volatiles.] Et antea dixerat: Abiſari Regis ora in montibus eſt, à quo miſſi legati ad Alexandrum, duos apud ipſum dracones educari renuntiarunt: alterum cubitorum octoginta; alterum centum & quadraginta, vt ſcriptis Oneſicritus prodidit.] Hæc Strabo.

Aelianus Lib. 15. Hiſtoriæ Animalium, Cap 21. rem plane miram prodit his verbis: Alexander cum alia pleraq. animalia apud Indos inuenit, tum draconem, quem quia ſacrum in antro quodam Indi exiſtimarent, & ſumma religione colerent, idcirco precibus Alexandrum obſecrarunt, ne illum ipſum inuaderet: quod quidem ipſum ille annuit. At enim draco cum exercitus ſtrepitum ſenſit, (quòd ſit animal tum audiendi, tum videndi acerrimo atq. acutiſſimo ſenſu præditum) maximo ſibilo, & ſummo afflatu edito, omnes exterruit & perturbauit. Septuaginta cubitos longus eſſe exiſtimabatur: neque enim eis totus apparuit, ſed illius ſolum caput ex antro eminuit. Eius oculi ad magni clypei Macedonici magnitudinem acceſſiſſe dicuntur.] Hæc Aelianus. Sed de draconibus Indicis miranda narrat Plinius Lib. 8. Cap. 12. & 13. DRACO HORRENDVS.

Marcus Paulus Lib. 2. C. 40. de Orientis ſerpentibus iſta refert: Naſcuntur in hac regione Caraiam ſerpentes maximi, quorum quidam in longitudine continent decem paſſus, & in complexu groſſitiei decem palmos: aliqui ipſorum prioribus carent pedibus, quorum loco vngulas habent in modum vngularum leonis aut falconis. Caput ipſorum eſt magnum, & oculi prægrandes, vt duorum panum adæquent quantitatem. Os & rictum habent tam amplum, vt hominem deglutire valeant. Dentes quoq. magni & acerrimi rictui illi tam horrendo non deſunt. Nec eſt homo aliquis, aut aliud animal, quod ſine terrorre ſerpentes illos aſpicere, ne dicam adire poſſit.] Hæc Marcus. Similia de Indicis ſerpentibus recentiores Rerum Indicarum Auctores permulti produnt.

Ergo in valle aliqua aſperrimorum & altiſſimorum montium corona cincta, in intimis receſſibus alicuius ingentis & vaſtiſſimi deſerti, feris, ſerpentibus, & crudeliſſimis id genus bellùis circumſeſſi: qualia ſunt multa in India, & profundo Oriente, humanis acceſſibus impenetrabilem latere Paradiſum poſſe, qui diuinam prouidentiam, ac ſecreta & inuia mundi in conſilium aduocauerit, haud reputabit abſurdum. Si in media ferme Hiſpania, prouincia cultiſſima, non ante plurimos annos in profundiſſimis vallibus, editiſſimarum rupium muro conſeptis, nouæ gentes, antea ignotæ, detectæ ſunt, quas, *Batuecas*, vocant: quæ tam longo tempore occultari potuere; quid mirum in ſecretiſſimis vaſtiſſimi Orientis receſſibus poſſe ſingulari Dei prouidentia, nunc occultùm & ignoratum ſeruari Paradiſum? Quocirca quę de Macario, aliiſq. referuntur, quòd ad fores vſq. Paradiſi peruenerint, vt fabuloſa, nullo auctore graui firmata, explodenda ſunt. NOVAE GENTES BATVECAE IN HISPANIA DETECTAE.

Animas piorum, quæ nihil purgandum habent, non detineri in Paradiſo Voluptatis, ſine Dei clara viſione, ad diem vſque Iudicij.
Cap. LXXXX.

PATRES VIDENTVR ASSERERE ANIMAS IN PARADISO TERRESTRI DETINERI.

NONNVLLI veterum Patrum in ea videntur fuiſſe opinione, animas ſanctorum corpore ſolutas, quæ nulla purgatione egent, non ſtatim admitti ad claram Diuinæ eſſentiæ viſionem, ſed interim detineri in Paradiſo Voluptatis, magnis delitijs perfruentes, ad diem vſque Iudicij, quo ad eſſentialem gloriam & Dei claram viſionem admittentur. Tertullianus Apologetici Cap. 47. ait: Et ſi Paradiſum nominemus, locum diuinæ amœnitatis, recipiendis Sanctorum Spiritibus deſtinatum.] Et Lib. de Anima: Habes etiam de Paradiſo à nobis Libellum, quo conſtituimus omnem animam apud inferos ſequeſtrari in diem Domini.] Hæc ille. Equidem in iſto errore fuiſſe Tertullianum, pluribus oſtendunt, Pamelius in Tertulliani Paradoxo 9. & in Fragmento Libri de Paradiſo Tomo 4. Bellarminus Lib. 1. de Beatitudine Sanctorum, Cap. 1. Coccius Tomo 1. Theſauri Lib. 5. Art. 6.

Origenes Lib. 2. Periarchon C. 12. ait: Puto quòd Sancti quiq. diſcedentes ex hac vita, permaneant in loco aliquo in terra poſito, quem Paradiſum dicit diuina Scriptura, velut in quodam eruditionis loco, &, vt ita dixerim, auditorio vel ſchola animarum: in quo de omnibus his, quę in terris viderant, doceantur.]

Auctor apud S. Iuſtinum Martyrem Qu. 75. ad Orthodoxos, inquit: Poſt exitum à corpore, ducuntur ab Angelis in loca ſe digna iuſtorum animæ, in Paradiſum, vbi congreſſio eſt Angelorum & Archangelorum, adde & conſpectum Seruatoris Chriſti.] Et Quęſt. 76. Si ante reſurrectionem non eſt operum remuneratio, quamnam percepit vtilitatem Latro, eius anima in Paradiſum ducta? Præſertim cum Paradiſus ſit ſenſibilis, at animæ ſubſtantia non item. Reſponſio. Profuit Latroni in Paradiſum intrare, quòd re didicit fidei vtilitatem per quam aſſequutus eſt Sanctorum ſocietatem: in qua cuſtoditur vſque ad diem reſurrectionis & remunerationis: habet Paradiſi ſenſum eo ſenſu qui mentis appellatur, quo vident animæ tum ſe ipſas, tum ea quæ ſub ipſis ſunt: & præterea Angelos & dæmones.]

ANIMAE VIDENT ANGELOS ET DAEMONES.

Aurelius Prudentius Hymno in exequijs Defunctorum:

Sed dum reſolubile corpus
Reuocas Deus, atque reformas,
Quanam regione iubebis
Animam requieſcere puram?
Gremio ſenis abdita ſancti
Recubabit, vt eſt Eleazar:
Quem floribus vndique ſeptum
Diues procul aſpicit ardens.
Sequimur tua dicta Redemptor,

Quibus

Quibus atra morte triumphans,
Tua per veſtigia mandas
Socium Crucis ire Latronem.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida iam Paradiſi:
Licet & nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.

Theophylactus in Lucæ 23. Sancti tametſi nondum perfecte bonis fruantur: iam tamen verſantur in locis lucidis, & fragrantibus, & pulchris tabernaculis, etiamſi nondum diſtributionem regiorum bonorum aſſequantur: ita & Latro in Paradiſo fuit, etiamſi nondum perfecte acceperit, ne abſque nobis perfectus fit: & omnes Sancti quotquot participes facti ſunt ſpiritalium donorum, & arrhabonem habent ſpiritus, in Paradiſo ſunt, etiamſi nondum perfecti fuerint, & Regnum acceperint.]

Euthymius in 23. Lucæ: Chriſtus ſciens Latronis intentionem, promiſit quod illi optatiſſimum videtur. Nouerat enim Latro Paradiſum è doctrina Moſaica: & tunc quidem dedit ei conuerſationem in Paradiſo, tamquam arrhabonem Regni ſui, quod eſt fruitio ineffabiliū ac æternorū bonorū.] Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo C. 18. Sed ſolent quidam diſciplinarum ſtudioſi quærere, quis ſit vel iam nunc Paradiſi vſus. His nos reſpondemus: Ex illo tempore quo Adam & Heua inde pulſi ſunt, vſque ad Chriſti aduentum verſati ſunt in Paradiſo Henoch atq. Elias: at vero poſt Chriſti Regis aduentum, huic præterea rei ſeruit, vt in ipſo habitent animæ hominum iuſtorum piorumq. atq. eorum qui per corporis ſui cruciatus Chriſti fidem comprobarunt, quiq. fideles Deum amarunt, exutæ corporibus vſque ad Reſurrectionis diem: quod in eo Sermone oſtendimus, quem de Anima fecimus: Nam Latronis animam eò ſubuexit Dominus: dicebat enim ad ipſum: Profecto dico tibi, Hodie mecum eris in Paradiſo.] Hæc Moſes.

Fuere præterea alij Patres qui etſi animas ſanctas nunc in Paradiſo attineri manifeſte non ſcripſerint: at eas non frui viſione Dei, ad diem vſq. Iudicij, viſi ſunt aſſeruiſſe: qui fuit error Græcorum, & Armenorum. At de errore iſto eiuſq. valida confutatione, quia nec otij nec inſtituti noſtri ratio patitur in his ſtylum immittere, conſule Gennadium Scholarium in Defenſione Quarti Capituli Florentini Concilij, Alfonſum de Caſtro Libr. 3. aduerſ. Hæreſ. verbo Beatitudo. Sixtum Senenſem Lib. 6. Biblioth. Annot. 345. Bartholomæum Medinam 1. 2. Q. 4. Art. 5. Robertum Bellarminum Lib. 1. de Sanctorum Beatitudine Cap. 1. & ſeqq. Iodocum Coccium Tomo 1. Theſauri Catholici Lib. 5. Art. 6. Conſtat damnatum in Concilio Florentino, & Tridentino. ALIQVI PATRVM, INNVVNT ANIMAS PIORVM NON VIDERE DEVM AD DIEM VSQVE IVDICII.

Quod vero attinet ad Patres quos nuper citauimus aſſerentes, animas piorum in Paradiſo ſine Dei viſione interim manere ad finem vſque mundi: Tertullianus, & Origenes fuere palam hæretici, atq. hoc etiam errore tincti: Auctor ille S. Iuſtini nomine, non eſt S. Iuſtinus Philoſophus & Martyr, ſed longe diuerſus, vt non ignorant eruditi, & videtur hoc loco Græcanico etiam errore conſperſus. Conatur eum in rectum ſenſum Bellarminus reducere: ſed ægre bonam mentem admittit. Euthymius & Bar-Cephas manifeſte

niſeſte eodem Græcorum errore tenentur.

EXCVSANTVR PATRES.

Prudentius & Theophylactus reduci ſolent ad ſanam intelligentiam, eos nomine Paradiſi allegorice intellexiſſe ſtatum beatificum & glorioſum, quem habet anima videns Deum clare in cælo, quamdiu eſt ſine corpore; qui eſt eſſentialis beatitudo: quæ tamen non eſt abſolute plena, & perfecte conſummata, niſi quando & anima & corpus in Reſurrectione erunt beata & glorioſa, iam ſimul reunita. Et quia fautores iſtius erroris, Animas pias ſine Dei viſione in Paradiſo manere, verba Chriſti ad Latronem Lucæ 23. v. 43. in rem ſuam torquebant, age iam, locum elucidemus.

Exponitur verbum Chriſti ad Latronem in cruce pendentem: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiſo. *Lucæ* 23.43. *Cap.* XCI.

ELIDVNTVR DVAE ABSONAE EXPOSITIONES.

THEOPHYLACTVS duas aliorum huius loci interpretationes refert ac refellit, Prima eſt, Promiſſum Latroni cælum, ſed dandum poſt vniuerſale iudicium: & illud, *Hodie*, dictum propter rei certitudinem, vt ſæpe ſolent Prophetæ præſentibus pro futuris vti. At explodunt iſtam omnes, nam illud, *Hodie*, reſpondet ei quod Latro dixerat, *cum veneris in regnum tuum*. q. d. Quandocumq. veneris, non curo de tempore, dummodo ſim ſecurus de re: ſed Chriſtus plus promittit, quam ille poſtulat, *Hodie*, nolo differri preces tuas, hoc ipſo die eris in regno meo. Ob eandē rationem reijcitur Origenis explicatio Tomo 2. in Ioann. ad finem, *Hodie*, ſumi pro præſenti ſæculo.

Secunda interpretatio, vt *Hodie*, iungatur antecedentibus, non ſequentibus; *Amen dico tibi hodie*, ſicq. interiecto commate ſequatur, *Mecum eris in Paradiſo*. Sed eſt ridicula eluſio, indigna confutatione, ſine graui vllo verborum ſenſu, aut emphaſi. Quo magis miror Nicolaum Zeggerum in Notis ea vtcunq. captum.

Origenes Tomo 1. in Ioann. Auctor apud Iuſtinum, Euthymius, Moſes Bar-Cepha, quos Capite 90. retulimus, Nicephorus Lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Cap. 31. intelligunt, eodem die quo Chriſtus expirauit, ductum Latronem à Chriſto in Paradiſum illum terreſtrem, vbi Adam poſitus fuerat. At eſt id falſum & ineptum, quid enim animæ Latronis referebat duci in locum illum terreſtrem? Vide Cap. 86.

PARADISVS LATRONIS NVM LIMBVS.

Ioannes Maldonatus in 27. Matth. Cap. verſu 44. putat Paradiſum hoc loco intelligi Sinum Abrahæ, vel Limbum Patrum, vbi Chriſtus eo die cum anima Latronis fuit. Citat pro hac ſententia Iuſtinum Quæſt. 76. ad Orthodoxos: at Auctor ille, cuius verba C. 90. poſuimus, ſatis diſerte intelligit Paradiſum terreſtrem. Citat & S. Athanaſium Epiſtola ad Epictetum. At nihil in ea quod ad rem faciat, reperio. Ipſe quidem S. Athanaſius in Expoſitione Fidei, ait: Ingreſſumq. in Paradiſum Chriſtus confecit: ex qua Adam eiectus fuit, in quam rurſus Adam intrauit per Latronem, vt inquit Dominus: Hodie mecum eris in Paradiſo.] Hæc ille. Sed allegorice per illum terrenum

Para-

Paradiſum, Dei gloriam adumbrat. Et Sermone contra omnes Hæreſes, inquit: Hodie mecum eris in Paradiſo. O miraculum ingens maledictionis crucifixæ? Aperuit Paradiſum in promiſſione Latronis. O beatum latronem? rapuiſti in mundo latrocinando, rapuiſti item regnum cælorum iſtiusmodi confeſſione.] Cernis vt hic Paradiſum, regnum cælorum intelligat. Citat inſuper Maldonatus Prudentium in verbis quæ præcedenti Capite deſcripſimus: at nimis aperte Prudentius poetico more, per allegoriam, ſinum Abrahæ, & Paradiſum Voluptatis intelligit locum æternæ beatitudinis in quo quieſcunt animæ ſanctæ, corporibus exutæ. Citat quoq. S. Auguſtinum Libr. 12. de Geneſi Cap. 34. cuius hæc ſunt verba: Poſt hanc vitam etiam Sinus ille Abrahæ Paradiſus dici poteſt. Quapropter animæ illius Latronis cui dixit, Hodie mecum eris in Paradiſo: non vtiq. inferos præſtitit, vbi poenæ ſunt peccatorum; ſed aut illam requiem Sinus Abrahæ, aut illum Paradiſum ſiue in tertio cælo, ſiue vbicumq. alibi eſt raptus Apoſtolus.] Hæc ille.

Verum quàm parū firme huic de Sinu Abrahæ interpretationi inhæſerit S. Auguſtinus, & quantum in ea hæſitauerit, ex Epiſtola eius 57. ad Dardanum facile intelligi poteſt, vbi inter alia ſcribit: Reſtat igitur vt ſi ſecundum hominem dictum eſt, Hodie mecum eris in Paradiſo: in inferno intelligatur eſſe Paradiſus, vbi erat ea die futurus ſecundum humanam animam Chriſtus. Vtrum autem Sinus ille Abrahæ, vel Paradiſi cenſendus vocabulo, vel ad inferos pertinere exiſtimandus ſit, non facile dixerim.] Hæc S. Auguſtinus. S. Chryſoſtomus Homilia de Lazaro & diuite ait: Paradiſus Pauperis, ſinus erat Abrahæ. Dicat mihi aliquis, In inferno eſt Paradiſus? Ego hoc dico, quia Sinus Abrahę Paradiſi veritas eſt: ſed & ſanctiſſimū Paradiſum fateor.] Hæc ille. Indicat Sinum Abrahæ vtcumq. poſſe Paradiſum vocari, quia illum adumbrabat, eratq. ad illum paraſceue. Potuiſſet quoq. in ſuam ſententiam Maldonatus adducere Petrum Comeſtorem in Hiſtoria Euangelica Cap. 173. qui iſtud videtur innuere: & Tertullianum illis verbis quæ initio Cap. 90. retulimus: nā cū dixiſſet, in Paradiſo detineri animas, adiecit, apud inferos ſequeſtrari. NAVD ASSIRMAT ID S. AVGVSTINVS.

At quòd induci nequeam, vt aſſentiar hoc loco Dominum locutum de Sinu Abrahæ, perſpicuæ rationes efficiunt. Primo, Limbus Patrum in Scriptura & apud Patres dicitur carcer, ergaſtulum, lacus ſine aqua: & Sancti qui ibi detinebantur, dicuntur vincti, captiui, &c. at eiuſmodi loco parum conuenit Paradiſi appellatio, quæ tota eſt à voluptate, delitijs, amoenitate. Secundo, Voces Teſtamenti noui cum ambiguæ ſunt, non ſunt diſtrahendæ ab eo ſignificatu quo aliàs ſemper in eodem Teſtamento ponuntur: at vox Paradiſus alibi in toto nouo Inſtrumento non ſumitur niſi pro ſpiritali Paradiſo, nempe gloria Beatorum; cur igitur hic ſignificabit Sinum Abrahæ? Tertio, Latro hic orat Regnum Chriſti, ſed quid magnum illi Chriſtus offerret, futurum illum eadem die cum ipſo in Sinu Abrahæ? Liberare enim animas Patrum è carcere illo Chriſtus deſcendit, idque pro magno beneficio: cur igitur polliceretur Latroni, ſe eum in Limbum inducturum? Profecto maius beneficium erat educi de lacu in quo non erat aqua, quàm ibi eſſe: nonne ſatius eſt interpretari, Hodie te in gloriam meam inducam? NON PROMISIT CHRISTVS LATRONI SINVM ABRAHAE.

Equidem hic Paradiſum non intelligi Sinum Abrahæ, S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 13 aperte aſſerit, cum Chriſtum Latroni dicentem inducit: Tu de ligno introduceris in Paradiſum.] Et mox ſubdit: Nondum Abraham fidelis ingreſſus eſt, & latro ingreditur: nondum Moſes, & Prophetæ, et iam Latro iniquus ingreditur.] At Abraham & Prophetæ multo iam ante tempore erant in Limbo, antequam Latro moreretur. Verum illud neſcio quàm recte Cyrillus, Latronem priuſquam Abrahamum & Prophetas ingreſſum in Paradiſum, hoc eſt, in gloriam: nam ſimul ac Chriſtus expirauit patefacta eſt ianua Regni cælorum, eodemq. momento, aut certe breui morula, iuſti qui erant in Limbo, ſtatim viderunt Deum: (de qua re vide S. Thomam 3.P. Quæſt 49. Art. 5. ad 1. & Franciſcum Suarez Tomo 2. Diſput. 43. Sect. 3.) at cum Chriſtus aliquo tempore mortuus ſit ante Latronem, iam Patres illi ingreſſi fuerunt in Paradiſum, hoc eſt, in gloriam, ante Latronem. Forſan S. Cyrillus hyperbolice extollere tantum voluit promiſſionem Latroni factam, quæ vnius diei termino erat adimplenda: cum nec Abrahæ, nec Moſi, nec antiquis Prophetis contigerit, vt intra diem ſui obitus admiſſi ſint in gloriam Dei.

COMMVNIS ET VERIOR SENSVS.

Ergo communem & receptam interpretationem, exoſculemur: Hodie mecum eris in Paradiſo, hoc eſt, Hodie videbis clare Deum & eris beatus, fruериſque mecum beatitudine & gloria. *Mecum*, emphaſim habet, hoc eſt, apud me, qui ſum primogenitus gloriæ, in mea ſocietate, per me, qui tibi & omnibus ſum auctor felicitatis æternæ. vel, *Mecum*, ideſt, Eris beatus ſicut & ego ſum. Sic illud Iob 40. v. 10. de Elephanto, *Ecce Behemoth, quem feci tecum.* ideſt, ſicut & te, vel apud te, nempe in terra apud homines. Hanc explanationem, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, hoc eſt, in gloria & fruitione Dei, adhibent S. Athanaſius, & S. Cyrillus Ieroſolymitanus locis citatis, S. Ephrem Lib. de Pœnitentia Tomo 3. S. Ambroſius & Theophylactus in 23. Lucæ, Lyranus, Caietanus, Zeggerus, Ianſenius, Sà, & innumerrabiles in 23. Lucæ. Sed omnium nomine vnum tantum Arnoldum Abbatem Bonæuallis audire iuuat: is enim in Tractatu de vltimis ſeptem verbis quæ Chriſtus in Cruce protulit, Capite 2. pulchre elucidans iſtud: Hodie mecum eris in Paradiſo: hæc inter alia differit: Apertis feris antiquis, Latro primitiæ derelictorum introducitur aperiente Chriſto, in regnum cælorum. Ibi Latro locatur, vnde Lucifer corruit.] Et poſt alia: Audit, Hodie mecum eris in Paradiſo. Non ad loca purgatoria, flammaſque peccatorum vltrices deſtinatur: vna crucis poena, omnia abolet crimina: immo non poena, ſed gratia. Præmittitur igitur in Paradiſum.] Hæc ille. Sic quod Patres aiunt Chriſtum eodem die & promiſiſſe & dediſſe Latroni Regnum cælorum, ſatis dilucide oſtendunt, ſe de eſſentiali gloria & beatitudine loqui: nam de loco corporeo, certum eſt Latronem non introgreſſum in cælum niſi poſt quadraginta dies à Chriſti reſurrectione: quando cum Chriſto alijſque Sanctis ipſe quoque conſcendit ad Empyrea loca.

HAVD SOLIDVM CONTRARIVM ARGVMENTVM.

Maldonatus communem interpretationem eo argumento reiecit, quod Chriſtus Latroni promiſit, in eo Paradiſo illum futurum fuiſſe, vbi tunc cum hæc diceret, adhuc ipſe non erat: at iam tunc Chriſti anima erat in gloria & fruitione beata. Verum numquam hactenus videre potui, cur

Chri-

Chriſtus loquatur de illo Paradiſo vbi ipſe nondum erat. Vocem *Mecum*, nuper expoſuimus: ex illa, niſi prorſus cæcutio, non cerno quod Maldonatus oculis ipſis cernere ſe dicit. Sed de loci vberiori enarratione adito Bellarminum Lib. 1. de Sanctorum Beatitudine Cap. 3. & Suarez 3. P. Q. 46. Art. 11. & Diſput. 43. Sectio 4.

Paradiſum Voluptatis nullis animabus eſſe nunc purgatorium locum: Infantes non habitaturos in illo poſt diem Iudicij: Conflagraturum ſupremo igni innouationis mundi.

Cap. XCII.

ROBERTVS Bellarminus Lib. 2. de Purgatorio Cap. 7. non exiſtimat improbabile præter Infernum, Purgatorium, & Cælum, dari aliquem alium locum vbi retineantur animæ antequam ad regnum cælorum perueniant: ait enim: Narrat Beda Lib. 5. Hiſtoriæ Anglicanæ Cap. 13. Viſionem valde probabilem, cui ipſe fidem adhibere non dubitauit: fuit autem in illa oſtenſum cuidam animæ, quæ ad corpus poſtea rediji, præter Infernum, & Purgatorium, & Regnum cælorum, quoddam quaſi pratum florentiſſimum, lucidiſſimum, odoratum, amœnum, in quo degebant animæ, quæ nihil patiebantur, ſed tamen ibi manebant, quia nondum idoneæ erant viſioni beatæ. Cui reuelationi multas alias conformes adducit Dionyſius Carthuſianus in Dialogo de Iudicio particulari, Art. 31. & Ludouicus Bloſius Monili Spirituali Cap. 13. Ceterum eiuſmodi locus ad Purgatorium pertinet: etſi enim ibi nulla ſit poena ſenſus, eſt tamen poena damni: poena autem non conuenit niſi animæ, quæ nondum plene purgata. Itaque erit locus ille mitiſſimum Purgatorium, & quaſi carcer quidam Senatorius, atq. honorarius. Hoc tamen addendum eſt, animas quæ in eo loco morantur, non ſolum carere beatitudine, ſed etiam affligi ac torqueri ex illa dilatione beatitudinis.] Hactenus Bellarminus: iuxta cuius ſententiam, ei vſui nullus aptior locus fingi poteſt Paradiſo terreſtri. Equidem in Epiſtola S. Bonifacij Epiſcopi Moguntini ad Eadeburgam Monialem, quam ex veteri MS. Codice Bibliothecæ S. Mariæ ſuper Mineruam, edidit Baronius Tomo 9. Annalium, Anno Domini 716. locus ille vbi animę nondum diuina viſione dignæ, tamquam in florentiſſimo prato manebant, diſerte Paradiſus Dei vocatur.

PRAETER PVRGATORIVM ESSE ANIMABVS PIIS ANTE CAELVM ALIVM LOCVM, QVIDAM PVTANT.

Franciſcus Suarez Tomo 4. in 3. P. S. Thomæ Diſput. 46. Sectione 1. Numero 8. 9. & ſeq. hanc Bellarmini ſententiam improbat, multiſque argumentis refellit: eo vel maxime, quòd animæ in illo honorario carcere detentæ, vel luunt poenas mortalium peccatorum pro quibus in vita non perfecte ſatisfecerunt, vel venialium cum quibus, aut eorum reatibus deceſſerunt: aliud nihil eſt quod iuſtorum animas corpore egreſſas ab ingreſſu beatitudinis demorari poſſit, vt Concilium Florentinum Seſſione vltima, & Tridentinum Seſſ. 25. definiunt. Si primum, equidem cuiuſcumque peccati mortalis quantumuis leuiſſimi, iam remiſſi poena non diluitur, niſi poena aliqua

REFVTANTVR.

ſenſus in purgatorio igni:neque carcer ille honorarius ſatis illum reatum abſterget:cum Purgatorium potiſſimum ob dependionem mortalium ſit inſtitutum. Si ſecundum, certe quoduis vel venialiſſimum peccatum ſupponit inordinatam affectionem & conuerſionem ad creaturas, igitur ſenſibili pœna expendendum eſt in Purgatorio:& S. Paulus 1. Corinth. 3. de leuiſſimis venialibus quæ vocat *fœnum, ſtipulam*, ait: *Saluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Ignis ergo excoquet vel minutiſſimas ſordes. Sicque docet Suarez hanc eſſe Theologorum omnium conſenſionem, in Purgatorio non eſſe niſi vnum locum in quo præter pœnam damni, & huic annexam triſtitiam ex dilata beatitudine: ſit etiam ſemper poena ſenſus ab igne, vel ab alia cauſa, maior vel minor pro qualitate ſactorum.

Sed obijcit Bellarminus quod S Brigitta Libr. 4. Reuelationum Cap. 124. ſcribit, animam quandam in Purgatorio nullam aliam pœnam habuiſſe, niſi dolorem ex deſiderio dilatæ felicitatis. Fortaſſis quia minimam ſentiebat ab igne, & quia non hanc ab igne, ſed illam ex dilata beatitudine meritò reputabat.

RESPONDETVR AD REVELATIONES. Suarez illarum reuelationum à Beda, alijſque narratarum fidem eleuare conatus eſt, quòd in multis non videantur placitis Theologiæ conſentire, ad quorum normam eas exigi opportet, ſi veras haberi volumus. Equidem profert magna argumenta: & in reuelatione illa quam S. Bonifacius refert, prolixe dicitur, glorioſas illas animas quæ in famoſo Dei Paradiſo miro lætantur gaudio, poſtea flumen quoddam ignis ac picis per anguſtum vnius ligni pontem tranſire, & multas in flumen illud purgandas decidere: indeque puriores in cælum euolare. Quæ difficile cum Theologiæ regulis conciliantur. Etvero reuelatio illa, quam narrat S. Gregorius Lib. 4. Dialog. Cap. 36. rectè cohæret: quòd prius flumen illud igneum ac piceum ponitur tranſeundum animabus: deinde occurrunt amoeniſſima prata dealbatorum hominum, quæ Paradiſum adumbrant, ſeu gloriam cæleſtem. Forſan S. Beda, & S. Bonifacius ſimpliciter quæ ab alijs audierant, retulerunt, haud in omnibus fidem ſuam obſtringentes, & qui narrauerant, quæ viderant, non ſatis ordine memoraſſe. Addit Suarez, viſiones illas fuiſſe forſitan allegoricas ac metaphoricas, & loca illa amoena animarum, indicare ſpiritales conſolationes quas habent animæ in Purgatorio: cum tamen dum illic ſunt, ſemper patiantur ab igne: ſed poenam ſenſus ſignificari per loca illa ignea & foetentia: conſolationes vero per amoenitatem Paradiſi.

AVCTORIS SENTENTIA. Nos cunctis rite perlibratis, haud aſſentimur, præter Purgatorium, vel in Purgatorio eſſe locum, vbi non ſit poena ſenſus, ſed tantum triſtitia dilatæ felicitatis, & carcer honorarius; cum id receptæ Theologiæ non conſonet: & vt congrueret, intrepide aſſerimus, huic vſui neutiquam Paradiſum illum Voluptatis ex quo pulſus fuit Adamus, deſeruire: cum ille non carcer purgatorius, ſed locus innocentiæ, iuſtitiæ originariæ, puritatis, & omnifariæ beatitudinis in terra exiſtat, vindicibus humanorum defectuum miniſterijs pro tanta loci dignitate, minime à diuina prouidentia deſtinandus.

Iam illud diſquirunt aliqui, cum tam graue peccatum in Paradiſo patratum fuerit, quod totum genus humanum & perdidit & infecit: cur Deus

in lo-

in locum non vindicauit, illum euertendo, ſicut terram aquis diluuij, & Sodomiticam Pentapolim propter hominum ſcelera? Indigebat ſane Paradiſus acri purgatione, Adami peccato contaminatus. Facilis reſponſio. Totam terram, & Sodomam indiguiſſe ſeuera illa purgatione aquæ & ignis, quòd innumera, varia, & infanda eſſent hominum peccata, atque atrociſſima: néque pœnitentia abſterſa, abductis in communicationem ſceleris cunctis pene ſub cælo creaturis, quibus homines turpiſſime abuterentur in Dei contemptum: oportebatq. & in homines, & in animantia, & in terram extremo ſupplicio aduertere: at Adami peccatum, etſi ex circunſtantia perſonæ, & illati in poſteros damni, maximum reuera fuit: at ex ſpecie ſua non fuit omnibus maius, vt docet S. Thomas 2.2. Q. 163. Art. 3. (Vide Bellarminum Lib. 5. de Statu peccati, Cap. 10.) nec multis creaturis Adamus abuſus fuit, ſed vnico tantum Paradiſi pomo: moxq. peccatum pœnitentia dilutum: locuſq. ille erat innocentiæ ac felicitatis putiſſimus: vnde ne amplius contaminaretur, eiectus inde eſt homo; nec opportuit locum delere. Et ſi purgationem eius deſideras, fiet ſane illa in vltima mundi conflagratione: de qua re iam inueſtigemus, num Paradiſus cum tota terra arſurus ſit in vltima illa orbis generali deflagratione.

Albertus Pigius Controuerſia 1. Hieronymus Sauanarola Lib. de Triumpho Crucis, Ambroſius Catharinus Lib. de Statu puerorum ſine baptiſmo, & alij exiſtimarunt, infantes cum Originali peccato ſine baptiſmo morientes, qui interim in Limbo puerorum incluſi manent, poſt diem Iudicij inde educendos, & in ſuperficie terræ in aliquo loco veluti Paradiſo terreſtri, collocandos, hacq. ſenſibilis lucis vſura fruituros, Deumq. vt auctorem naturæ cognituros, amaturos, laudaturos, beatitudinemq. naturali felices perpetuo victuros. Vide de his Franciſcum Sonnium in Tractatu de Extremo Iudicio C. 6. & 7. Franciſcum Suarez Tomo 4. Diſput. 46. Sect. 2. Num. 13. Iuxta quam ſententiam dici haud incongrue poſſet Paradiſum terreſtrem non arſurum igne conflagrationis mundi, ſed manſurum in ſempiternum, domicilium Infantium ſine Baptiſmo extinctorum. INFANTES CVM ORIGINALI PECCATO, POST IVDICIVM VICTVRI IN PARADISO.

At eam opinionem Pigij & aliorum, plerique ferme omnes, vt à Sanctorũ Patrum & Theologorum mente alienam explodunt: nobis non vacat in his longius explicandis diſtineri. Videat Lector de his plene diſſerentem Bellarminum Lib. 6. de Statu peccati Cap. 1. & 2. & ante eum Toſtatum in 25. Matth. Quæſt. 680. & Sotum Lib. 1. de Natura & Gratia Cap. 14.

Moſes Bar-Cepha Lib. de Paradiſo Cap. 18. ſic ſcribit: Solent quidam quærere, quis olim futurus ſit vſus Paradiſi, poſtquam mortales cum corporibus reuixerint. His nos reſpondemus, poſt diem Reſurrectionis nullus prorſus eius futurus eſt vſus, ſed ſuperuacaneus manebit & vacuus.] Pergit pluribus oſtendere quibuſdã frigidis rationibus, Paradiſum poſt diẽ Iudicij manſurum quidem integrum vt eſt à Deo conditus, ſed vacuum & nulli vſui. Verum Toſtatus in 13. Geneſ. Q. 120. & 121. inſtituta de hac re peculiari diſputatione, multis argumentis oſtendit in generali mundi per ignẽ innouatione & purgatione Paradiſum conflagaturũ, & deſtruendum. Et quidẽ Theologi magno conſenſu docẽt in 4. Sent. Diſt. 47. & 48. mixta omnia præter hominẽ, in ſuprema mũdi exuſtione, reſoluenda in elementa. Egit de his plenius PARADISVM CONFLAGRATVRVM IN FINE MVNDI.

Hiero-

CRVCEM DOMINI IN AETERNVM SERVANDAM, QVIDAM PIE CREDIDERE.

Hieronymus Magius in Libris de Conflagratione Orbis. Excepere quidam apud Suarez Tomo 3. Diſput. 57. Sectio. 2. venerabile Crucis Dominicæ Lignum: quod in æternum in cælo ſeruandum, in incorruptibilitatis ſtatum demutatum credidere, eo quòd tam ſingulare & eximium noſtræ ſalutis inſtrumentum extiterit: at Paradiſum à ſupremo igne ſeruare ſine auctore, ſine graui ratione non auſim. Atque hactenus de Paradiſo Voluptatis nobis dictum: cuncta Romani Pontificis iudicio ſubiecta ſunto. Romæ Aprilis 14. anno Dominici ortus 1605. ætatis noſtræ 39.

LAVS DEO.

INDEX

INDEX
AVCTORITATVM
SCRIPTVRAE SACRAE,
QVAE IN HOC OPERE VEL STVDIO, VEL OBITER ELVCIDANTVR.

GENESIS.

Cap. 1. Verſ. 6. *FIAT firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis.* pagina. 10. 11.

Verſ. 28. *Benedixit illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini, &c.* vſque *vobis in eſcam.* 197.

Cap. 2. Verſ. 7. *Creauit Deus hominem puluerem de limo terræ.* 190.

Verſ. 8. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis, à principio: in quo poſuit hominem quem formauerat.* 3. 8. 42. 43. 51. 55. 161. 193. 194.

Verſ. 9. *Produxitq. Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: lignum etiam vitæ in medio Paradiſi: lignumque ſcientiæ boni & mali.* 15. 207. 209. 221. & ſeqq. 235. & ſeqq.

Verſ. 10. *Et fluuius egrediebatur de loco Voluptatis ad irrigandum Paradiſum: qui inde diuiditur in quatuor capita* 44. 145. & ſeqq. 153. & ſeqq.

V. 11. 12. *Nomen vni Phiſon: ipſe eſt qui circuit omnem terram Euilath, vbi naſcitur aurum: & aurum terræ illius optimum eſt: ibi inuenitur bdellium, & lapis onychinus.* 15. 117. 123. 126 127. 133.

V. 13. *Et nomen fluuij ſecundi Geon: ipſe eſt qui circumit omnem terram Aethiopiæ.* 74. 108.

V. 14. *Nomen fluuij tertij Tygris: ipſe vadit contra Aſſyrios. Fluuius autem quartus ipſe eſt Euphrates.* 48. 62. 64.

V. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo Voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum.* 44. 186. 202. & ſeqq.

Cap. 3. V. 5. *Eritis ſicut dij, ſcientes bonum & malum.* 218. 220.

V. 6. *Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit.* 15. 207.

V. 8. *Et cum audiſſent vocē Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem.* 245. & ſeqq.

V. 8. *Abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni Paradiſi.* 41. 42.

Donec

V.19. Donec reuertaris in terram de qua ſumptus es:quia puluis es,& in puluerem reuerteris. 185.

*V.21. Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.*249.*& ſeqq.*

V.22. Nunc ergo ne forte mittat manum ſuam,& ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. 229.231.232.233.234.235.

V.22. Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum. 219.232.

*V.23. Et emiſit eum Dominus Deus de Paradiſo voluptatis,vt operaretur terrã de qua ſumptus eſt.*167.185.186

*V.24. Et eiecit Adam, & collocauit ante Paradiſum voluptatis, Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.*38.*&* 252.253.254.255 256.257.258.259.260.261.263. 264.

*Cap.4. V.16. Egreſſuſq. Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalẽ plagã Eden.*43.44.46.47.48.

V.17. Et ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui Henoch. 165.

Cap.7. V.18. & 19. Vehementer inundauerunt aquæ,& omnia repleuerunt in ſuperficie terræ.vſque ſuper montes quos operuerat. 274.

Cap.10.V.7. Regma, Sabatacha. 60.

V.26. Elmodad,Iare,Adoram,Vzal,Decla, 27. Ebal,Abimael.60.

C.13.V.10. Sicut Paradiſus Dñi. 8.14.25.

C.14.V.13.Nuntiauit Abram Hebræo. 65.

*Cap.15. V.10. Et vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit.*255.

*V.18. Semini tuo dabo terram hanc, à fluuio Aegypti, vſque ad flumen magnum Euphraten.*80.

Cap.21. V.31. Idcirco vocatus eſt locus ille Berſabee, quia ibi vterque iurauit. 216.

Cap.23. V.2. Et mortua eſt Sara in ciuitate Arbe, quæ eſt Hebron. 181.

V.10. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. 136.

Cap.25. V.6. Filios concubinarum ſeparauit ab Iſaac ad Orientalem plagam. 56.

*V.18. Habitauit Iſmael ab Heuilah vſque Sur &c.*123.

V.30. Da mihi de coctione hac rufa: quam ob cauſam vocatum eſt nomen eius Edom. 190.

C.29. V.1. Profectuſq. ergo Iacob venit in terram Orientalem. 56.

C.37. V.11. Pater vero eius rem tacitus conſiderabat. 204.

*C.47.V.3.Paſtores ouiũ ſerui tui ſumus.*262

V.22. Filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens &c. 6.

*Cap.49. V.30. Sepelite me cum patribus meis, in ſpelunca duplici, quæ eſt in agro Ephron Hethei contra Mamre.*171.

EXODI.

*C.13. V.4. Hodie egredimini menſe nouarum frugum.*140.

C.14. Nam Iſraelitæ tranſierint totam latitudinem Rubri maris, de littore in littus. 115.

V.31. Et viderunt Aegyptios mortuos ſuper littus maris. 116.

*C.19. V.19. Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat.*245.

C.23. V.15. Sicut præcepi tibi tempore meſſis nouorum,quando egreſſus es de Aegypto. 140.

*C.24.V.30. Reſpiciantq. ſe mutuo.*254.

C.26. V.3. Quinque cortinæ ſibi iungentur mutuo. 254.

V.18. Quod vergit ad Auſtrum. 56.

V.1.& 31. Opere plumario. 252.

C.34. V.18. Sicut præcepi tibi in tempore meſſis nouorum: menſe enim verni temporis egreſſus es de Aegypto. 140.

NVMERORVM.

C.11. Erat autem man quaſi ſemen coriandri,

V.7. dri, coloris bdellij. 131. 132.
C.12. Locuta eſt Maria & Aaron contra
V.1. Moſen propter vxorem eius Aethiopiſſam. 108. 113.
V.2. Num per ſolum Moyſen locutus eſt Dominus? nonne & nobis ſimiliter locutus eſt? 114.
C.13. Et venerunt in Hebron, vbi erant
V.23. Achiman, & Siſai, & Tholmai filij Enach. 179.
V.34. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere giganteo. 179.
C.23. De Arã adduxit me Balac Rex Moa-
V.7. bitarum, de montibus Orientis. 56.
C.34. Ibitq. per gyrum terminus ab Aſemo
V.5. na vſque ad torrentem Aegypti. 80.

DEVTERONOMII.

Cap.1. Maxima multitudo eſt, & nobis ſta-
V.28. tura procerior: filios Enacim vidimus ibi. 179.
Cap.2. Populus magnus & validus, & tam
V.10. excelſus vt de Enacim ſtirpe quaſi gigantes crederentur, & eſſent ſimiles filiorum Enacim. 179.
C.11. Terra enim ad quam ingrederis poſſi-
V.10. dendam, non eſt ſicut terra Aegypti, de qua exiſti: vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ. 99.
C.16. Obſerua menſem nouarumfrugum, &
V.1. verni primum temporis, vt facias Phaſe Domino Deo tuo: quoniam in iſto menſe eduxit te Dominus Deus tuus de Aegypto. 140.
C.23.4. Balaam filium Beor de Meſopotamia Syriæ. 56.
C.32.V.24. Morſu amariſſimo. 247.

IOSVE.

C.13. A flumine turbido, qui irrigat Ae-
V.3. gyptum. 79.83.
C.14. Nomen Hebron ante vocabatur Ca-
V.14. riath Arbe, Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt. 170. 179. & ſeqq.
C.15. Atque inde pertranſiens in Aſemo-
V.4. na, & perueniens ad torrentem Aegypti. 80.
V.13. Caleb vero filio Iephone dedit Ioſue partem in medio filiorum Iuda, Cariath Arbæ patris Enac: ipſa eſt Hebron. 182.
C.21. Cariath Arbe patris Enac, quæ vo-
V.11. catur Hebron. 182.
C.24. Trans fluuium habitauerunt Patres
V.2. veſtri ab initio. 66.

REGVM PRIMI.

C.15. Percuſſit Saul Amalec ab Heuilab
V.7. donec venias Sur, quæ eſt è regione Aegypti. 123.

REGVM SECVNDI.

C.7.V.19. Iſta eſt lex Adam Dñe Deus. 182.
Cap. 8. Profectus eſt Dauid vt dominare-
V.3. tur ſuper flumen Euphratem. 66.
C.13. Ceſſauitq Rex Dauid perſequi Ab-
V.39. ſalom. 206.

REGVM TERTII.

Cap.1. Imponite Salomonem filium meum
V.33. ſuper mulam meã, & ducite eum in Gihon, & vngat eum ibi Sadoc Sacerdos. 77.
Cap.4. Salomon autem erat in ditione ſua
V.21. habens omnia regna à flumine terræ Philiſthijm vſq. ad terminos Aegypti. 67.
V.24 Ipſe enim obtinebat omnem regionẽ, quæ erat trans flumen, a Thapſa vſque Gazan. 67.
V.30. Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientaliũ. 57.
Cap.7. Cherubim, & leones, & palmas, quaſi
V.36. in ſimilitudinẽ hominis ſtãtis. 255.
Cap.8. Ab introitu Emath vſque ad Riuum
V.65. Aegypti. 80.

C.17. Elias Thesbites de habitatoribus Ga-
V.1. laad. 286. 287.

REGVM QVARTI.

Cap. 2. Aſcendit Elias per turbinem in cæ-
V.11. lum. 283. 289.
C.4.V.13. In medio populi mei habito. 236.
C.24. Tulerat enim Rex Babylonis à Riuo
V.7. Aegypti, vſque ad fluuium Euphratē, omnia quæ fuerunt Regis Aegypti. 80

PARALIPOMENON
Primi.

Cap.5. Contra Orientalem quoque plagam
V.8. habitauit vſque ad introitum eremi, & flumen Euphraten &c. locus inſignis 286. 277.
V.18. Dimicauerunt contra Agareos: Itu-
19.20. ditiq. ſunt in manus eorum Aga-
21.22. rei &c. locus inſignis. 287.
C.13. Congregauit ergo Dauid cunctum Iſ-
V.5. rael, à Sichor Aegypti, vſque dum ingrediaris Emath. 79. 83.
C.18. Vt erexit vt dilataret imperium ſuum
V.3. vſque ad flumen Euphratem. 66.
C.28. Vt ex ipſo auro fieret ſimilitudo Qua-
V.18. drigæ Cherubim, extendentium alas, & velantium Arcam fœderis Domini. 253.

PARALIPOMENON
Secundi.

C.14. Et percuſſerunt ciuitates per circui-
V.14. tum Geraræ. 109.
C.32. Ipſe eſt Ezechias qui obturauit ſupe-
V.30. riorem fontem aquarum Gion: & inuertit eas ſubter ad Orientem vrbis Dauid. 77.
C.33. Poſt hæc ædificauit Manaſſes murum
V.14. extra ciuitatem Dauid ad Occidentem Gion. 77.

NEHEMIAE.

C.2.V.1. Factū eſt autē in menſe Niſan. 140.
V.8. Et epiſtolam ad Aſaph cuſtodem ſaltus regis, vt det mihi ligna vt tegere poſſim portas Templi. 7.

ESTHER.

Cap.3. Menſe primo, cuius vocabulum eſt Niſan. 140.

IOB.

Cap.1. Erat vir ille magnus inter omnes
V.3. Orientales. 55.
C.3.V.4. Et inuoluatur amaritudine. 247.
Cap.8. Humectus videtur antequam veniat
V.16. Sol: & in ortu ſuo germen eius egredietur. 5.
C.28. Diuidit torrens à populo peregrinan-
V.4. te, eos, quos oblitus eſt pes egentis hominis & inuios. 110. & ſeqq. fuſiſsime.
V.16. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonycho pretioſiſſimo. 60. 137.
C.30.V.10. Ecce Behemoth, quē feci tecum.

PSALMORVM.

1.V.3. Erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: Et folium eius non defluet: & omnia quæcumque faciet, proſperabuntur. 208. 237.
17.V.11. Aſcendit ſuper Cherubim, & volauit ſuper pennas ventorum. 254.
44.V.10. Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, 138.
46.V.10. Quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt. 3.
67.V.12. Dominus dabit verbum euangelizantibus. 206.
75.V.3. Et factus eſt in pace locus eius. 43.
100.V.7. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam. 236.
118.V.1. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. 105.
138.V.16. Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus. 4.

PROVERBIORVM.

C.3.V.18. Et qui tenuerit eam, beatus. 4.
V.35. Stultorum exaltatio, ignominia. 4.
C.9.V.18. Et ignorauit quòd ibi ſint gigātes, & in profundis inferni conuiuæ eius. 180.

Sapiens

C.14. Sapiens mulier ædificabit domum
V.1. ſuam. 4.
C.21. Vir qui errauerit à via doctrinæ, in
V.16. cœtu gigantum commorabitur. 180.

ECCLESIASTAE.

C.1.V.2. Dixit Eccleſiaſtes. 206.
Cap.2. Cogitaui abſtrahere à vino carnem
V.3. meam,vt animum meum transferrem
ad ſapientiam. 115.
V.55. Feci mihi hortos & pomaria. 7.
C.7.V.28. Dixit Eccleſiaſtes. 206.

CANTICORVM.

Cap.4. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum
V.13. punicorum. 7. 288.
Cap.8. Sub arbore Malo ſuſcitaui te: ibi
V.5. corrupta eſt mater tua, ibi violata
eſt genitrix tua. 213.

SAPIENTIAE.

C.6.V.3. Qui continetis multitudines. 3.
Cap.9. Ex aqua quæ antea erat, terra ari-
V.7. da apparuit: & in mari Rubro via
ſine impedimento, & campus ger-
minans de profundo nimio. 151.

ECCLESIASTICI.

C.24. Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam,
V.34. & ſicut Tygris in diebus nouorum:
qui adimplet quaſi Euphrates ſen-
ſum: & aſſiſtens quaſi Geon in die
vindemiæ. 139.& ſeqq.
C.44. Henoch placuit Deo, & translatus
V.16. eſt in Paradiſum, vt det gentibus
pœnitentiam.287.& ſeqq.

I. S. A I AE.

Cap.2.V.6. Quia repleti ſunt vt olim. 57.
V.7. Repleta eſt terra argento & auro:&
non eſt finis theſaurorum eius. 57.
Cap.7. Butyrum & mel comedet, vt ſciat
V.15. reprobare malum & eligere bonum.
C.14.V.9. Suſcitauit tibi gigantes. 180.
C.26. Morientes non viuant, gigantes non
V.14. reſurgant. 180.
C.27. Cum poſuerit omnes lapides altaris
V.9. ſicut lapides cineris alliſos. 164.
V.12. In illa die percutiet Dominus ab al-
ueo Fluminis, vſque ad torrentem
Aegypti. 80.81.83.
C.37. Gozan,& Haran & Rezeph,& filios
Eden,qui erant in Thelaſar. 36.
C.34.V.16. Alter alterum nõ quæſiuit.255.
C.45. Ipſe Deus formans terram & faciens
V.18. eam,ipſe plaſtes eius: non in vanum
creauit eam: vt habitaretur forma-
uit eam. 197.
C.59.V.12. Peccata noſtra reſpondebunt no-
bis. 262.
C.65. Non plantabunt & alius comedet:
V.22. Secundum enim dies ligni,erũt dies
populi mei. Et opera manuum eo-
rũ inueterabũt electi mei.235.237.

I E R E M I AE.

Cap.2. Et nunc quid tibi vis in via Aegy-
V.18. pti,vt bibas aquam turbidam.79.
C.46.V.22. Vox eius quaſi æris ſonabit.245
C.48.V.41. Capta eſt Carioth. 182.

THRAENORVM.

C.4.V.1. Mutatus eſt color optimus. 138.
V.21. Gaude & lætare filia Edom,quæ ha-
bitas in terra Hus. 36.

EZECHIELIS.

Cap.1. Et in medio eius ſimilitudo quatuor
V.9.& 10. animalium &c. 255.
Cap.3. Et vocem alarum animalium percu-
V.13. tientium alteram ad alteram. 254.
C.31. Cedri non fuerunt altiores illo in Pa-
V.8. radiſo Dei. Omne lignum Paradiſi
non eſt aſſimilatum illi,& pulchri-
tudini eius &c.8.& 207.

C 39. In valle viatorum ad Orientem ma-
V.11. ris. 48.
C.42. Oſtium in capite viæ, quæ via erat
V.12. ante veſtibulum ſeparatum 6.
C.47. Et ſuper torrentem orietur in ripis
V.12. eius ex vtraq. parte omne lignum po
miſerum : non defluet folium ex eo,
& non deficiet fructus eius 208.
V.19. Plaga autem Auſtralis meridiana à
Thamar vſq ad aquas contradictio-
nis & torrēs vſq ad mare magnū.80

DANIELIS.

C.8.V.21. Hircus caprarum.56.

OSEE.

C.11.V.5. In funiculis Adam trahā eos.182

AMOS.

Cap.1. Tenentem ſceptrum de domo Volu-
V.5. ptatis. 49. & ſeqq.
Cap.6. Et conteret vos ab introitu Emath
V.15. vſq. ad torrentem deſerti .80.83.

MICHAEAE.

C.1 V.9. Quia deſperata eſt plaga eius. 262.

HABACVC.

Cap.3. Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus
V.3. de monte Pharan. 53.

AGGAEI.

Cap.1. Et dixit Aggæus nuntius Domini
V.13. de nuntijs Domini. 206.

ZACHARIAE.

C.14. Stabunt pedes eius ſuper montem oli
V.4. uarum. 53.

MATTHAEI.

C.27. Et venerunt in locū qui dicitur Gol
V.33. gotha,quod eſt Caluariæ locus. 175.

MARCI.

C.15. Et perducunt illum in Golgotha locū:
V.22. quod eſt interpretatum Caluariæ lo-
cus. 175.

LVCAE.

Cap.1. Maria autem cōſeruabat omnia ver-
V.19. & 51. ba hæc,conferens in corde ſuo.
204.
C.23. Et poſtquam venerunt in locum qui
V.33. vocatur Caluaria. 175.
V.43. Amen dico tibi , Hodie mecum eris
in Paradiſo. 288. 296. & ſeqq.

IOANNIS.

C.8.V.44 Ille homicida erat ab initio. 194.
C.19. Exiuit in eum qui dicitur Caluariæ
V.27. locum,Hebraice autē Golgotha.175.

I. CORINTHIOR.

C.10. Omnes mare tranſierunt, & omnes
V.2. in Moyſe baptizati ſunt in nube &
in mari. 151.
C.15 V.45. Primus homo de terra terre-
nus. 190.

2. CORINTHIOR.

C.12. Raptus in Paradiſum, & in tertium
V.4. cælum. 9.

EPHESIORVM.

Cap.5. Surge qui dormis, & exurge à mor-
V.14. tuis,& illuminabit te Chriſtus.170

APOCALYPSIS.

Cap.2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ,
V.7. quod eſt in Paradiſo Dei mei.9.221

INDEX

RERVM MEMORABILIVM

Quæ in hoc Opere continentur.

ABBATISSA Saguntina vetula, reiuueneſcit. 164.

Abib primus menſis Hebræis, vnde dicatur. 140. 141.

Abimael, Immai montis accola. 60.

Abrahami filij, incolæ Felicis Arabiæ. 56.

Aceſines Indiæ celebris fluuius. 40. 41 Gangem auget. 120.

Achoreus Aegyptius Sacerdos de Nili fontibus diſſerit. 85

Acrothon oppidum, vbi homines dimidio longius quam alibi viuunt. 34

Actiſanes Aethiopum Rex latrones abſciſione narium punit. 81

Adamum & Heuam egiſſe pænitentiam in Indiæ inſula Ceilano quidam produnt. 26. 168. 169

Adamū è Paradiſo eiectum prope Paradiſum habitaſſe, Patres aiunt. 38. 166. incoluiſſe cum cœtu piorum in Syria cis Euphratem, alij docent. 165. in Iudæa habitaſſe, & ibi ſepultum, Patres aſſerunt. 38. 166. 167. antequam Iudæam intraret, varias peragraſſe regiones, & forſan iter mille leucarum emenſum. 166. primum prope Paradiſum, in Indiæ aliqua terra habitaſſe: nec ibi hæſiſſe, ſed diſceſſiſſe in Iudæam. 167. 168

Adamum efformatum extra Paradiſum. 186. ob rationes quinque 187. 188. formatum in Hebron in Campo Damaſceno. 39. 184 185. alijs in terra Iſrael. 185. veriſimile eſt, non procul à Paradiſo. 185. nempe in aliqua regione Indiæ, proxima Paradiſo. 186. tutius locus formationis eius neſcitur, nam ex quocumque loco facile Deo fuit eum in Paradiſum intromittere. 186

Adam nomen proprium primi parentis, & appellatiuum ſpeciei. 181. creatus ex Adamah, ideſt terra rubra, & ab ea denominatus, quaſi terreus. 189. non ab Eden Paradiſi loco. 189. factus ex terra virgine, in typum Chriſti 191. Compactus ex quatuor portionibus terræ ſumptis ex quatuor mundi cardinalibus plagis. 188. 189. num eius nominis etymon ſit Hebraicus an Syriacus. 190

Adam ſepultum in Hebron aiunt S. Hieronymus, & Hebræi. 170. 171. idem Recentiores aliqui. 171. in Caluariæ loco plures alij Patres. 172. 173. 174. Oppoſitum putat S. Thomas ſecutus S. Hieronymum: & vtraque opinio probabilis. 175. non primum in Caluaria, poſteà in Hebron; forſan è contra. 175. vel pars corporis in Caluaria, pars in Hebron. 175

Adam poſitus in Paradiſo ad cuſtodiendum & colendum Paradiſum. 202. eius agricultura non laborioſa, ſed facilis & iucunda. 203. qualis erat futura. 202. 203. cuſtodiret Paradiſum non à beſtijs. 204. ſed tamquam iuſtus poſſeſſor: & quia curaret, ornaret, illuſtraret, & attente conſideraret eius pulchritudinem. 204. Vel debuit cuſtodire Paradiſum, ideſt, ne quid admittere, ob quod inde mereretur expelli. 205. guſtaſſe ipſum & Heuam cum erant in Paradiſo de Ligno Vitæ, probabiliter creditur. 218. 239. & ſi alij non improbabiliter reclament: ſed ſoluuntur eorum argumenta. 239. 240. vi eius eſus ab intrinſeco Adam viuacior

ceteris

ceteris hominibus niſi ipſe ſibi vires, laboribus & pœnitentia exhauſiſſet. 240.

Adamum, quo die conditus eſt, Paradiſo eiectum multi auctores tradũt. 241.241. duobuſque argumentis probant. 242. manſiſſe tantum in Paradiſo ſeptem horas quidam putant. 242. alij nouem: alij ſex tantum. 242. 243. Plus vno die in Paradiſo moratum plures docent. 243. rationibus id firmant. 243. Quidam fuiſſe ibi triginta annos exiſtimarunt. 244. Alij, quadraginta dies. 244. nonnulli duos tantum dies, vno formatum, altero eiectum: vel tertio. 244. Alij octo dies. 243. 244. Eodem quo peccauit die pulſum veriſimile eſt: ad veſperam eius diei eiectum: non fuiſſe longo tempore in Paradiſo. 244. plus vno die manſiſſe; ſed temere definiri quantum tempus. 244. forſan octo dies ibi demoratum, quidam coniectant. 245. ſed tutius eſt adhærere communiori opinioni, vno eodemque die & creatum, & eiectum. 245.

Adoram, Hircania. 60.

Aegyptiæ mulieres, quinos, vel ſeptenos vno partu edunt. 97

Aegyptij ad capita fontium effigiem leonis appingere ſoliti. 97

Aegyptus opus Nili, nouum limum ſemper aggerentis, num tempore belli Troiani lateret ſub aquis. 78. 89. 99

Aequinoctialis circulus num ſit humano generi habitabilis. 26.

Aeris ſupra mediam regionem non eſt commoda humano generi habitatio. 34.

Aeſculapij fons Athenis mirabilis. 258.

Aethiopia propriè dicitur illa ſub Aegypto. 117.

Aethiopia duplex, Aſiana ſeu Arabica & Africana. 108. 115. 116.

Aethiopici Oceani ora circumnauigata tempore Senecæ. 95.

Agricultura prima humanarum artium: regale ſtudium. 203.

Aibelor Arabicè beryllus. 134.

Amanus mons in Syria. 59.

S. Ambroſius defenditur. 13.

Amici Dei ſunt ſcuta terræ. 3.

Anas fluuius Hiſpaniæ ſubit terras. 158.

Andreas Maſius vertit è Syro in Latinum Commentarium Moſis Bar-Cepha de Paradiſo. 1.

Angeli ex quibus Ordinibus mittantur. 258. 259.

Anguilla Gangis tricenum pedum. 122.

Animalia bina tantum in ſpecie marem & feminam initio creata. 200. Sed oppoſita ſententia probabilior. 251.

Anima Chriſti num triduo mortis fuerit in Paradiſo Voluptatis. 280. 281. fuit potius in inferno. 281.

Arabicus Sinus num altior Aegypto. 98. qui eum cum mari mediterraneo iungere tentauerint. 97. 98. num rubeſcat. 153.

Arba gigas inſignis, nomen dedit Hebron. 182. cur appellatus pater Enac 183. dictus Arba quaſi Quadratus, aut Quadrigeminus. 183.

Arbor ſcientiæ boni & mali, vera & corporea arbor. 209. non fuit concubitus Adami cum Heua: non frumentum, non vitis. 210. ficum fuiſſe aſſerunt Patres. 210. 211. & plures Recentiores. 211. refragantur alij duobus argumentis. 211. 212. ſed quæ facile ſoluuntur. 212. forſan fuit ficus Indica. 212. Malum fuiſſe quidam credunt. 213. eſt id incertum. 213. alij noui & inuſitati generis fuiſſe. 213. ſed non fuiſſe diſtinctam ſpeciem à communibus; vnicam numero in ea ſpecie fuiſſe, quidam probabiliter docent. 214. propendet Auctor in ficum Indicam. 214. vel in alias ſuauiſſimi guſtus Indicas arbores, quas ex Plinio, aliſque deſcribit. 214. non dabat vim intelligẽdi, nec acuebat ingenium. 215. 216. appellata ſcientiæ boni & mali, ab effectu, quòd per illius eſum experturus eſſet homo bonum & malum. 216. auctoritate Patrum iſtud aſtruitur. 216. 217. reclamant quidam, ſed eluuntur eorum rationes. 218.

218. num conferret cognitionem propriæ naturæ. 218. vel dicta Scientiæ boni & mali, quod per illam Deus Adami bonum & malum, ideſt, obedientiam & inobedientiam tentarit. 219. Quidam ſic dictam ironice, à verbis & mendacio ſerpentis putant. 219.

Arbor vitæ, vera & realis arbor. 221. ſic dictam quidam volunt, quòd eſſet vitæ ſymbolum æternæ. 221. 222. alij, quòd plenam immortalitatem daret. 222. Sic ſentire videntur plerique Patrum. 222. 223. non contuliſſet abſolutam immortalitatem ſemel guſtata: ſed vitam in longum tempus: & firmabat proprie vim nutrientem. 224. 224. 225. nec arcebat mortem, niſi eam quæ à ſenio accidit. 225. 228. 229. oſtenditur iſtud auctoritate S. Auguſtini. 225. & aliorum Theologorum. 226. habuiſſe proprie vim conſeruandi integre abſque vlla vel leui diminutione facultatem hominis nutrientem. 226. 227. itaque non reſarciebat diminutam, ſed firmabat ne laberetur. 227. 228. nec virtus ſpeciei à fructus vitæ alimento repatiebatur, paſſione diminuente, ſed perficiente. 227. non tantum ſumendus fructus ille, quando homines transferendi eſſent in cælum. 228. 229.

Arboris Vitæ vim fuiſſe ſupernaturalem nonnulli putarunt. 229. naturalem alij 230. quæ eſt melior ſententia: & auctoritate S. Thomæ ac ratione firmatur. 230. explicantur Patres qui contra exiſtimaſſe videntur. 231. manſiſſe integre ipſi Arbori etiam poſt peccatum. 231. oſtenditur Patrum auctoritate. 233. ſoluuntur oppoſita argumenta. 233. 234. Vis illa Arboris Vitæ, non aliunde quam ex verbis Dei cognita. 232.

Arbor Vitae, erat in medio Paradiſi, erat pulcherrima, in loco Paradiſi conſpicuo poſita: erat omnium præſtantiſſima. 236. erat prope Arborem ſcientiae boni & mali, tamquam victoriae, praemium in promptu. 236.

Arbor vitae, ſuae ac nouae ſpeciei ab alijs ordinaris diſtinctae, 238. ignoratur quæ illa fuerit ſpecies, niſi quod certum eſt fuiſſe omnium praeſtantiſſimam. 238. fuiſſe tantum vnam numero in ſpecie à Deo productam: multiplicandas tamen vel inſitione, vel transplantatione, ſi innocentiae ſtatus ſubſtitiſſet. 338. vnica comeſtione protelaſſe vitam hominis ad duo millia annorum. 240. alij ad decem millia annorum, quod non placet. 240.

Arbores Paradiſi non omnes veſcae. 207. longe noſtris praeſtantiores & pulchriores. 207. ſemper virentes, & frondibus ornatae. 208. ſemper cum fructibus. 208. 209. quaedam aliquando ſiccantur & intereunt. 209.

Arbores Indiae pulcherrimae, innumerabiles, altiſſimae, praeſtantiſſimæ. 40. 41. 162.

Arborum quarundam vita immẽſa, & mundo coaeua. 277. 278.

Arcae Noe reliquiae in Monte Armeniae. 73.

Arena è Nilo palaeſtris nobilis. 98. 99.

Arethuſa lacus in quem influit Tygris: ſed nec aquas aut piſces cum eo miſcet. 69. 71.

Arethuſa fons Syracuſanus labitur ſubter maria ex Alphaeo Olympiae fluuio. 158.

Argenti fodinae mirabiles in Hiſpania; trecenta pondo in dies Annibali dabant. 103.

Argenteum flumen in America inſtar Nili creſcit. 96. eius oſtium viginti quinque leucarum latitudine. 122.

Artapanus Gentilis vetuſtus auctor aſſertor hiſtoriae de victoria Moſis contra Aethiopes. 112.

Arun-

Arundines Indiæ maximæ, earum internodia ſingula efficiunt alueum ternis hominibus nauigabilem. 163.
Aſſyria dicta Aſſur, & Attiria. 64
Aſtabores Nili nomen, id eſt, aqua veniens è tenebris. 90
Aſtomi, gens circa Gangem ſine ore, ſolo odore paſcuntur. 122
Aſtopos Nili nomen, quaſi aqua è tenebris profluens. 86. 90
S. Athanaſij opus Quæſtionum ad Antiochum aſſeritur. 160. *de ſe ſolet in tertia perſona loqui* 161
Athos mons Thraciæ, nubibus ſublimior, in eius cacumine ararum cineres nec eluuntur, nec diſſlantur. 34
Atlas mons Africæ altiſſimus, nemoroſus, & delitijs plenus, noctibus micat ignibus. 33. *audiuntur in eo Satyrorum cantus, fiſtularum, tympanorum ſonitus.* 34
Auctores qui de Paradiſo ſcripſerunt. 1
Auri fodinæ in Hiſpania mirandæ. 105. 106.
Aurum Indiæ omnium præſtantiſſimũ. 126.

B

Babyloniæ Reges aquam è Nilo, & Iſtro inter gazas ſeruabant. 99
Bætis Hiſpaniæ celebris amnis quot oſtijs exoneret. 149.
Balaam non Madianites, ſed Aramæus de Meſopotamia fuit. 56.
Batucæ nouæ gentes in Hiſpaniæ detectæ. 293.
Bdellium arbor & gummi Plinio 130.
Beerſabe terminus Auſtralis Terræ ſanctæ. 80.
Bedolach, quid Hebræis varie diſſeritur. 124. *& ſeqq. quidam carbunculum, alij ſmaragdum, alij cryſtallum, alij vniones. ibidem. forſan piper, aut garyophyllum.* 130. *multis id coniecturis fulcitur.* 131. *tutius exponitur margaritum ſeu vniones.* 132
Belus fluuius Syriæ, vitri fertiles arenas trahit. 84
Belzera emporium Teredonis inſulæ in oſtio Euphratis. 148
Bene-Eden quid, 49. 50
Bengala eſt Heuilath, eius diuitiæ. 125. 126. *quidam putant eſſe Bacaruram Ptolemæi, alij Gangem Regiam prope Gangis oſtium.* 126. *eius regni vbertas.* 163.
Berylli natura exponitur. 135. *eius decem & octo ſpecies.* 134 135. *Chaldaice Burlab dicitur.* 134
Beth-Eden quid in Scriptura. 49. 50
Beth-lehem ad Auſtrum Ieruſalem. 51
Beth vox addita locis in Scriptura ad illuſtrem notitiam. 49
Breuiarium Prædicatorum Ordinis Auctoris opera reſtitutum. 178

C

Cælum primum, ſecundum, & tertium, quid ſint. 9. 10
Cæli num ex aqua concreti. 10. 11
Cæſar Dictator auidus ſciendi Nili fontes. 85.
Cain in qua Eden habitauit. 44. 45. *volunt quidam habitaſſe in Aſſyria vltra Tygrim.* 48. *in loco Orientali.*
Caluariæ mons dictus, vel à forma loci rotunda, vel quòd ibi truncarentur capita damnatorum. 177. *vel quòd ibi ſepulta fuerit Adæ Caluaria ſiue quod illic caput noſtrum Chriſtus crucifixus.* 179. *erat monticulus.* 177. *prope mœnia Ieruſalem ad Occidentem, deſcriptus à multis, & tempore Hadriani intra vrbem incluſus.* 179
Cambyſes rex totius populi nares præcidit in oppido Syriæ. 81.
Cariat Arbe, id eſt, Ciuitas quatuor, varias ob cauſas. 170. 171. 181.
Cataractæ Nili. 88. *locus mirabilis* 89. 90. 91.
Cathea Indiæ regio apud quam formoſiſſimus, Rex deligitur. 125.
Ceilanum inſula diues & amœna. 26. *quondam continenti affixa, ſed vi maris diuulſa.* 26

Cente-

Centenarius ſenex Tarenti reiuueneſcit, & quinquaginta annis amplius viuit. 164.
Cephas Hebraice rupes, Graece caput. 189.
Chaldaica lingua vernacula Hebraeis tempore Chriſti. 176.
Chaldaica praecepta explicauit Michael Pſellus. 11.
Chaldaea habuit olim amœniſſimos hortos. 39.
Charabum Nili oſtium poſt Peluſium. 82.
Chenephris Aegyptiorum Rex, Moſen mittit contra Aethiopes. 112.
Cherubim in ſacris Litteris ſunt animantia: opera plumaria. 252. variæ nominis interpretationes. 251. 252. erant in Propitiatorio forma humana, iuuenili, & cum alis. 254. miram effigiem illis Recentiores tribuunt. 255. eſt nomen ſecundi Ordinis ſupremæ diuinorum ſpirituum Hierarchiae. 256. illi cuſtodes Paradiſi, non erant ſpectra. 257. ſed Angelici ſpiritus. 258. ex quo Ordine, fuſe diſſeritur. 258. 259. ſpecie humana apparuerunt. 259. quamdiu manſerunt ante Paradiſum. 263. plures fuiſſe. 262. 263.
Chetem quid proprie Hebraeis. 137. 138.
Chobar fluuius, num Euphrates an Tygris. 67.
Chryſoberyllus gemma deſcribitur. 135.
Chryſopaſſius gemma explicatur. 135.
Chriſtus quadraginta diebus poſt reſurrectionem, num fuerit in Paradiſo terreſtri cum Sanctis quos eduxit è limbo. 281.
Chriſtiani conuerſi ad Orientem adorant. 53. 54. hanc eſſe Apoſtolorum traditionem: ob id faciunt vt Paradiſum reſpiciant. 53. 54.
Cibi optimi ſucci num acuant ingenium. 215. 216. potius acuunt ieiunia, vigiliæ, preces. 216.
Cleopatra iſthmum inter Mare Rubrum & Nilum repurgare tentat. 98.
Cophene Indiæ fluuius, terminus Occiduus Indiæ. 60.
Crux Dominica non fuit ex Malo arbore. 213. Num arſura in fine mundi. 302.
Cryſtallus Indica laudatiſſima. 133.

D

DAemonium meridianum, quodnam ſit. 247. 248. Hebraice dictus Cheteb Meriri. 247. tentauit Protoplaſtos in Paradiſo: à qua victoria forſan dictus Cheteb Meriri, ideſt, morſus amariſſimus. 248. aduerſus hoc genus inſtitutam ab Eccleſia orationem in meridie. 248.
Damaſcus ob fertilitatem & amœnitatem, putata Paradiſus. 49. 50.
Damaſcenus ager prope Hebron. 184. ex eius terra accipiunt variæ nationes ad ſuperſtitiones. 184. alÿs fuit in Syria prope Damaſcum. 185.
Dan terminus Aquilonaris Terræ Sanctæ. 80.
Dandæ Indiæ populi auro fertiliſſimi. 126.
Decla Scythia intra Imaum. 60.
Dei nomen alÿs adiunctum auget ſignificatum. 9.
Deus virtutes rebus indit conſentaneas earum naturis. 229.
Deus ambulans in Paradiſo ad auram poſt meridiem. 245. 246. num venerit ad Adam cum horriſono ſtrepitu. 246. 247. in forma humana illi apparuiſſe: & peculiariter Filium Dei tunc viſum, qui Patres doceant. 248. more opulenti magnatis deambulaſſe.
Dies nouorum in Scriptura quid. 140. 141.
Dies ligni qui dicantur in Scriptura. 237.
Diluuÿ aquas non penetraſſe in Paradiſum terreſtrem probabiliſſime oſtenditur. 274. 274. 275. etſi penetrarunt, non euerterunt Paradiſum. 276. 277.
S. Dionyſÿ Areopagitæ ſcripta nota antiquis Patribus. 161. à multis eruditis aſſerta. 161.

Rr S. Do-

S. Dominicus num auctor Operis de Corpore Chriſti.191.
Dorotheus auctor Synopſis, non fuit ille Tyri Epiſcopus, ſed Abbas Romanus. 169.
Draco vaſtus in India deſcriptus. 239.
Durion Aureæ Cherſoneſi arbor ſuauiſſimi fructus.214.

E

Eccleſiæ Chriſtianorum ad Orientem obuerſæ, & cauſa ob quam.54.
Eden regio Meſopotamiæ.57. locus Paradiſi.42.195. nomen proprium loci. 42. 45. etiam appellatiuum, ideſt, voluptas. 43. Eden Paradiſi diuerſum ab illo Meſopotamiæ. 46. Eden, forſan eſt India colludente voce. 161.
Edeſſa olim Antiochia.37.
Elias cur dictus Theſbites, ſcita ratio.286. 287.
Elmodad, Themeotæ, vel Aemodij.60.
Enac, gigas parens Enacim, ſobolis giganteæ, quaſi Torquatus: aliæ eiuſdem nominis notiones.179.180.181.
Eraſinus fluuius Argolicæ ſub terram labitur. 158.
Eretz Hebraice terra feminei generis. 202.
Erythras rex, à quo dictum Erythræum mare. 152. 153. Rubrum ſignificat Græcis. 153.
Erythræum mare procelloſum, aſperum, profundum, magnorum animalium capax. 152.
Eſau dictus Edom, forſan Græcis Erythras, à quo mare Erythræum. 152.
Eunuchus Candacis prædicauit in Arabia, Erythræa, & Taprobana. 169.
Euphorbia herba claritati oculorum proficua.34.
Euphrates Hebraice Perath. 64. factum ei nomen Græcis & Latinis ab Hebraico Huperath. 64. varij eius nominis etymi. 65. & Synonyma. 65. Flumen abſolute vocatur in Scriptura, & cur. 65. terminus Orientalis Terræ Sanctæ 66. naſcitur in montibus maioris Armeniæ. 67. 71. ab ea parte Tauri quæ vergit in Boream. 68. in Præfectura Charanitide, in monte Aba, vel ad radices montis Capotis, initio Pyxirates dictus. 69. 71. Taurum perrumpit. 70. fertur in Babylonem. 67. Tygri infunditur prope Seleuciam. 70. Almachar dictus Aſſyrijs. 70. influit in mare Rubrum. 67. 72. ſeu in Sinum Perſicum. 68. 69. 73. Nilo commiſceri quidam aiunt. 72. ni Taurus obſtaret, in mare Mediterraneum veniret. 72. ſiniſtro alueo Seleuciam, dextro Babylonem petit.70. Cum Taurum perrumpit, Omirras dicitur. 70. increſcit Nili modo, ſed Sole in Cancro.70.71.73. 142. Aprili & Maio non exundat. 142.
Euphrates & Tygris non inuehunt limum Meſopotamiæ: ſed aqua miram fertilitatem infert. 143. quomodo vterque cum Gange & Nilo exeant è Paradiſo. 154.
Euphratis ortus, decurſus, influxus à recentioribus Geographis delineatus. 148.
Euphrateſia Prouincia. 73.

F

Fabella de Rege Bengalæ Paradiſum inueſtigante.161.
Facies Domini quid in Scriptura. 46.
Falcidia vicus prope Rhinocoluram. 82.
Ficus Ruminalis ſub qua Remus ac Romulus nutriti, octingentos & triginta annos vixit. 278.
Ficus Indica arbor miræ naturæ,40. folia habet ſcuti magnitudine, fructum prædulcem, non maiorem faba, aut cicere. 40. 41.212. quadrigenti equites ſub illa meridiantur. 41.
Flammeus gladius appoſitus ad cuſtodiam Paradiſi quid fuerit. 260. 261. cur

dicitur verſatilis, late exponitur. 261. 262.

Flumina ſub terram labentia. 106.158.

Flumina quatuor etiamnum hodie ſubterraneis meatibus egrediuntur ex Paradiſo 154.155.156.157.158.

Fluuius irrigans Paradiſum, num Oceanus. 21. quomodo intelligendum, quòd egrediebatur de loco Voluptatis ad irrigandum Paradiſum. 145. in ipſomet Paradiſo oritur. 146. eius fontes non ſemper fuiſſe in Armenia. 147. quomodo diuiditur in quatuor capita. 145. 146. 153. 154.

Fluuiorum Indiæ ſitus & ordo. 42.

Fontes Tygris & Euphratis quantum interſe diſtent. 67.67.71. 73.

Formicæ Indicæ aurum eruentes. 127.

Foſſæ ab Euphrate in Tygrim factæ. 148. 149

Franciſcus Georgius negauit Paradiſum corporeum. 13. & tunicas pelliceas Adami corporeas. 249.

Fructus arborum Paradiſi aliquando decidunt, & diſſoluuntur. 209.

Fructum Arboris Scientiæ boni & mali, ſi ficus Indica fuit, paruum fuiſſe. 212.

Fucinus lacus emiſſus à Claudio. 101. vndecim annis triginta hominum millibus continuo operantibus. 101.

G

GAn Hebraice hortus 3. maſculei generis. 202.

Ganab quid Hebræis. 5.

Ganges clariſſimus Indiæ fluuius. 117. multa pigmentorum genera ex Paradiſo defert. 118. 122. 123. aurum vehit. 118. 126. eius ortus & curſus. 120. omnium veteris Orbis maximus. 120. 122. influũt in eum vndeuiginti amnes 120. oritur in monte Emodo Caucaſi parte. 120. nomen accepit à Gange Rege Indiæ. 119. 121. 122. eius maior latitudo decem millia paſſuũ. 120. 121. altitudo paſſuum viginti. 120. vel octo brachiorum. 122. aquæ eius bonitas habetur in pretio. 121. febribus medetur. 123. nullus in eo lauatur niſi pretio ſoluto. 123. inundat more Nili. 119. 142. egreditur ex Paradiſo. 154.

Garyophylli arbor & fructus. 131. ad ripas Gangis. 132.

Geon fluuius, non Meſopotamiæ, non eruptio Euphratis. 147. 148. ſed Nilus. 74. 75. id ferme Patres omnes affirmant. 74. 75. ſoluuntur argumenta eorum qui contra ſentiunt. 76. cur Scriptura ſemel tantum Nilum Geon appellet. 76. Hebraice dictus ab erumpendo. 76. variæ eius nominis notationes 76. 77. non eſt Ganges. 144. cur relictum nomen eius Hebræum Geneſ. 2. à Septuag. & Vulgato. 144. 145.

Geon, fons ſeu riuus prope Ieroſolymam: quibusdam idem qui Siloe: aliĳs, influit in Siloem: extra muros Ieruſalem ad Occidentem erat: eum obturauit Ezechias rex. 77. diuerſus à Geon fluuio Paradiſi. 78.

Geon fluuius in Coraſena Nilo maior, fabulis Arabum confictus. 139.

Gerara vrbs Arabiæ, vnde dicta regio Geraritica. 109.

Gethſemani Villa, vnde ſic appellata. 178.

Ghedereth Hebræis quid. 7.

Gobares Præfectus Euphratem diduxit, ne Babyloniam infeſtaret. 70.

Golgotha vox Chaldaica, non pure Hebraica: non eſt corrupta pro, Golgoltha. 176. Syriace dicitur Gogultho, vel Gogoltha. 176.

Gozan, quæ regio. 36.

Chryphes num fabuloſi. 127.

Gulgaltha Hebræis capitationis vectigal. 179.

Gulgoleth Hebraice, cranium, caput. 176.

H

HAgson nomen gradus & dignitatis apud Hebræos. 128.

Haghina Hebræis quid. 7.

Haran regio Meſopotamiæ, eſt Carræ Craſſi

Craſſi clade nobiles. 37.

He, Hebraicus articulus non præponitur proprijs nominibus,ſed appellatiuis. 181 interdum etiam proprijs. 182.

Hebal,Bolitæ intra Caucaſum,& Paropanyſum. 60.

Hebræi dicti vel à tranſitu Euphratis, vel ab Heber. 65.66.orant animas ſuorum recipi in Paradiſo Eden.42.ignorant nomina propria lapidum, arborum, animalium. 128.129.134.

Hebraica lingua primigenia, & Syriaca prior. 190.feminea maſculeis tribuit, & è contra:ob multas ſcitas rationes. 205. 206.

Hebraica nomina in alijs quoque linguis habent ſuos etymos,& notiones. 189.

Hebron ciuitas in montanis Iudæ, antea dicta Mamre,nomen habuit ad Hebron filio Caleb:ſedes gigantum: ſeptem annis antiquior Aegyptiaca Tani:vrbs perfugij: & Sacerdotalis: ſedes regni Dauid: diſtat ab Ieruſalem ad Auſtrum viginti milliaribus. 169.

Hebrus Thraciæ fluuius aurifer. 126.

Henoch vrbs prima in terra à Caino ædificata in monte Libano quibuſdam:alijs in Aſſyria, vel in regione Transtygritana. 165.

Henoch & Elias vbi nunc degant,vel in dubium vocatur à quibuſdam, vel neſcitur. 281. quidam in cæleſtem Paradiſum aſſumptos indicant. 282. alij non eſſe in Paradiſo terreſtri. 282. 283. ſed viuere nunc in terreſtri Paradiſo,ibique manſuros ad aduentum vſque Antichriſti, vulgata eſt omnium opinio, & auctoritate Patrum aſſeritur. 283. 284.qua nota inuenda eſt contraria ſententia. 285. eſſe in Paradiſo, traditio Eccleſiaſtica multis. 286.tempore diluuij ſeruatum non in aera ſuſpenſum, non inter medios aquarum vortices: non in Arca Noe,ſed in Paradiſo, quo non penetrarunt aquæ diluuij. 289.290.

Heuæ intra Paradiſum formata. 187. & cur. 188. quare non exhorruit ſerpentem loquentem. 201.

Heuilath duplex, vnus filius Chus, nepos Cham, qui nomen dederit regioni Arabiæ Heuilah, & Getuliæ Africæ. 123. 125.alter filius Iectan, nepos Heber, de ſtirpe Sem,qui regionem Indiæ Heuilath cum poſteris incoluit. 124.

Heuilath eſſe Indiæ regionem, fuſe probatur. 124.num India intra Gangem. 124. dicta etiam à partu auri, margaritarum. & rerum pretioſarum. 125. forſan eſt Cathea,vel Calingæ, vel Dandagula, vel Megallæ, vel Gangalolæ: vel quæ nunc vocatur Bengala. 125.abundat auro. 126.

S. Hieronymus defenditur. 13.192.234. ridet fabulam de ſepulto Adam in Caluariæ loco. 170.

Hiſpanus ſenex reiuueneſcit. 164.

Homerus innuiſſe viſus eſt Paradiſum Voluptatis. 32.

Homines in ſtatu innocentiæ victuros tria aut quatuor millia annorum, quidam putant. 241. Alij non niſi quinquaginta, vel centum annos; ſed refelluntur. 241. veroſimilius eſt victuros duo millia annorum. 241.

I

IAre,Gedroſia,vel Aria,vel Arachoſia. 60.

Ibes aues exitiales ſerpentibus. 110. 111.

Iectan filij poßederunt Indiæ regiones. 59.

Ieria regio Indiæ quænam 59. 60. forte Seria. 124.

Improborum infelix felicitas ſcite picta. 6.

Immortalitas hominis in ſtatu innocentiæ, ex quatuor præcipuis cauſis. 228.

India vocata Aethiopia. 118. margaritarum ferax. 133. tincturae eius pretioſae. 138.habet montes aureos ſeruatos a Gryphibus & Draconibus. 118. 126. 127. gẽmifera mirũ in modũ. 139. vocatur Hebraicae Hodu, noua forſan appellatione. 161.gignit res praeſtãtiſſimas et pulcherrimas. 162.163.bis fructus in anno produ- cit,

cit, & binas meſſes. 162. 163. eius caelum & ſolum temperatiſſimum, & aquarum abundantia. 163.
Indiae Orientalis vaſtae ſolitudines. 291. 292. immanes ſerpentes. 292. 293.
Indi homines quinum cubitorum & duorum palmorum proceritate: viuunt annos centum triginta. 163.
Indus quidam Gangarides, natus trecentos trigintaquinque annos: cui aliquoties exciderant dentes: nouis ſubnaſcentibus: & barba vbi incanuiſſet, iterum in atrum redierat: habebat filium nonagenarium. 164.
S. Iob celebrauit aurum & gemmas Indiae. 137. & ſeqq.
Ionas Propheta euomitus, non ad ripas Tygris, ſed vel ad littora Euxini, vel Sinus Iſſici. 64.
Ioſephus ſcriptor Hebraeus vindicatur. 21.
S. Irenaeus maximus aſſertor manentis adhuc Paradiſi. 268. 269. defenditur ab oppoſitis cauillis. 269. 270.
Iſraelitae qua hora noctis ingreſſi ſunt Mare Rubrum. 116. num tranſierint totam latitudinem eius de littore Africano in Aſiaticum, late diſſeritur. 115. 116.
Iter à mari Aegyptio ad Arabicum, cæcum & nullum per arenas ſeruat veſtigium. 107.
Iudaei verſus Auſtrum adorant. 53. eorumdem fabella de vxore Moſis exploditur. 113. commendant animas ſuorum defunctorum Cherubinis cuſtodibus horti Eden. 265.

K

Keden, Hebraeis & principium & Orientem ſignificat. 51.

L

Labnath vrbs Tribus Aſſer, diuerſa à Sichor. 84.
Lamed Hebraeis omnium caſuum nota. 4.
Loca ſuburbana & amœna à notis numerorum appellari ſolent. 178.
Locus vbi Cain occidit Abel prope Hebron. 184. vbi Adam & Heua luxerunt Abel. 184.
Louanienſium Theologorum ſententia de ſitu Paradiſi. 37. de diuiſione fluuij Paradiſiaci in quatuor capita exploditur. 146.
Lycus Aſiæ fluuius ſubit terras. 158.

M

Macrobij homines diuturniſſimae vitæ. 34.
Maguen quid Hebraeis. 3.
Magi Chriſti adoratores ex Oriente, hoc eſt, ex Arabia venerunt. 58. fuere ex poſteris Abrahae ex Cetura. 58.
Maiuma nauale Gazae: feſta impudica Veneri: etiam apud Oſtia Tyberina erant Romanis feſta menſe Maio. 80.
Malus arbor quomodo vocetur Hebraice. 213.
Manna erat album, ſed ocellatum, & rugoſum, vt quod Hiſpanice dicitur gragea. 132.
Maranonium flumẽ Americæ, dictum Orellana: influit in mare oſtio quinquaginta leuearum latitudine; alijs ſeptuaginta. 122.
Marcus Eremita librum de Paradiſo ante 400. annos ſcripſit. 1.
Maria Deipara dolores quos in partu effugit, ſub Cruce filij ſubijt. 213.
Maria ſoror Moſis cur fratri oblocuta variæ cauſæ. 113. 114.
Menſis primus Hebræis dicebatur ille, cuius decimaquarta luna incidebat in Aequinoctium vernum: vel propius ipſum ſequebatur. 141.
Menſium Hebraica nomina noua, & exotica, magis quàm pure Hebraica. 141.
Merchebah Hebræis quadriga, Dei gubernationem & prouidentiam adumbrat. 253.
Meroe inſula Nili clariſſima. 90. Britannia

nia maior.90.hodie Naulababe.90.dicta Saba à Cambyſe de ſororis nomine.111.

Meſſa regio Indiæ.59 forſan Meſſe Plinio: non eſt mons Caſſius, nec Meſſeni Arabiæ Ptolomæo aut Meſſene iuxta Tygrim Plinio. 59.

Meſopotamia ſoli felicis.38.70.71.142.habuit olim delicatiſſimos hortos. 39. efficitur à Tygri & Euphrate, qui eam cingūt. 67.68.69. 72 Meſſis in ea fit Aprili & Maio.142.fit reſtibilis ſeges.143 fertilitate & bonitate cedit Indiæ. 162.

Miracula in Nilo facta. 100.

Mœris filia Pharaonis Moſen adoptat. 112.

Moſes Geneſ. 10. deſcribit primos cultores mundi.partium etiam intimarum.58.59. poſt acceptum prophetiæ munus abſtinet ab vxore. 114.delectus dux aduerſus Aethiopes 110.eos fundit & obſidet 111.mirabiliter ſeruat exercitum à ſerpentibus. 110 ducit Tharbim filiam regis Aethiopum.111.reijcitur hæc hiſtoria à multis. 111.defenditur multorū auctoritate.112.

Moſes Bar Cepha librum de Paradiſo ante 700 annos ſcripſit. 1.

Moſe arbores pulcherrimæ ad ripas Gangis, earum fructus creditus ille, quem Adam guſtauit. 121. 214.

Mures in limo Nili media parte formati & media terrei.92.

N.

NAchbul fons Nili.87.

Naturæ vis atque maieſtas admiranda. 164.

Nechao Rex Aegypti in opere aperiendi foſſam à Nilo in Sinum Arabicum, centum viginti hominum millia conſumpſit. 98.

Ne forte, particula in ſacris Litteris pro abſoluto, ne, ſæpius ponitur. 235.

Nero mittit duos Centuriones ad explorandum Nili ortum. 86.

Nilus, vnde dictus: varijs nominibus appellatus.78.ſtercorat ac beat agros.79.143. ipſum Abiſſini vocant Geon.79.eius oſtiū quoddam ad montem Caſium 81.eius ortus ignotus.85. è montibus Chrophi & Mophi Herodoto.86. Sacerdotibus Aegyptus, ex Oceano. 86. Iubæ ex monte Mauritaniæ, & Lacu Nilide. 87. Recentioribus in Lunæ altiſſimis montibus in Regno Aethiopiæ Gogiano, ex palude Zambre.87.88. Oliuario ab eodem fonte quo Niger fluuius.88. eius decurſus mirabilis.89.90.91.inundat ac operit Aegyptum.89.diſpeſcit Africam ab Aethiopia.90 eius ſeptem oſtia.89.93. de eius incremento mira 91. 92. 93. incipit creſcere ſole in Cancro, abundantiſſime ſole in Leone, reſidit in Virgine, reuocatur intra ripas in Libra.91.92. Cum creſcit, nauigare in eo nefas.91.maximum incrementum cubitorum ſedecim: minimum quinque, vt Pharſalico bello. 91. nullas expirat auras.91.Straboni maximus auctus cubitorum quatuordecim, minimus octo. 92. Solino maximus cubitorum 18. minimus cubitor. quindecim 92 gignit hippopotamos, crocodillos.92. bienmo regnante Cleopatra non aſcendit.92. Si non creſceret, imputatum Chriſtianis à Gentilibus. 92. Cauſæ eius æſtate incrementi occultæ 93.exercuere mirifice ingenia. 93.Multi eas perſcrutati.94. Creſcere ex ſolutis niuibus Aethiopiæ Anaxagoras credidit 64. 95. Eteſiis retroactum tumere Thales.94. 95. ex influxu Oceani Euthymenes.94.95.ex intraneo frigore æſtatis Oenipodes.95.Quòd ſol æſtate trahat humorem Diogenes. 95. quòd fontes in alueo æſtate aperiantur Ariſtoteles. 95. quòd procelloſos imbres Eteſiæ æſtate ad meridiem concitent, Democritus & alij.95.96 Quòd æſtate Aegyptus, Arabia, & Africa vtpote ſoli ſabuloſi reſoluantur, Ephorus. Melior cauſa, quòd æſtate noſtra in fontibus Nili & Aethiopia ſit hiems & imbres magna copia ruant, vnde Nilo incrementum: ita Sacerdotes Aegyptij, Herodotus, Mela, Theodoretus,

doretus, & noſtri Recentiores. 96. quidā miraculo tribuunt. 96 egere de illa plures. 96. & 97.

Nili varia nomina. 97. eius aquam fecunditatem mulieribus afferre. 97.

Nilum in Sinum Arabicum auertere Albuquercius tentauit. 98. eius aquam Ægyptij adorabant. 99. quomodo egrediatur ex Paradiſo. 154. ſub mare labitur. 157.

Niniue Tygri impoſita 64.

Niſan primus Hebræorum menſis, vnde dicatur. 140.

Nod terra. 47. pro appellatiuo ſumpſit Vulgatus. 47.

Noe infert ſecum oſſa Adami in Arcam: ea poſtea in filios diſtribuit: Semo dat Caluariam. 184.

O

Obrizum aurum puriſſimum, quaſi Ophirizum. 126.

Oculus Hebraica phraſi pro aſpectu & colore. 132.

Omnis, particula non ſemper notat plenam vniuerſitatem in Scriptura. 275.

Olam Hebrais & æternitatem ſimpliciter, & tempus longum, & Iobilæum notat. 234. 235.

Oliueti mons altior monte Caluariæ. 173.

Olympus Theſſaliae mons nubes ſuperans: in eo litterae in cinere ſcriptae ad alium annum durant. 34.

Onychis natura exponitur. 135. 136. Onyx aliqua berylli ſpecies. 137. eam India gignit. 136.

Opera illuſtrium Scriptorum interdum vitiata. 161.

Ophir Indiæ regio. 60. aurum eius praeſtantiſſimum. 138.

Ophitae haeretici ſerpentem adorabant. 210

Ora maritima à Sinu Perſico ad vltimos Sinas rerum pretioſarum feracior, quàm à Sinu Perſico ad Luſitaniam. 164.

Orcheni praecluſere Euphratem ad agrorum irrigationem. 69.

Oriens & dextera & melior pars mundi. 52

Orientis nomine in Scriptura appellari regiones tantum cis Perſicum Sinum, Iudæa Orientales quidam aiunt. 55. Arabiam. 56. ſed Orientis nomine etiam cenſeri Indiam & regiones vltra Perſiam. 58. & ſeqq. 60.

Orientis opes prouerbio celebratae. 57. eius vltimae orae omnia praeſtantiſſima. 160.

Orientales magia & reprobatis artibus infames. 57.

Origenes negauit Paradiſum corporeū. 13. & tunicas pelliceas Adami corporeas. 249. fuit haereticus. 295.

Ouidius viſus deſcripſiſſe Paradiſum. 33.

P

Pactolus Aſiae fluuius aurifer. 126.

Padus Italiae fluuius aurū vehit. 126.

Pala arbor Indiae, cuius fructus Ariena, in Sydracis, admirabili dulcedine: folia habet trium cubitorum. 214.

Panim, Hebraeis quid ſignificet. 255.

Paradiſi vox Perſica. 7.

Paradiſus Regis Vuandalorum in Africa. 8

Paradiſus vox Graeca ſignificat quoque viuaria. 8. proprie eſt hortus, pomarium 8. facta vox ex Hebraico Pardes. 8. ſignificat caelum Empyreum. 9.

Paradiſus vrbs Cœles Syriae. 11. fluuius Ciliciae. 11.

Paradiſum corporeum qui negauerint, & allegoricum tantum putauerint. 11. probatur corporeus è verbis Moſis. 14. 15. è ſenſu ſanctorum Patrum 16. & 17. 18. 19. 20. prope haereſis eſt, negare Paradiſum corporeum. 20. Seruata reali eius veritate, ſcite poſſe allegorizari. 20. indiculus Patrum quid id fecerunt. 20.

Paradiſum non eſſe totam terram. 20. probatur rationibus perſpicuis. 21. plantatum extra totum hunc orbem terrae, qui aſſeruerint. 22. 23. refellitur ea opinio. 24. plantatum in Palaeſtina, qui dixerint. 24. reijcitur ea ſententia. 25. ſub Torrida

Zona

Zona, vel ſub Aequinoctionali conſitum, qui crediderint. 25. in Taprobane inſula ſatum quorundam ſententia. 26. aliorum in Inſulis ab Aſia vaſto pelago diſcluſis. 26. Delire Poſtellus ſub Arcto conditum putat. 27. de altitudine, amœnitate, pulchritudine eius, multae Patrum ſententiae. 27. 28. 29. 30. 31. non attingit Lunarem globum. 34. Patres qui ſecus videntur ſentire, explicantur 36. in Meſopotamia illum pangunt Recentiores. 37. eius ſitum in Tabella Geographica exhibent Louanienſes. 37. in Indoſcythia alij plantant, prope amnes Aceſinem & Hiarotim. 40. non eſt id certum. 159.

Paradiſum plantatum in Oriente. 51. 158. ratio huius redditur 51. & 55. in Oriente proprie totius terræ. 68. 61. Non erat tota regio Eden, ſed pars eius præſtantior. 147. plantatus in regione Eden. 159. non ſub Aequinoctiali, vel in Inſula aliqua: ſed citra Cancri Tropicum in Zona temperata. 159. locus eius præciſe nequit definiri. 159. forſan in India prope Gangem, vel in Sina. 159. id Patres mire innuunt. 159. 160. peculiariter S. Athanaſius. 160. plantatum tertio die conditi orbis. 192. 193. S. Auguſtinus vult non actu, ſed ſecundum ſeminalem rationem plantatum tertio die; actu poſt ſex dies conditi orbis: alij vero actu productum aiunt tertio die, quæ eſt receptior opinio. 192. 193. non primo die, vt Catharinus, cuius opinio refellitur. 193.

Paradiſi locum non exiguum ſed amplum: nec maiorem Inſula magna: forſan longitudinis trium vel quatuor leucarum, ambitu duodecim 194. non tantus vt Aſia, vel Africa, aut Europa, nec vt Prouincia vt Germania, Italia. 194. 195. ducentorum ſtadiorum Steucho. 195. coniectura eſt ambitu quadraginta vel quinquaginta leucarum centum quidam, & longitudinis triginta. 195. Non erat tota regio Eden, ſed eius præſtantior pars. 195. ex magnitudine fluuiorum qui ex illo oriuntur, non poteſt exacte eius magnitudo æſtimari. 195. ſi ſtatus Innocentiæ perdurauiſſet, omnes naſcituros homines in eo habitaturos, nonnulli affirmant. 196 quia erat locus proprie felicitati hominũ deſtinatus. ibid. Sed melior ſententia eſt, habitaturos etiam multos in reliqua terra. 197. ob multas bonas rationes. 197. 198. ſed magnam partem in Paradiſo. 198. reliquos ſæpius in illum venturos. 198. in eo habitatura animantia rationis expertia multi tradunt. 198. non habitatura, nec nunc eſſe S. Thomas & alij docent 199. 200. quod veroſimilius ducimus ob bonas rationes. 200. 201. neque aues eſſe in Paradiſo, ſed forſan potuiſſe illuc interdum cauſis introduci ab hominibus in ſtatu innocentiæ. 201.

Paradiſum aquis diluuij, alijſque caſibus euerſum iam non extare qui docuerint. 265. 266. 267. 268. Sed adhuc extare ex conſenſu Patrum oſtenditur. 268. 269. 70. 71. claſſibus argumentorum idem firmatur. 272. 273.

Paradiſum cur Deus condiderit quem non eſſent homines inhabitaturi. 278. 279. cur eum modo conſeruat. 279. 280. Potuit recte conſeruari ſub aquis diluuij. 279. 280.

Paradiſi vox abſolute poſita in Scriptura, non ſignificat niſi vel terreſtrem illum Paradiſum Voluptatis, vel cæleſtem gloriam: cum adiunctis poſſit indicare quẽuis locum delitioſum. 288. num ſignificet limbum Patrum. 296. 297.

Paradiſus terreſtris locus abſtruſiſſimus, cur hactenus numquam reperiri potuerit, variæ cauſæ. 290. 291.

Paradiſus Voluptatis exuretur in fine mundi. 301. 312. non purgantur in eo nunc animæ piæ. 299. nec habitabunt in eo infantes ſine baptiſmo, poſt diẽ Iudicij. 300.

Pardes Hebræis Paradiſus. 7. numquam in Scriptura dicitur de ſingulari illo Paradiſo Voluptatis. 191.

Pariacaca mons Peruanæ Prouinciæ miræ

naturæ-

naturæ. 35. altior Alpibus, & Pyrinæis, & quibuſuis alijs 35.
Paſatygris fluuius. 69.
Pè duro carebant olim Hebraei, ſolo Pè Ra-phe vtentes. 64.
Peluſium hodie Damiata. 82.
Perſia habuit pulcherrimos hortos. 39.
Perimula Indiæ promontorium margaritis fertile. 133.
Perizomata Adami & Heuæ ex ficu Indica. 41.
Phaſis nobilis Ponti annis. 139.
Philo Iudaeus non agnouit Paradiſum corporeum. 12.
Phiſon quibuſdam fluuius Meſopotamiae, alijs Hyphaſis: ſed eſt Ganges. 117. è ſenſu Patrum. 117. 118. 119. eius varij etymi: non eſt Nilus. 144. cur relictum in Scriptura nomen eius ininterpretatum. 144. 145. non eſt eruptio ſeu ramus Tygris. 147. 148.
Plataniſtes piſces quindecim cubitorum in Gange. 122.
Plato innuit Paradiſum Voluptatis. 32.
Piperis arbor & fructus accurate deſcribitur. 130. 131.
Piſces ſub terra, ſed noxij & letales. 106.
Polycrates Samiorum Tyranus habuit ſardonychem pretioſiſſimam. 138.
Praſius gemma deſcribitur. 135.
Principes ſunt ſcuta et protectores populi. 3.
Pſammeticus Aegypti Rex tentat fundum fontium Nili funibus multorum millium paſſuum. 86.
Puticuli locus Romæ extra portam Eſquilinam vnde dictus. 177. erat in Quinta Regione Vrbis. 178.

R

Radamnus quid. 5.
Regma, Carmania. 60.
Rezeph, quæ regio. 36.
Rhinocolura vrbs Aegypti, ſic dicta à praeciſis ciuium naribus: omnibus vitae commodis caret. 81.
Roboraria quae dicta Romanis. 8.
Roſtrum Adami, mons in Ceilano inſula. 169.
Rubrum mare antiquis vocatum Oceanum, qui duos Sinus fundit Arabicum & Perſicum. 149. immo & Mare Indicum ad auream vſque Cherſoneſum. ibid. & 150. Scriptura ſacra peculiariter eo nomine appellat Sinum Arabicum. 150. quo etiam nomine externi. 152 cur dicatur Hebræis Iam Suph, variæ rationes 150. cur dictū Rubrum mare. 152. 153.
Rubri maris in fundo naſci arbores, & frutices. 150. 151.
Rubrum mare dictum Erythræum. 152. 153.

S

Sabathacha, Stabæi Ptolomeo. 60.
Sanguis Chriſti, diſtillabat è Cruce in Caluariam Adæ. 170. 172.
Sanctorum animæ, quæ nihil purgandum deferunt, num detineantur in Paradiſo Voluptatis ad diem vſq. iudicij. 294. 295.
Sarda gemma exponitur. 136.
Sardonychis natura refertur. 135. 136. has India mittit. 136.
Segetum luxuria in Meſopotamia & Babylone dente peccoris caſtigatur: & quidem ſaepius. Vel ſecatur in herba: ſic reddit meſſem cum quinquageſimo fœnore. 142.
Sephar mons, non ſunt Andes Peruani, nec Siphara Ptolomaei ad Euphraten: nec mons Arabiæ aut Thraciae: ſed Indiae mons. 59. 60.
Sephora Madianites vxor Moſis, dicta Aethiopiſſa, & quare. 108.
Septuaginta Interpretes deprauati extant. 166.
Seria putatur India extra Gangem. 124. hodie Cataiū. 125. vnde veſtes Sericæ. 125.
Serpens in quibus mentitus Adamo & Heuae. 219.
Seſtertium vel Seſſorium dictum Romae locum ſuppliciorum. 178.
Seth Adami filius habitauit in Syria, vbi

duas columnas, lateritiam & lapideam extruxit, inſculptas omnium ſcientiarum notis. 165. Comeſtor ait, habitaſſe in Cordan monte proximo Paradiſo. 165.

Sichor in Scriptura Nilus. 79. interpretatur Niger. 79. Septuaginta Interpretes vocant Gebon. 79. non eſt paruus Torrens Arabiae, in Sirbonis lacum influens. 81. Hieronymo riuus Nili inter Aegyptum & Rhinocoluram. 81. & alijs. 81. proprie eſſe Nilum. 83.

Sichor vrbs Tribus Aſer. 84. Quibuſdam dicta Sichor Labnath, et putata Ptolemaida, ſeu Aco: alijs vallis Beli fluuij, vbi vitro origo 84. interpretatur, Nilus cryſtallifer, vel Turbidus cryſtallifer, vel Luna obſcura, vel Sichor candida, vel Lateritia, vel Populeti, vel Thurifera 84.

Siene vrbs Aegypti, vbi ſol non mittit vmbras, quomodo vocetur hodie. 91.

Sina Orientis regio producit magna copia margaritas: quarum vectigal ad vicies ſexies centena millia aureorũ pendit. 133. & gemmas, quarum vectigal ad quaterdecies centena ſeptuaginta millia aureorum excurrit. 139.

Sinarum regio gignit res præſtantiſſimas, gemmas, margaritas, aromata, odores, medicinas 162. incredibilis eius rerum opulentia & copia. 163.

Sirbonis palus inter Aegyptum & Idumæam. 81.

Sodomitici tractus fertilitas. 9.

Soham gẽma Hebræis varie exponitur. 133 ſmaragdus, vel onyx, vel ſardonyx, vel beryllus, vel praſius. 133. 134. 135. verius eſt onyx. 135. generale nomen ad onychem & ſardonychem. 138.

Sophi Perſica lingua indicat Rubrum. 151. 152. vnde facta appellatio regibus Perſarum ab rubro capitis inſigni. 152.

Sophir Indiæ regio, eadem quæ Ophir. 137.

Suph quid Hebræis ſignificet 150. 151.

Supplicia de ſontibus extra portas ſumi ſolita. 177.

T

Tagus Hiſpaniæ fluuius aurifer. 126.

Taprobane inſula hodie Ceilanum. 26. gignit margaritas. 133.

Termini Terræ promiſſae proprie qui. 66.

Terrae vaſti hiatus, & immanes mutationes. 102.

Tertullianus ſenſit male animas piorum nõ videre Deum ad diem vſque Iudicij. 294. ac fuit plane haereticus. 295.

Thapſa, Thapſacum ad Euphraten. 67.

Tharbis filia regis Aethiopum vxor Moſis. 111. num ipſa Aethiopiſſa illa in Numeris. 110.

Thelaſar quæ regio. 36.

Thonites lacus quẽ intrat Tygris. 67. dictus Thopites. 68. vel Thoſpites. 69. non miſcet cum Tygri praeterfluente aquas. 67.

Therebintus ſeu quercus Mamre ſub qua Abraham Angelos hoſpitio ſuſcepit, durat vſque ad noſtra tempora. 278.

Thermutis filia Pharaonis adoptat ſibi Moſen. 110.

Tigridis feræ incredibilis feritas & pernicitas. 62. 63.

Tois inſula Indiæ margaritas fert. 133.

Torrens Aegypti, terminus Auſtralis Iudææ: putatus Torrens Boſor, ſeu Maiumæ. 80. appellatur etiam fluuius. 83. S. Hieronymo eſt riuus Nili. 82. proprie eſt Nilus. 83. non eſt torrens ſalicum. 83.

Trinitatis myſterium à Dauide adumbratum. 5.

Tunicae pelliceae quibus Deus primos parentes induit, veræ & reales, non tantum allegoricæ. 249. ex pilis animantium factas quidam volunt: alij fuiſſe arborum cortices. 249. ſed fuiſſe ex animantium pellibus, vulgatior ſententia. 249. 250. refellitur à quibuſdam, ſed defenditur. 250. varijs modis potuit Deus eas pelles fabricare. 250. 251. factæ forſan miniſterio Angelorum. 251. quamuis non ſint haec curioſius indaganda. 251.

Tygris

618439

Tygris Hebraice, Hidekel, eius nominis varia notatio: & varia eius Synonyma. 62. *dictus à fera Tigride propter velocitatē.* 62. 63. 72. *vel à ſagitta quae Perſica lingua dicitur Tygris.* 63. *plus vno die curriit, quàm ſeptem pedibus iter confici valeat.* 63. *vocatur in Scriptura magnus.* 64. *naſcitur in montibus Armeniae maioris* 67. 72. *ex Auſtrali parte Tauri.* 68. *in planitie fonte conſpicuo, in loco Elongoſine.* 69. *influit in mare Rubrum.* 67. 72. *ſaepius ſe condit & reddit.* 68. 69. *accipit varia flumina, et Arabes, Adiabenoſque diſterminat.* 69. 71. *inter Seleuciam & Cteſiphontem vectus, in lacus Chaldaicos ſe fundit.* 69. *cum intrat Medorum fines, Tygris vocari incipit.* 69. 71.

Tygris & Euphratis inundatio foſſis & riuis excipitur ad opportunas irrigationes. 142. 143. *eorum ortus, decurſus, influxus, à recentioribus Geographis picti.* 148. *de quibus antiqui variant.* 148. *quomodo di manent ex Paradiſo.* 154.

V

Valentiniani haeretici Paradiſum ſupra tertium caelum collocant. 11.

Vermes in Gange cerulei ſexaginta cubitorum, elephantos venientes ad potum abripiunt. 122.

Via Aegypti, quae. 79.

Vindemiae tempus iuſtum ab Aequinoctio Autumnali ad Virgiliarum occaſum dies xliiij. 145.

Vitri prima origo. 84.

Vulgatus Interpres defenditur. 6. 287. 288. *ſolet Hebraica nomina propria Latine reddere.* 43. 45. 46. 183.

Vxorum pluralitas Patribus antiquis ex Dei diſpenſatione conceſſa. 113.

Vzal, Oxia, Bactriana. 60.

Z

Zara Aethiopum rex, erat Arabum. 109.

Zona Torrida habitabilis. 26. *quae terrae ſub ea iaceant, ad Orientem.* 26.

ERRATA quæ raptim annotari potuere: alia Lector diligentia ſua obſeruata reſtituet.

Pag. 35.	Linea 25.	fuga	98.	32.	*in principio lineæ appone* V.
49.	23.	Scriptura	99.		*in margine linea* 3. MERSA.
51.	2.	*Plantauerat*	164.		*in margine linea* 3. ANNOS.
56.	*vltima*	Filiorum Orien- *adde* tis fit mentio Gèneſ. 29. 1. Iſai. 11.	167.	43.	flammantem
80.	v.	29. *dele* 26.	171.	21.	v. 30.

REGESTVM

✠ ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm

Nn Oo Pp Qq Rr.

Omnes ſunt Duerniones, præter R r, Ternionem.

ROMAE,

Ex Typographia Alfonſi Ciacconi.

Apud Carolum Vulliettum.

MDCV.

SVPERIORVM PERMISSV.

618439

1153